SEBASTIANI MEDICIS ... TRACTATUS DE MIRABILIBUS OPERIBUS DEI

Sebastiano Medici




36
13 E
12


SEBASTIANI MEDICIS FLORENTINI I. C.

EQVITIS S. STEPHANI ET PROTH. APOST.

Ac totius Prouinciæ Marchiæ Rotæ Auditoris.

Tractatus

DE MIRABILIBVS OPERIBVS DEI.



MACERATAE,
Apud Sebastianum Martellinum.
M. D. XC.

CVM LICENTIA DD. SVPERIORVM.



BEATISSIMO PATRI AC SANCTISSIMO D. N. SIXTO V. PONT. OPT. MAX.



Sebaſtianus Medices fœlicitatem D.




COGITANTI mihi ſæpenumero (Beatiſsime Pater) quæ nam ad diuinæ potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis cognitionem plurimum conferant. Illa potiſsimum venerunt in mentem, quæ ab ipſo Deo Optimo Maximo ſupra vires naturæ facta ſunt. Quæ cū ſint multa, & multis in locis à diuinis auctoribus expreſſa, ea quaſi in aceruum congerere, ac penè vno intuitu oculis ſubijcere in animum induxi meum, quo facilius ad ea meditanda legentibus occurrant, illaq; iuxta vnanimem patrum conſenſum interpretata, in lucem edere conſtitui, quæ Sanctitati veſtræ auſus ſum potiſsimum dicare. Nam ſibi ſoli iure optimo mirabilium tractatus debetur, cum gerat vices illius in terris, qui facit mirabilia ſolus, quem deprecor, vt diu Eccleſiæ ſuæ Sanctitatem veſtram incolumem conſeruet.



INDEX NOTABILIVM QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

Chri-

TRA-



TRACTATVS SEBASTIANI MEDICIS, DE MIRABILIBVS OPERIBVS DEI, LIBER PRIMVS.

PROOEMIVM.



VONIAM (vt inquit Paul.1.Rom.c.) inuisibilia Dei à constitutione mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, & in illis maximè ipsius gloria splendet, in quibus mirabilius est operatus, & hæc præcipuè miracula dicuntur, quæ cum sint facta ad confirmandam veritatem fidei. S. Th. 3. p. q.43.art.1. Vtilissimum esse duxi, multa quæ sparsim de ijs multis in locis habentur, in hoc paruo volumine congerere; & inuocato Diuino Trinitatis præsidio, prius quàm singularia ponantur, dicendum erit in genere, quid sit miraculum, & quotuplex sit, quis illud facere possit, de quibus, & in quibus rebus fiat, nec non quomodo, & ad quem finem dicatur miracula facta. Et quia in miraculis quæ fiunt, manifestatur potentia, sapientia, bonitas, iustitia, & misericordia Dei, de illis primo aliqua dicenda erunt.

QVAESTIO I.



RIMO quæro vtrum in Deo sit potentia. Respond. quod est in Deo potentia actiua, cum sit maximè in actu, & simpliciter perfectus; vnde Psal.88. Potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo; cuius quoq; potentia dicitur infinita, cum eius esse sit infinitum, in quantum non est limitatũ per aliquod recipiẽs; vnde Hylar. de Trin.lib.8. dicit, quòd Deus est immensæ virtutis, viuens, & potẽs; omne autem immensum est infinitum; vnde Damasc.lib.1. orthod.

fid. c.4. Deus est infinitus, & æternus, & in circumscriptibilis, ita vt nihil aliud possit esse infinitum secundum magnitudinem, neq; secundum multitudinem, quia omne quod est, dicitur à principio aliquo quod est Deus primum principium rerum omnium, S.Th.1. par.q.7.art.1.& 2. neq; secundum multitudinem Sap. 12. omnia in pondere, numero, & mensura disposuisti. In diuisione tamen continui, & additione multitudinis infinitum reperitur in potentia: S. Th.1.par.q.7.ar.4. Et consequenter Deus dicitur omnipotens, esse enim diuinum super quod ratio diuinæ potentiæ fundatur, est esse infinitum, non limitatum ad aliquod genus entis, sed habens in se totius esse perfectionem; vnde quicquid habet ratione entis continetur sub possibilibus absolutis, respectu quorum Deus dicitur omnipotens, nihil autem opponitur rationi entis, nisi nõ ens. Hoc igitur repugnat rationi possibilis absoluti, quod subditur diuinæ omnipotentiæ, quod implicat in se esse, & non esse simul. Hoc enim omnipotentiæ non subditur, non propter defectum diuinæ potentiæ, sed quia non potest habere rationem factibilis, neque possibilis, quęcunque igitur contradictionem non implicant sub illis possibilibus continentur, respectu quorum dicitur Deus omnipotens, ea verò quæ contradictionem implicant, sub diuina omnipotentia non continentur, quia non possunt habere possibilium rationem, vnde conuenientius dicitur, quod ea non possunt fieri, quam quod Deus, ea non possit facere. Neque hoc est contra verbum Angeli Luc. 1. Non erit impossibile apud Deum omne verbum. Id enim contradictionem implicat, verbũ esse non potest, quia nullus intellectus potest illud cõcipere, ideo dicitur, quod Deus non potest facere quod pręterita non fuerint, præterita enim non fuisse contradictionem implicat, sicuti implicat contradictionem Socrates sedet, & non sedet, ita quod sederit, & nõ sederit, dicere autem quod sederit est dicere quod sit præteritum, dicere autem quod non sederit, est dicere, quod non fuerit: vnde præterita non fuisse non subiacet diuinæ potentiæ. Et hoc est quod dicit Aug. lib. 26. c.5. contra Faustum; quisquis ita dicit .s. Deus omnipotens est, faciat vt quæ facta sunt, facta non fuerint, non videt hoc se dicere, si Deus omnipotens est, faciat vt quæ vera sunt, eo ipso quod vera sunt, falsa sint & Arist.in 6.Ethic.c.2. Hoc solo priuatur Deus, ingenita facere, quæ sunt facta, & licet omnem corruptionem mentis, & corporis Deus auferre possit à muliere corrupta; hoc tamen ab ea amouere non poterit, quod corrupta nõ fuerit, sicut etiam ab alio peccatore auferre non potest, quod non peccauerit, & quod Charitatẽ non amiserit, licet reparare possit charitatem amissam.

Potest etiã Deus facere quæ non fecit, quoniã eius bonitas est finis im-

nis improportionabiliter excedēs res creatas, vnde diuina sapientia non determinatur ad aliquem ordinē rerum, vt non possit alius cursus rerum effluere, & licet iste cursus rerum sit determinatus istis rebus, quæ nunc sunt, non tamen ad hunc cursum limitatur diuina sapientia, & potestas. Vnde licet istis rebus, quæ nunc fiunt nullus alius cursus esset bonus, & conueniens, tamen Deus posset alias res facere, & aliū eis imponere ordinē; vnde dicitur Matt. 26. An nō possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum? Neque autem ipse rogabat, neque pater exhibebat ad repugnandum Iudæis, ideo facere potest, quæ non fecit.

Immo, & meliora, ac maiora, quæ ipsæ non fecit; dicitur enim Ephes. 3. quòd Deus potest omnia facere abundantius quam petimus, aut intelligimus; Nam bonitas alicuius rei est duplex: vna quidem quæ est de essentia rei, sicut esse rationale, est de essentia hominis, & quantum ad hoc bonum, Deus non potest facere aliquam rem meliorem, sicut etiam non potest facere quaternarium maiorem, quia si esset maior, iam non esset quaternarius, sed alius numerus; sic enim se habet additio differentiæ substantialis in diffinitionibus, sicut additio vnitatis in numeris, vt dicitur. 8. Metapho. tex. 10. Alia bonitas est, quæ est extra essentiam rei, sicut bonum hominis est, esse virtuosum, vel sapientem, & secundum tale bonum potest Deus res à se factas, facere meliores, simpliciter autem loquendo qualibet re à se facta, potest Deus facere aliquam meliorem. Dicendum est tamen, quòd cum dicitur Deum posse aliquid facere melius, quam fecit si illud melius sit nomen, verum est, qualibet enim re potest facere aliam meliorem. Eandem verò potest facere meliorem, quodammodo, & quodammodo non, vt dictum est: si verò illud melius sit aduerbium, & importet modum ex parte facientis, sic Deus nō potest facere melius, quam sicut facit, quia non potest facere ex maiori sapientia, & bonitate: si autem importet modum ex parte facti, sic potest facere melius, quia potest dare rebus à se factis meliorem modum essendi, quantum ad accidentalia, licet non quantum ad essentialia, vniuersum enim, suppositis istis rebus, non potest esse melius propter decentissimum ordinem his rebus attributū à Deo, in quo bonum vniuersi consistit, quorum si vnum aliquod esset melius corrumperetur proportio ordinis, sicuti si vna corda plus debito intenderetur, corrumperetur cytharæ melodia. Posset tamen Deus alias res facere, vel alias addere istis rebus factis, & sic esset istud vniuersum melius. Humanitas tamen Christi ex hoc quod est vnita Deo, & beatitudo creata, ex hoc quod est fruitio Dei, & beata

Virgo, ex hoc quod eſt mater Dei, habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quòd eſt Deus, vnde ex hac parte, non poteſt aliquid fieri melius eis, ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo. S. To. 1 p.q.25. Art. 1.

Præterea notandum eſt, quòd non ſolum in Deo eſt potentia, & infinita; ita vt dicatur omnipotens, & meliora facere poſsit, quæ fecit; ſed etiam eſt cauſa rerum omnium, ita vt omne ens dicatur creatum à Deo, dicitur enim Rom. 11. ex hoc ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia; nam ſi aliquid inuenitur in aliquo per participationem, neceſſe eſt quod cauſetur in ipſo ab eo, cui eſſentialiter conuenit; vt ſi ferrum ſit ignitum ab igne, at Deus eſt ſuum eſſe per ſe ſubſiſtens, & eſſe ſubſiſtens non poteſt eſſe niſi vnum, relinquitur ergo, quòd omnia alia à Deo non ſint ſuum eſſe, ſed participant eſſe. Neceſſe eſt igitur, quòd omnia quæ diuerſificantur, ſecundum diuerſam participationem eſſendi, vt ſint perfectius, vel minus perfectæ, cauſari ab vno primo ente, quod perfectiſsime eſt: vnde & Plato dixit, quòd neceſſe eſt ante omnem multitudinem ponere vnitatem, & 2. Metaph. textu. 4. dicitur quòd eſt maximè ens, & maximè verum eſt cauſa omnis entis, & omnis veri, ſicut id quòd eſt maximè calidum, eſt cauſa omnis caliditatis; vnde neceſſarium eſt dicere, etiam materiam primam creatam eſſe ab vniuerſali entium cauſa, quæ eſt Deus, vnde Aug. lib. 12. Confeſ. cap. 7. Duo feciſti Domine, vnum prope te, ſcilicet Angelum; aliud prope nihil, ſcilicet materiam primam, & licet ex nihilo, nihil fieri dicatur ſecundum Ariſt. 1. Phiſ. tex. 62. Hoc procedit de fieri particulari, quòd eſt de forma in formam, ſiue accidentalem, ſiue ſubſtantialem; ſecus cum agitur de rebus ſecundum emanationem earum ab vniuerſali principio eſſendi, quæ emanatio deſignatur nomine creationis, quæ eſt propriè ex nihilo aliquid facere, ſecundum gl. ſuper illud Geneſ. 1. In principio creauit Deus cœlum, & terram; & hoc eſt proprium ſolius Dei, qui ſi non ageret, niſi ex aliquo præſuppoſito, ſequeretur, quòd illud præſuppoſitum non eſſet cauſatum ab ipſo, at nihil eſſe poteſt in entibus quod non ſit ab eo, tanquã à cauſa vniuerſali totius eſſe; vnde Aug. 3. de trin. cap. 8. dicit, quòd neq; boni, neq; mali angeli poſſunt eſſe creatores alicuius rei; ſed vt dicit Dion. c. 2. de diu. nom. quod communia totius diuinitatis ſunt omnia cauſalia, & conſequenter creare eſt commune toti Trinitati, veſtigium cuius in creaturis apparet, ſecundum Aug. in 6. de Trin. Neque in creatione admiſcetur opus aliquod naturæ, & artis S. Th. 1. p. q. 45. art. 8.

Sed totum pendet ab omnipotentia Dei, qui licet ſit cauſa rerum omnium, non tamen dicitur poſſe peccare, quoniã peccare eſt defice-

deficere à propria actione. Vnde posse peccare, est posse deficere in agendo, quòd repugnat omnipotentiæ; dicit enim Aug. in lib. 83.qq.q.21. Quòd Deus non est auctor mali, quia non est causa tendendi ad non esse, nam malum, quod in defectu actionis consistit, semper causatur ex defectu agentis: In Deo autem nullus defectus est, sed summa perfectio, vnde malum quod in defectu actionis consistit, vel quod ex defectu agentis causatur, non reduciturin Deum, sicut in causam. Malum tamen, quod in corruptione rerũ aliquarũ consistit, reducitur in Deum, sicut in causam, & hoc patet tam in naturalibus, quàm in voluntarijs, aliquod enim agens in quantũ sua virtute producit aliquam formam, ad quã sequitur corruptio, & defectus, causat sua virtute illam corruptionem, & defectum. Manifestum est autem, quod forma quam principaliter Deus intendit, in rebus creatis, est bonum ordinis vniuersi. Ordo autem vniuersi requirit quod quidam sint, quod deficere possint, & interdum deficiant. Et sic Deus in rebus causando bonum ordinis vniuersi ex consequenti, & quasi per accidens causat corruptionem rerum, iuxta illud 1.Reg.2. Dominus mortificat & viuificat, quod autem dicitur Sap. 1. Quòd Deus mortem non fecit, intelligitur, quasi per se intentam, ad ordinem autem vniuersi pertinet etiam ordo iustitiæ, qui requirit vt peccatoribus pœna inferatur: & secundum hoc Deus est auctor mali quod est pœna, & ita intelligitur illud Esa.43. Creans malum, & Amos 3. si erit malum in Ciuitate, quòd Dominus non fecerit.

QVAESTIO II.

Secundo, quoniam in miraculis faciendis fit motio materiæ ad formam, siue rei ad rem, vt ex infra dicendis apparebit, ideo quærendum est, vtrum Deus possit immediatè mouere materiam ad formam? Resp. quòd sic; dicitur enim Gen. 2. Formauit Deus hominẽ de limo terræ: nam ens in potentia passiua reduci potest in actum à potentia actiua, quæ eam sub sua potestate continet. Cum igitur materia contineatur sub potestate diuina, vtpotè à Deo producta, potest reduci in actum per diuinam potentiam, & hoc est moueri materiam ad formam; quia forma nihil aliud est, quam actus materiæ. Præterea nedum potest Deus mutare materiam ad formam, sed potest immediatè mouere aliquod corpus; opera enim sex dierum Deus fecit immediatè, in quibus continetur motus corporum, vt patet per hoc quod dicitur Gen. 1. Congregentur aquæ in locum suum: vnde erroneum esset dicere Deum non posse facere per se ipsum omnes determinatos effectus, qui

fiunt

fiunt per quamcunque cauſam creatam: nam ſi corpora mouentur immediatè à cauſis creatis, nulli debet venire in dubium, quin Deus poſsit mouere immediatè quodcumq; corpus. Nam omnis motus corporis cuiuſcunque, vel conſequitur formam, ſicut motus localis grauium,& leuium cõſequitur formam,quæ datur à generante,ratione cuius generans dicitur mouens; vel eſt via ad formam aliquam, ſicut calefactio eſt via ad formam ignis: Eiuſdem autem eſt imprimere formam,& diſponere ad formam,& dare motum conſequentem formam. Ignis enim non ſolum generat alium ignem, ſed etiam calefacit, & ſurſum mouet. Cum igitur Deus poſsit immediatè formam materiæ imprimere, conſequens eſt, vt poſsit ſecundum quemcunque motum corpus quodcunque mouere, non obſt. quòd non poſsit eſſe contactus Dei,& corporis. Nam Dei non eſt aliquis tactus, vt dicit Dion. in 1. de diuin. nom. & tamen oportet eſſe cõtactum quendam mouentis, & moti, cum mouens, & motum oporteat eſſe ſimul; vt dicit Ariſt. in 7.Phiſi. Nam reſp.quod duplex eſt tactus, ſcilicet corporalis,ſicut cum duo corpora ſe tangunt,& virtualis, ſicut dicitur, quod contriſtans tangit contriſtatum: Secundum igitur primum contactum Deus cum ſit incorporeus, non tangitur nec tangit; ſecundum autem virtualem contactum, tangit quidem mouendo creaturas, ſed non tangitur, quia nullius creaturæ virtus naturalis poteſt ad ipſum pertingere;& ſic intellexit Dion.quòd nõ eſt tactus Dei,vt ſcilicet tãgatur:

Præterea ſciendum eſt, quòd Deus immediatè mouet intellectum creatum, quoniam docens mouet intellectum addiſcentis, ſed Deus docet hominem ſcientiam, vt dicitur. Pſal. 93. Ideo mouet intellectum hominis: nam ſicut in motibus corporalibus mouens dicitur quod dat formam, quæ eſt principium motus, ita dicitur mouere intellectum, quod cauſat formam, quæ eſt principium intellectualis operationis, quæ dicitur motus intellectus. Operationis autem intellectus eſt duplex principium in intelligente: vnum ſcilicet quod eſt ipſa virtus intellectualis, quod quidem principium eſt etiã in intelligente in potentia: Aliud autem eſt principium intelligendi in actu, ſcilicet ſimilitudo rei intellectæ: Dicitur ergo aliquid mouere intellectum, ſiue det intelligenti virtutem ad intelligendum, ſiue imprimat ei ſimilitudinem rei intellectæ. Vtroq; autem modo Deus mouet intellectum creatum. Ipſe enim eſt primum ens immateriale, & quia intellectualitas conſequitur immaterialitatem, ſequitur quòd ipſe ſit primum intelligens. Vnde cum primum in quolibet ordine ſit cauſa eorum quæ conſequuntur, ſequitur quod ab ipſo ſit omnis virtus intelligendi. Similitercum ipſe ſit primum ens, & omnia entia præexi-

ſtant in ipſo ſicut in prima cauſa, oportet quod ſint in eo intelligibiliter ſecundum modum eius: ſicut enim omnes rationes rerum intelligibiles primo exiſtunt in Deo, & ab eo deriuantur in alios intellectus, vt actu intelligant, ſic etiam deriuantur in creaturas, vt ſubſiſtant. Sic igitur Deus mouet intellectum, in quantum dat virtutem ad intelligendum, vel naturalem, vel ſuper additam, & in quantum imprimit ei ſpecies intelligibiles, & vtrunque tenet, & conſeruat in eſſe. Non obſt. quod actio intellectus ſit ab eo, in quo eſt, cum non tranſeat in exteriorem materiam, vt habetur. 9. Metaphi. textu. 4. Actio autem eius quod mouetur ab alio, non eſt ab eo in quo eſt, ſed à mouente. Nam reſp. quod operatio intellectualis eſt quidem ab intellectu, in quo eſt, ſicut à cauſa ſecunda, ſed à Deo, ſicut à cauſa prima: ab ipſo enim datur intelligenti, quod intelligere poſsit.

Pręterea notandum eſt, ꝙ Deus non ſolũ mouet intellectum, ſed poteſt mouere etiam voluntatem: dicitur enim Philip. 2. Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere. Nam ſicut intellectus mouetur ab obiecto, & ab eo qui dedit virtutem intelligendi, ita voluntas mouetur ab obiecto, quòd eſt bonum, & ab eo qui creat virtutem volendi: poteſt autem voluntas moueri ſicut ab obiecto à quocunq; bono, non autem ſufficienter, & efficaciter, niſi à Deo. Non enim ſufficienter aliquid poteſt mouere aliquod mobile, niſi virtus actiua mouentis excedat, vel ſaltem adęquet virtutem paſſiuam mobilis. Virtus autem paſsiua voluntatis ſe extendit ab bonum in vniuerſali: eſt enim eius obiectum bonum vniuerſale, ſicut & intellectus obiectum eſt ens vniuerſale. Quodlibet autem bonum creatum eſt quoddam particulare bonum; ſolus autem Deus, eſt bonum vniuerſale: vnde ipſe ſolus implet voluntatem, & ſufficienter eam mouet, vt obiectum, ſimiliter autem & virtus volendi à ſolo Deo cauſatur, velle autem nihil aliud eſt, quam inclinatio quædam, in obiectum voluntatis, quòd eſt bonum vniuerſale. Inclinare autem in bonum vniuerſale eſt primi mouentis, cui proportionatur vltimus finis, ſicut in rebus humanis dirigere ad bonum commune eſt eius qui præeſt multitudini: vnde vtroque modo proprium eſt Dei mouere voluntatem, ſed maximè ſecundo modo, interius eam inclinando.

Non obſt. quòd omne quod mouetur ab extrinſeco dicatur cogi, voluntas autem non poſsit cogi. Nam reſp. quód illud, quòd mouetur ab altero dicitur cogi, ſi moueatur contra inclinationem propriam; ſed ſi moueatur ab alio quod ſibi dat propriam inclinationem, non dicitur cogi ſicut graue cum mouetur deorſum à generante, non cogitur? Sic igitur Deus mouendo volun-

tatem, non cogit ipſam, quia dat ei eius propriam inclinationem. Neque per hoc dicuntur contradictoria ſimul. Nam licet ſit verum, quòd voluntariè moueri, ſit ex ſe moueri non ab alio, hoc debet intelligi de principio intrinſeco, ſed illud eſſe poteſt ab alio extrinſeco: & ſic moueri ex ſe non repugnat ei quod mouetur ab alio, nam ſi voluntas ita moueretur ab alio, quòd ex ſe nullatenus moueretur, opera quidem voluntatis non imputarentur ad meritum, vel demeritum. Sed quia per hoc quod mouetur ab alio, non excluditur quin moueatur ex ſe, ideo per conſequens non tollitur ratio meriti, vel demeriti, ex quibus omnibus elicitur concluſio, quòd Deus operetur in omni operante; dicitur enim Eſai. 26. Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine: quòd tamen intelligendum eſt, vt res propriam habeat operationem; pro quo conſiderandum eſt, quod cum ſint quatuor genera cauſarum, Materia non eſt principium actionis ſed ſe habet vt ſubiectum recipiens actionis effectum, Finis verò, & agens, & forma ſe habent vt actionis principium, ſed ordine quodam. Nam primum quidem principium actionis eſt finis, qui mouet agentem, ſecundo verò agens. Tertio autem forma eius quod ab agente applicatur ad agendum, quamuis & ipſum agens per formam ſuam agat; vt patet in artificialibus, Artifex enim mouetur ad agendum à fine, qui eſt ipſum operatum, puta arca, vel lectus, & applicat ad actionem ſecurim, quæ incidit per acumen.

Sic igitur ſecundum hæc tria Deus in quolibet operante operatur, primo quidem ſecundum rationem finis, cum enim omnis operatio ſit propter aliquod bonum verum, vel apparens, nihil autem eſt, vel apparet bonum niſi ſecundum quod participat aliquam ſimilitudinem ſummi boni, quod eſt Deus, ſequitur quod ipſe Deus ſit cuiuſlibet operationis cauſa, vt finis, ſimiliter conſiderandum eſt, quod ſi ſunt multa agentia ordinata, ſemper ſecundum agens agit virtute primi agentis. Nam primum agens mouet ſecundum ad agendum, & ſecundum hoc omnia agunt in virtute ipſius Dei, & ita ipſe eſt cauſa omnium actionum agentium. Tertio conſiderandum eſt, quod Deus mouet non ſolum res ad operandum, quaſi applicando formas, & virtutes rerum ad operationem, ſicut etiam artifex applicat ſecurim ad ſcindendum, qui tamen interdum formam ſecuri non tribuit, ſed etiam dat formam creaturis agentibus, & eas tenet in eſſe, vnde non ſolum eſt cauſa actionum in quantum dat formam, quæ eſt principium actionis, ſicut generans dicitur eſſe cauſa motus grauium, & leuium, ſed etiam ſicut conſeruans, & formas, & virtutes rerum, prout ſol

dicitur causa manifestationis colorum, in quantum dat, & conseruat lumen, quo manifestantur colores. Et quia forma rei est intra rem, & tanto magis quanto consideratur, vt prior, & vniuersaliter, & ipse Deus est propriè causa ipsius esse vniuersalis in rebus omnibus, quod inter omnia, est magis intimum rebus, sequitur quòd Deus in omnibus intimè operetur: & propter hoc in sacra scriptura operationes naturę Deo attribuuntur, quasi operanti & natura; secundum illud Iob. 10. Pelle & carnibus vestisti me, ossibus & neruis compegisti me. Deus igitur operatur in omni operante, nec propter hoc superfluit operatio secundorũ agentium. Nam Deus operatur in nobis ad modum primi agentis, & nihil prohibet, quin vna, & eadem actio procedat à primo, & secundo agente, & licet hoc Deus fecerit à principio, quando rem fecit, operatur tamen conseruando res in esse, & applicando eas ad agendum, & est finis omnium actionum S.Tho. 1. par. q. 105. art. 1. & seq.

QVAESTIO III.

Tertio quæritur, vtrum Deus possit aliquid ad nihilum redigere. Respon. quòd sic: Dicitur enim Ierem. 10. Corripe me Domine veruntamen in iudicio, & non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me, quoniam sicut Deus libera voluntate omnia produxit in esse, iuxta illud Psal. Omnia quæcunq; voluit Dominus fecit. Hoc igitur quòd Deus creaturæ esse cõmunicat, ex Dei voluntate dependet, nec aliter in esse conseruat, nisi in quantum eis continuè influit esse, sicut ergo antequam res essent, potuit eis non communicare esse, & sic eas non facere, ita postquam iam factæ sunt, potest eis non influere esse, & sic esse desinerent, quod est eas in nihilum redigere, & licet Deus non sit causa tendendi in nõ esse, vt dicit Aug. in lib. 83. qq. in q. 21. Hoc tamen habet creatura ex se ipsa, in quantum est de nihilo, & per accidens Deus potest esse causa, quod res in nihilum redigantur, subtrahendo scilicet suã actionem à rebus. Similiter non obst. quòd Deus sit causa rerum, vt sint per suam bonitatẽ, vt dicit Aug. in lib. 1. de doct. Chris. c. 32. Ita vt in quantum Deus bonus est, sumus. Deus autem non potest non esse bonus, & per consequens, facere non potest quod res non sint. Nam resp. quòd bonitas Dei est causa rerum, non quasi ex necessitate naturæ, quia diuina bonitas non pendet à rebus creatis, sed per liberam voluntatem: vnde sicut potuit sine præiudicio bonitatis suæ, res non producere in esse, ita absque detrimento suæ bonitatis potest res in esse non conseruare. Non obst. etiam, quòd

ſi Deus in nihilum aliqua redigeret, oporteret quod hoc fieret per aliquam actionem, quòd non poteſt eſſe, quia omnis actio terminatur ad aliquod ens: vnde actio corrumpentis terminatur ad aliquod generatũ, quia generatio vnius eſt corruptio alterius. Nam reſp. quòd ſi Deus rem aliquam redigeret in nihilum, hoc nõ eſſet per aliquam actionem, ſed per hoc quod ab agendo ceſſaret. Non tamen dicendum eſt, quòd ſui natura aliquid in nihilum redigatur: dicitur enim Eccl. 3. Didici quòd omnia opera, quæ fecit Deus perſeuerant in æternum. Nam eorum quæ à Deo fiunt circa creaturam, quædam proueniunt ſecundum naturalem curſum rerum, quædam verò miraculosè operantur præter ordinem naturalem creaturis inditum; quæ autem facturus eſt Deus ſecundum ordinẽ naturalem rebus inditum, conſiderari poſſunt ex ipſis rerum naturis, quæ verò miraculosè fiunt, ordinantur ad gratiæ manifeſtationem, ſecundum illud Apoſt. 1. Cor. 12. Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem: Et poſtmodum inter cætera ſubdit de miraculorum operatione. Creaturarum autem naturæ hoc demõſtrant, vt nulla earum in nihilum redigatur, quia vel ſunt immateriales, & ſic in eis non eſt potentia ad non eſſe, vel ſunt materiales, & ſic ſaltem remanent ſemper ſecundum materiam, quæ incorruptibilis eſt, vtpotè ſubiectum exiſtens generationis, & corruptionis. Redigere etiam aliqua in nihilum, non pertinet ad gratiæ manifeſtationẽ, cum magis per hoc diuina potentia, & bonitas oſtendatur, quod res in eſſe conſeruat. Vnde ſimpliciter dicendum eſt, quòd nihil omninò in nihilum redigetur.

Non obſt. quòd finis reſpondere debeat principio, & à principio nihil erat niſi Deus, ergo ad hunc finem res producuntur, vt nihil ſit niſi Deus. Nam reſp. quòd hoc quod res in eſſe productæ ſunt, poſtquam non fuerunt, declarat potentiam producentis; ſed quod in nihilum redigerentur huiuſmodi manifeſtationem impediret, cum Dei potentia in hoc maximè oſtendatur, quod res in eſſe conſeruat, ſecundum illud Apoſt. Hebr. 1. Portans omnia verbo virtutis ſuæ. Nec obſt. quòd omnis creatura habeat potentiam finitam, & nulla potentia finita ſe extendit ad infinitum, vt dicitur in 8. Phiſic. text. 78. Nam reſp. quòd potentia creaturæ ad eſſendum eſt receptiua tantum; ſed potentia actiua eſt ipſius Dei, à quo eſt influxus eſſendi, vnde quod res in infinitum durent, ſequitur infinitatem diuinæ virtutis.

Non obſt. quòd formæ, & accidentia non habeant materiam partem ſui, ſed quandoque deſinant eſſe. Nã reſp. quòd formæ & accidentia non ſunt entia completa, cum non ſubſiſtant; ſed quodlibet eorum eſt aliquid ens, ſic enim ens dicitur, quia eo aliquid eſt. Et

tamen eo modo quo sunt, non omninò in nihilum rediguntur, non quia pars eorum aliqua remanet, sed remanet in potentia materiæ, vel subiecti. S.Th.1.p.q.104.art.3.& 4.

QVAESTIO IIII.

QVarto, quia miracula quæ fiunt sunt præter ordinem datū rebus à natura, ideo quarto loco quærendum est, vtrū Deus possit facere aliquid præter ordinem rebus inditum? Resp.ꝙ sic, dicit enim Aug. contra Faustū lib.26.c.3. Quòd Deus aliquando aliquid facit contra solitū cursum naturę, à qualibet enim causa deriuatur aliquis ordo in suos effectus, cū quęlibet causa habeat rationē principij: & ideo secundū multiplicationem causarum multiplicātur, & ordines, quorum vnus continetur sub altero, sicut & causa continetur sub causa, vnde causa superior non cōtinetur sub ordine causæ inferioris: sed econuerso, cuius exemplum apparet in rebus humanis. Nā ex patrefamilias dependet ordo domus, qui continetur sub ordine Ciuitatis, qui procedit à Ciuitatis Rectore, cum & hic continetur sub ordine Regis, à quo totum regnū ordinatur. Si ergo ordo rerum consideretur, prout dependet à prima causa, sic cōtra rerum ordinem Deus facere non potest: sic enim si faceret, faceret contra suam pręscientiam. Si verò consideretur rerum ordo, prout dependet à qualibet secundarum causarum, sic Deus potest facere præter ordinem rerū; quia ordini secundarum, ipse non est subiectus, sed talis ordo ei subijcitur, quasi ab eo procedens, nō per necessitatem naturæ, sed per arbitrium voluntatis. Potuisset enim & alium ordinem rerum instituere: vnde & potest præter hunc ordinem institutum agere cum voluerit; puta agendo effectus secundarum causarū sine ipsis, vel producendo aliquos effectus, ad quos causæ secundæ non se extendunt; vnde & Aug. dicit lib.26. contra Faustum. Quòd Deus contra solitum cursum naturæ facit, sed contra summam legem nullo modo facit, quia cōtra se ipsum nō facit.

Vnde non obstat, quòd sicut ordo iustitiæ, est à Deo, ita & ordo naturæ, & cōtra ordinem iustitiæ Deus nihil facit. Nam resp. quòd ordo iustitiæ est secundum relationem ad causam primam, quæ est regula omnis iustitiæ; & ideo præter hunc ordinem Deus nihil facere potest: potest tamen facere prætet rerum ordinem, vt dependent ex causis secundis, neq; per hoc dicitur mutabilis, quia Deus sic rebus certum ordinem indidit; vt tamen sibi reseruaret, quod ipse aliquando aliter ex causa esset facturus, vnde cum per hunc ordinem agit, non mutatur. S.Tho.1.p.q.105.art.6.

QVAESTIO V.

QVoniam in miraculis ostenditur maximè nedũ, potentia Dei, sed etiam eius sapientia: ideò quinto loco vidẽdum est, an in Deo sit scientia. Ad quod resp. quòd cum Deus sit in summo immaterialitatis, sequitur quod ipse sit in summo cognitionis, vnde ad Rom. 2. O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, ita vt se per se ipsum dicatur intelligere, iuxta illud 1. Cor. 2. Quæ sunt Dei nemo nouit, nisi spiritus Dei; & se ipsum dicatur comprehendere. Omnis enim qui se intelligit, se cõprehendit. Aug. in lib. 83. qq. in q. 14. Et eius intelligere dicitur eius substãtia: nam vt inquit Aug. lib. 7. de Trin. c. 7. Deo hoc est esse, quod sapientem est. Hoc autem est sapientem esse, quod intelligere, ideo Deo hoc est esse quod intelligere, sed esse Dei est eius substantia, ergo intelligere Dei est eius substantia, qui dicitur cognoscere etiam alia à se, cum omnia nuda sint oculis eius Hebr. 4.

Eaque cognoscit propria cognitione. Nam habere propriam cognitionem de rebus, est cognoscere res, non solum in communi, sed secundum quod sunt inuicem distinctæ: sic autem Deus cognoscit res; vnde dicitur Hebr. 4. quod pertingit vsque ad diuisionem spiritus, & animæ compagum quoque & medullarum; & discretor cogitationum, & intentionum cordis, & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, nec eius scientia dicitur discursiua, sed omnia simul perfecte intelligit. vnde Aug. lib. 5. de trin. c. 14. Deus non particulatim, vel sigillatim omnia videt, velut alternante conceptu hinc, illuc, inde, huc, sed omnia videt simul; & eius scientia est causa rerum, cum esse & intelligere in Deo sint indistincta, vnde Aug. lib. 15. de trin. cap. 15. dicit vniuersas creaturas & spirituales & corporales, non quia sunt, ideo nouit Deus, sed ideo sunt, quia nouit. Nouit quoque non entia, vt dicitur ad Rom. 4. Qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt.

Et ne dum bonorum, sed etiam malorum cognitionem habet, vt dicitur Prou. 15. Infernus & perditio corã Deo, item ne dum vniuersalium, sed etiã singularium est ei cognitio, iuxta Prou. 26. Omnes viæ hominum patent oculis eius. Necnon ne dum finitorum, sed infinitorum est cognitor; vt dicit Aug. lib. 12. de Ciuit. Dei c. 18. Quamuis infinitorum numerorum nullus sit numerus; non tamen incomprehensibilis ei, cuius scientię non est numerus, sicuti non tantum pręsentia, verum quoque futura cognoscit Psal. 32. Qui finxit sigillatim cor eorum, qui intelligit omnia opera eorum, scilicet hominum, quę sunt contingentia, vtpotè libero arbitrio

subie-

subiecta S. Thom. 1. part. q. 14. art. 1. & seq.

Praeterea sciendum est, quòd Deo conuenit nedum scientia, sed etiam prouidentia, cum in eius mente diuina praeexistant omnium rerum rationes, prout in finem, & pręcipuè vltimum ordinantur, in eo prouidentiam esse necesse est, quę est ratio ordinis rerum in finem: vnde Sap. 14. Tu autem pater gubernas omnia prouidentia, & nedum in vniuersali; sed etiam in particulari prouidet; Sap. 8. Dicit de diuina sapientia, quod attingit à fine vsque ad finē fortiter, & disponit omnia suauiter, qui immediatè omnibus prouidet quoad ordinis rationem, Iob. 34. Quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est, super quo dicit Greg. lib. 24. Moral. c. 26. Mundum per se ipsum regit, quem per se ipsum condidit. Quo verò ad executionem ordinis per aliqua media prouidet; cuius prouidentia non omnibus rebus necessitatem imponit, sed quibusdam, quibus pręparauit causas necessarias, non excludens cōtingentia; S. Th. 1. p. q. 22. ar. 1. & seq.

Ex quibus sequitur, quòd cum omnia, quę sunt in mundo certos, determinatos fines consequantur, necesse est, quòd à diuina sapientia gubernentur: dicitur enim Sap. 14. Tu autem pater gubernas omnia prouidentia, & Boet. lib. 3. de consol. Metro. 9. O qui perpetua mundum ratione gubernas, cuius finis est bonum extrinsecum ab vniuerso, quod est Deus finis enim debet respondere principio. Cum igitur principium vniuersi sit ipse Deus, necesse quoque est, quòd etiam ipsarum finis sit ipsemet Deus: vnde Prou. 16. Vniuersa propter se operatus est Dominus. Qui solus dicitur gubernator totius mundi, vnum enim Deum, & Dominum confitemur, secundum Apost. 1. Cor. 8. Nobis est vnus Deus pater, & Dominus vnus, quorum vtrumq; ad gubernationem pertinet. Nam ad Dominum pertinet gubernatio subditorum, & Dei nomen ex prouidentia sumitur, optima quidem gubernatio est, quę fit per vnum: cuius ratio est, quia gubernatio nihil aliud est, quam directio gubernatorū ad finem, qui est aliquod bonum: vnitas autem pertinet ad rationē bonitatis; dicit enim Philos. in lib. 12. Methaph. Entia nolunt male disponi, nec bonum pluralitas principatuum; vnus ergo princeps.

Pręterea sciendum est, quod Deus non solum est solus gubernator vniuersi, sed etiam singularum rerum, nam secundum eandem rationem competit Deo esse gubernatorem rerum, & causa earū, quia eiusdem est rem producere, & ei perfectionem dare, quod ad gubernationem pertinet, Deus autem est causa non quidē particularis vnius generis rerum, sed vniuersalis totius entis, vnde sicut nihil potest esse, quod non sit à Deo creatum, ita nihil potest esse quod eius gubernationi non sub datur, Ideo Aug. 5. de Ciuit.

Dei c.11.dicit quod Deus non solum cęlũ & terram, nec solum hominem & Angelum, sed nec exigui, & contemptibilis animantis viscera, nec auis penulam, nec herbę flosculum, nec arboris folium, sine suarum partium conuenientia derelinquit.

Gubernantur autem à Deo omnia immediate secundum rationem gubernationis, quo verò ad executionem, quędam mediantibus alijs, gubernantur, vnde Aug. 3.de Trin.c. 4. dicit, queadmodũ corpora grosiora, & inferiora per subtiliora & potentiora quodã ordine reguntur, ita omnia corpora per spiritũ vitę rationalem, & spiritus vitæ rationalis desertor, atque peccator per spiritum vitæ rationalem pium, & iustum; & illæ per ipsum Deum.

Pręterea sciendum est, quod pręter ordinem diuinæ gubernationis, potest euenire aliquis effectus particularis alicuius causę, non autem præter ordinem causæ vniuersalis, vnde Hester.13.dicitur, Domine Deus Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui posit resistere tuæ voluntati, vnde sequitur quod nihil reniti potest contra ordinem gubernationis diuinæ, secundum Boet. lib.3. de consol. prosa 12. Non est aliquid quod summo huic bono, vel velit, vel posit obsistere: est igitur summum bonũ quod regit cuncta fortiter, suauiterque disponit, vt dicitur Sap.8.quod intelligitur vt non contrarietur ordinationi diuinæ in generali, sed bene in speciali, quo casu transgressores Iustè puniũtur à Deo: Similiter ex hoc quod vna res alteri contra pugnat, ostẽditur quod aliquid reniti potest ordini, qui est ex aliqua causa particulari, nõ autem ordini qui dependet à causa vniuersali totius S.Tom.1.par. q.103.Art.2.

Præterea notandum est, quod res creatæ, non solum subiacent prouidentiæ, & gubernationi diuinæ, sed si à Deo non conseruantur ad nihilum reducerentur, dicitur enim ad Hębr.1. Portans omnia verbo virtutis suę, Dependet enim esse cuiuslibet creaturæ à Deo, ita quod nec ad momentum subsistere possent, nisi operatione diuinæ virtutis conseruarentur in esse, cum omnis effectus depẽdeat à sua causa, secundum quod est causa eius, sic autem se habet omnis creatura ad Deum, sicut aer ad solem illuminantem, sicut enim sol est lucens per suam naturam, aer autem fit luminosus participando lumen à sole; non tamen participando naturã solis: ita solus Deus est ens per essentiam suam, quia eius essentia est suum esse, omnis autẽ creatura est ens participatiue, non quod sua essentia sit eius essẽ; & Ideo Aug. in lib. 4. Gen. ad litteram. c. 12. dicit virtus Dei ab eis, quæ creata sunt regendis, si cessaret aliquando, simul & illorum cessaret species, omnisque natura concideret, & 8.eiusdem lib.cap.12. dicit quod sicut aer præsente lumine

mine fit lucidus, sic homo Deo sibi præsente illuminatur, absente autem continuo tenebratur.

Deus tamen non omnia immediate conseruat in esse; per idem enim conseruatur res, per quod habet esse, sed Deus dat esse rebus mediantibus aliquibus causis medijs. ergo etiam res in esse conseruat mediantibus aliquibus causis, Manifestum est enim quod etiam in rebus corporalibus multa sunt, quæ impediunt actiones corrumpentium, & per hoc dicuntur rerum conseruatiua, sicut sal impedit carnes à putrefactione, & simile est in multis alijs. S. Thom. 1. p. q. 104. Art. 1. 2.

Notandum est præterea, quod Deus dicitur esse in omnibus rebus, vbicumque enim operatur aliquid ibi est, sed Deus operatur in omnibus, secundum illud Isa. 26. omnia opera nostra operatus es in nobis Domine, vnde dicitur esse in omnibus rebus, non quidem sicut pars essentiæ, vel sicut accidens, sed sicut agens adest ei in quod agit, oportet enim omne agens coniungi ei, in quo immediate agit, & sua virtute illud contingere, vnde mouens & motum apparet esse simul, 7. Phisic. textu 10.

Cum autem Deus sit ipsum esse per suam essentiam, oportet quod esse creatũ sit proprius effectus eius, sicut ignire est proprius effectus ipsius ignis. Hunc autem effectum causat Deus in rebus, non solum quando primo esse incipiunt, sed quamdiu in esse conseruantur, sicut lumen causatus in aere à sole, quandiu aer illuminatus manet, quandiu igitur res habet esse, tandiu oportet, quod Deus adsit ei secundum modum quo esse habet. Esse autem est illud, quod est magis intimum cuilibet, & quod profundius omnibus inest, cum sit formale respectu omnium, quæ in re sunt, vnde oportet quod Deus sit in omnibus rebus, & intime.

Non obst. quod Deus sit super omnia, vt In Psal. excelsus super omnes gentes Dominus, Nam Resp. quod Deus est super omnia per excellentiam suæ naturæ, & tamen est In omnibus rebus, vt causans omnium esse. Non obst. quod esse in aliquo, dicatur contineri ab eo, Deus autem à rebus non continetur, sed magis ipse continet res, Nam Resp. quod licet corporalia dicantur esse in aliquo, sicut in continente, tamen spiritualia continent ea, in quibus sunt, sicut anima continet corpus, vnde & Deus est in rebus sicut continens res. Non obst. quod Deus non possit dici in dæmonibus, dicitur enim 2. Cor. 6. Non enim est conuentio lucis ad tenebras, Nam Resp. quod in dæmonibus intelligitur natura, quę est à Deo, & deformitas culpę, quę non est ab ipso, & ideo non est dicendum absolute, quod Deus sit in dęmonibus, sed cum hac additione, in quantum sunt res quędam, In rebus autem quę nominant

nant naturam non deformatam abſolute dicendum eſt Deum eſſe; Dicitur quoque Deum eſſe vbique, dicitur enim Hyrem. 23. Cœlum, & terram ego Impleo, eſt autem in omnibus locis, quibus confert virtutem conſeruatiuam locati, & replens omnia loca, non ſicut corpus impediens alia locari, ſed cauſando quod omnia alia ſint in loco, & illum repleant, vnde ſicut anima eſt tota in qualibet parte corporis, ita Deus totus eſt in omnibus & ſingulis, non quidem per contactum quantitatis dimenſiuę, ſicut corpora, ſed per contactum virtutis, & dicitur eſſe vbique & in omnibus per potentiam in quantum omnia eius poteſtati ſubduntur, & per pręſentiam in omnibus, in quantum omnia nuda ſunt & aperta oculis eius, & per eſſentiam in omnibus dicitur, in quantum adeſt omnibus, vt cauſa eſſendi, tamen familiari modo dicitur eſſe in aliquibus per gratiam. Greg. in Homil. 8. ſuper Ezech. Non obſt. quod idem ſit per eſſentiam eſſe in aliquo, quod eſſentialiter eſt in eo, Deus autem non eſt eſſentialiter in rebus, non enim eſt de eſſentia alicuius rei; Nam Reſp. quod Deus dicitur eſſe in omnibus rebus per eſſentiã nõ quidem rerũ quaſi ſit de eſſentia earũ, ſed per eſſentiam ſuam, quia ſubſtantia ſua adeſt omnibus, vt cauſa eſſendi.

Pręterea ſciendum eſt, quòd eſſe vbiq; eſt proprium Dei, vt dicit Ambr. in lib. 1. c. 7. de Spiritu ſancto. Quis audeat creaturam dicere Spiritũ ſanctum, qui in omnibus, & vbique, & ſemper eſt? Quod vtique diuinitatis eſt proprium, quia quotcunque loca ponantur, etiam ſi ponerentur infinita, pręter iſta quę ſunt, oporteret in omnibus eſſe Deum; quia nihil poteſt eſſe niſi per ipſum, & eſt vbique non ſecundum partem, ſed ſecundum ſe ipſum.

Nõ obſt. quòd vniuerſale, & materia prima dicũtur eſſe vbique; nam licet ſint vbique, non tamen ſecundũ idem eſſe. Similiter non obſt. quòd numerus ſit in numeratis, & totum vniuerſum eſt conſtitutũ in numero, Sap. 2. Nam reſp. quòd numerus cum ſit accidens, non eſt per ſe, ſed per accidens in loco. Nec eſt totus in quolibet numeratorum, ſed ſecundum partem, ſicuti dicitur, quòd totum corpus vniuerſi eſt vbique, ſed non primo. quia non totum eſt in quolibet loco, ſecundum ſuas partes. Nec iterum per ſe, quia ſi ponerentur aliqua alia loca, non eſſet in eis, ſicuti eſt Deus. S. Tho. 1. par. q. 8. art. 1. & ſeqq.

QVÆSTIO VI.

SExto quæritur de bonitate Dei in qua maximè relucent miracula eius. Et primo dicendum eſt, quòd dicitur Prou. 16. Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus. Nam ſi alicuius

totius,

totius, & partium eius velimus assignare finem, inuenimus primo quidem, quod singulæ partes sunt propter suos actus, sicut oculus ad videndum, secundo verò, quod pars ignobilior, est propter nobiliorem, sicut sensus propter intellectum, & pulmo propter cor. Tertio verò omnes partes sunt propter perfectionem totius, sicut & materia propter formam. Partes enim sunt quasi materia totius, vlterius autem totus homo est propter aliquem finem extrinsecum, puta vt fruatur Deo: sic igitur & in partibus vniuersi vna quęque creatura est propter suum proprium actum, & perfectionem, secundo autem creaturæ ignobiliores sunt propter nobiliores, sicut creaturæ, quæ sunt infra hominem, sunt propter hominem. vlterius autem singulæ creaturæ sunt propter perfectionem totius vniuersi, & totum vniuersum cum singulis suis partibus ordinatur in Deum sicut in finem, in quantum in eis per quandam imitationē diuina bonitas repræsentatur ad gloriam Dei, quamuis cræaturæ rationales speciali quod admodo super hoc habeant finem Deum, quem attingere possunt sua operatione cognoscendo, & amando, & sic patet quod diuina bonitas est finis omnium, quæ operatus es Deus. S.Tom.1.p.q.65. art. 2.

Ideo dicendũ est, ꝙ bonũ esse pręcipuè conueniat Deo, nam bonũ aliquid est secũdũ quod est appetibile, vnũ quodq; autē appetit suā perfectionē. Perfectio autē, & forma effectus est quędā similitudo agentis, cũ omne agens, agat sibi simile, vnde ipsum agens est appetibile, & habet rationē boni, hoc autem est quod de ipso appetitur, vt eius similitudo participetur. Cum ergo Deus sit causa effectiua omnino, manifestũ est, quod sibi cōpetit ratio boni & appetibilis; vnde Dion. in c.4. de Diuin. nom. attribuit bonum Deo sicut primæ causæ efficienti; dicens quòd bonus dicitur Deus, sicut ex quo omnia subsistant, & Tren.3. Bonus est Dominus sperantibus in eo animæ quærenti illum; Deus autē nō solum dicitur bonus, sed etiā summum bonum, cum bonum sit in Deo sicut in prima causa, vnde Aug. in 1. de Trin. Dicit, quod Trinitas diuinarum personarum est summum bonum, quod purgatissimis mentibus cernitur; est etiam bonus per suam essentiam, dicit enim Boet. in lib. de Hebd. quod alia omnia à Deo sunt bona per participationem, nam vnũ quodque dicitur bonum secundum quod est perfectum, perfectio autem alicuius rei triplex est. Prima quidem secundum quod in suo esse constituitur. Secunda verò pro vt ei aliqua accidentia super adduntur ad suam perfectam operationem necessaria, tertia per hoc quod aliud attingit sicut finem: vt pote prima perfectio ignis consistit in esse, quod habeat per suam formam substantialē. Secunda verò eius perfectio consistit in caliditate, leuitate, & sic-

citate,& huiuſmodi. Tertia ſecundum quod in loco ſuo quieſcit: Hæc triplex perfectio nulli creato competit, ſecundum ſuam eſſentiã ſed ſoli Deo, cuius ſolius eſſentia eſt ſuum eſſe, & cui non adueniunt aliqua accidentia, ſed quæ de alijs dicuntur accidentaliter, ſibi conueniunt eſſentialiter, vt eſſe potentem, ſapientem, & huiuſmodi; Ipſe etiam ad nihil aliud ordinatur, ſicut ad finem, ſed ipſe eſt vltimus finis omnium rerum.

Vnde manifeſtum eſt, quod ſolus Deus habet omnimodam perfectionem, ſecundum ſuam eſſentiam, & ideo ipſe ſolus eſt bonus per ſuam eſſentiam, & vnumquodque dicitur bonum bonitate diuina, ſicut primo principio exemplari effectiuo, & finali totius bonitatis; Nihilominus tamen vnumquodque dicitur bonum ſimilitudine diuinæ bonitatis ſibi inhærente, quę eſt formaliter ſua bonitas denominans ipſum, vnde eſt vna bonitas omnium, quę eſt Deus, & etiam multę bonitates.

QVAESTIO VII.

ET quia in omnibus operibus Dei reperitur miſericordia, & Iuſtitia, Iuxta illud Pſ.24. Omnes vię Domini miſericordia & veritas, & pręcipue in miraculis, vt infra patebit ſuo loco, ideo congruenter dicendum eſt de iuſtitia & miſericordia Dei, & primo notandum eſt, in Deo eſſe iuſtitiam vt in Pſal.10. Iuſtus Dominus, & Iuſtitiam dilexit, quod intelligitur de Iuſtitia diſtributiua, ſecundum quam dat vnicuique diſpenſator, ſecundum ſuam dignitatem, vnde ſicut ordo congruus familię, vel cuiuſcumque multitudinis gubernatę demonſtrat huiuſmodi Iuſtitiam in gubernante ita & ordo vniuerſi, qui apparet tam in rebus naturalibus, quam in rebus voluntarijs, demonſtrat Dei Iuſtitiam; vnde Dion. in c. 8. De diuin.nom. oportet videre in hoc veram Dei eſſe Iuſtitiam, quod omnibus tribuit propria ſecundum vniuſcuiuſque exiſtentium dignitatem, & vnius cuiuſque naturam in proprio ſaluat ordine, & virtute.

Iuſtitia verò commutatiua, non competit Deo, quia vt dicit Paul. ad Rom.11. Quis prior dedit illi & retribuetur ei, Deus enim operatur Iuſtitiam quando dat vnicuique quod ei debetur, ſecundum rationem ſuę naturę, & conditionis, & licet Deus hoc modo debitum alicui det, non tamen ipſe eſt debitor, quia ipſe ad alia non ordinatur, ſed potius alia in ipſum, Et ideo Iuſtitia quandoque dicitur in Deo condecentia, ſiue bonitas, quandoque vero retributio pro meritis, vnde cum punit malos iuſtus eſt, quia illorum meritis conuenit, cum vero parcit malis, iuſtus eſt quia bonitati ſuę condecens eſt.

Miſe-

Miſericordia quoque dicitur competere Deo; vt dicitur in Pſ. 110. MIſerator & miſeticors Dominum, nou quidem ſecundum paſsionis affectum, ſed ſecundum effectum, nam elargiri perfectiones rebus pertinet quidem, ad bonitatem diuinam, & ad Iuſtitiam, & ad liberalitatem, & miſericordiam; tamen ſecundum aliàm, & aliam rationem. Communicatio enim perfectionum abſolute conſiderata pertinet ad bonitatem, ſed in quantum perfectiones rebus à Deo dantur ſecundum earum proportionem pertinet ad Iuſtitiam In quantum verò non atribuit rebus perfectioné propter vtilitatem ſuam ſed propter ſuam bonitatem, pertinet ad liberalitatem. Inquantum verò perfectiones datæ rebus à Deo omnem defectum expellunt, pertinet ad miſericordiam, & licet miſericordia ſit relaxatio Iuſtitiæ, dũ tamen Deus miſericorditer agit, non tamen facit contra ſuam Iuſtitiam, ſed aliquid ſuper eam operando, ſicut ſi alicui, cui debentur centum denarij, aliquis ducentum det de ſuo, tamen non contra Iuſtitiam facit, ſed liberaliter, vel miſericorditer operatur, & ſimiliter ſi aliquis offenſam in ſe cõmiſſam remittat, qui enim aliquid remittit quodamodo donat illud, vnde Apoſtolus remiſsionem donationem vocat ad Epheſ. 5. Donate inuicem, ſicut & Chriſtus vobis donauit.

Ex quo patet quod miſericordia non tollit Iuſtitiam, ſed eſt quędam Iuſtitiæ plenitudo: vnde Iac. 2. dicit quod miſericordia ſuper exaltat Iudicium, eſt igitur in Deo Iuſtitia & miſericordia, ita vt in omnibus operibus eius reperiatur, vt dictum eſt miſericordia & Iuſtitia, & licet quædam opera Dei attribuantur miſericordiæ, vt Iuſtificatio impij, quædam verò Iuſtitiæ vt damnatio Impiorum, vt dicitur Iac. 2. Iudicium ſine miſericordia fiet ei, qui non fecerit miſericordiam, hoc prouenit quoniam in quibuſdam vehementius apparet iuſtitia, in quibuſdam miſericordia. Et tamen in damnatione reproborum apparet miſericordia, non quidem totaliter relaxans, ſed aliqualiter alleuians, dum punit citra condignum: Et in Iuſtificatione impij apparet iuſtitia dum culpas relexat propter dilectionem, quam tamen ipſe miſericorditer infundit, ſicut de Magdalena legitur. Luc. 7. Dimiſſa ſunt ei peccata, multa quoniam dilexit multum, ſimiliter, licet aliquando Iuſti puniantur in hoc ſeculo, apparet tamen iuſtitia & miſericordia, in quantum per huiuſmodi afflictiones aliqua leuia in eis purgantur, & ab effectu terrenorum in Deum magis eriguntur; vnde Greg. in lib. 25. Moral. c. 9. Mala quæ in hoc mundo nos præmunt, ad Deũ nos ire compellunt, In creatione quoq; huiuſmodi, licet non pręſupponatur aliquid in rerum natura, præſupponitur tamen aliquid in Dei cognitione, & ſecundum hoc etiam ſaluatur ibi ratio Iu-

ſtitię in quantum res in eſſe producitur,ſecundum quod conuenit diuinę ſapientię, & bonitati,& ſaluatur quodamodo ratio miſericordię, inquantum res de non eſſe in eſſe mutatur.

Et quoniam Iuſtitia Dei dicitur veritas, vt habetur in Pſal. 84. Miſericordia & veritas abuiauerunt ſibi,& ponitur ibi veritas pro Iuſtitia S. Thom.1.p.q.21.art.1. & ſeqq. & quoniam Miracula quę fiunt virtute diuina dicuntur vera, & alia falſa, vt patet de factis per Moyſem & Magos Pharaonis, ideo congruum erit aliquid de veritate dicere & hoc maxime ſupponendum eſt, Deum veritatem eſſe Iuxta illud Ioan.14. Ego ſum via veritas, & vita, veritas enim inuenitur in intellectu, ſecundum quod apprehendit rem vt eſt, & in re ſecundum quod habet eſſe conformabile intellectui. Hoc autem maxime inuenitur in Deo, Nam eſſe ſuum, non ſolum eſt conforme ſuo intellectui, ſed etiam eſt ipſum ſuum intelligere, & ſuũ intelligere eſt menſura & cauſa omnis alterius eſſe, & omnis alterius intellectus ipſe eſt ſuum eſſe & intelligere, vnde ſequitur quod non ſolum in ipſo ſit veritas, ſed quod ipſe ſit ipſa ſumma, & prima veritas.S.Thom.1.p.q.16.art 1.& ſeq.

QVAESTIO VIII.

OCtauo quęro, ſecuto ordine Iam prępoſito, quid ſit Miraculum? Reſp.quod miraculum eſt aliquod arduum & inſolitum pręter facultatẽ naturę, & ſpem ad mirantis proueniens S. Thom. in 1.p.q.105.art.7.in 1. Rayn.in ver. Miraculum cap.1.dicitur arduum, non propter dignitatem rei, in qua fit, nam quandoque reperitur factum in re minima, ſed quia excedit facultatem naturę, ſimiliter inſolitum dicitur,non quia frequenter non inueniatur,ſicuti infirmi ponebantur in plateis ad vmbram Petri vt ſanarentur; ſed quia pręter naturalem conſuetudinem; ſupra facultatem autem naturę dicitur aliquid non ſolum propter ſubſtantiam facti,vt cum aliquis ſanatur à febribus, ſed etiam propter modum & ordinem faciendi, ſupra ſpem etiam naturę miraculum eſſe dicitur, non ſupra ſpem gratiæ,quæ eſt ex fide per quam credimus reſurrectionem futuram De qua Paul. ad Rom.4.c. qui contra ſpem.ſ. naturæ in ſpem.ſ. gratiæ credidit; vnde Aug. contra Fauſtum lib. 26. cap. 3.Cum Deus aliquid facit contra cognitum nobis curſum ſolitumque naturæ, magnalia, vel mirabilia nominantur, nomen enim miraculi ab admiratione ſumitur. Admiratio autem conſurgit cum effectus ſunt manifeſti, & cauſa occulta, ſicut aliquis ad miratur cum videt Eclipſim ſolis, & ignorat cauſam; vt dicitur 1.Metaph.c.2. Poteſt autem cauſa effectus alicuius apparentis alicui

cui

cui esse nota, quæ tamen est alijs incognita. Vnde aliquid est mirũ vni, quòd non est mirum alijs, sicut eclipsim Solis miratur rusticus, non autem Astrologus. Miraculum autem dicitur quasi admiratione plenum, quòd scilicet habet causam simpliciter, & omnibus occultam, hæc autem est Deus: vnde illa quæ fiunt à Deo præter causas nobis notas, miracula dicuntur.

Non obst. quòd creatio mundi, & etiam animarum; & iustificatio impij fiant à Deo præter ordinem naturalem, & tamen hæc miracula non dicuntur. Nam resp. quòd etsi prædicta à solo Deo fiant, non tamen propriè loquendo miracula dicuntur, quia non sunt nota fieri per alias causas, & ita non contingunt præter ordinem naturę, cum hæc ad facultatẽ naturæ non pertineant. Non obst. quòd miraculum dicatur ab admiratione, & admiratio sit de rebus sensui manifestis, & quandoque accidant aliqua pręter ordinem naturalem in rebus sensui non manifestis: sicut cum Apostoli facti sunt scientes, neq; inuenientes, neq; discentes. Nam resp. quòd scientia Apostolorum, quamuis secundum se non fuerit manifesta, manifestabatur tamen in effectibus, ex quibus mirabilis apparebat.

Et nota differentiam esse inter mirabile, miraculum, virtutem, signum, portentum, & prodigium. Nam omne miraculum dicitur mirabile, sed non è contra: nam mirabile dicitur illud cuius causa alicui est nota, & alij ignota, vt dictum est de eclipsi Solis. Miracula enim propriè dicuntur, quæ sola virtute diuina fiunt in rebus illis, in quibus est naturalis ordo admodum contrarium faciendi. Ea verò quæ natura facit, nobis alicui nostrum occulta, vt sunt monstra dicuntur mira, sed non miracula: nam licet fiant contra naturam particularem, non tamen contra naturam vniuersalem, vt fiũt miracula. Virtus dicitur respectu illius à quo fit, ita quòd in quantum miracula excedunt facultatem naturæ, dicuntur virtutes, quæ à solo Deo principaliter sunt, signum est respectu eius ad quod fit, scilicet ad ostendendum virtutem, & sapientiam facientis. Vnde in quantum miracula fiunt ad manifestandum aliquid supernatũrale, scilicet virtutem diuinæ potentiæ, & sapientiæ, ideo miracula communiter dicuntur. Portenta dicuntur miracula in quantũ continent, vel habent excellentiam magnam. Prodigium verò dicitur miraculum in quantum ostendit aliquid à remotis, dicuntur enim prodigia quasi procul aliquid ostendentia; est igitur prodigium miraculum quod signat tantum aliquid in futuro, Rayn. ver. miraculum. c. 1. in fine. S. Tho. 2. 2. q. 178. art. 1. ad 2.

QVAESTIO IX.

Nono quęro quotuplex sit miraculum, & an vnum sit maius altero? Resp. quòd Dominus dicit Ioan. 14. De operibus miraculosis

culosis loquens, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. Miraculum enim vnum alio maius esse contingit, non secundum comparationem ad diuinam potentiam, sed ad facultatem naturæ, quam secundum quosdam gradus excedit in operando virtus diuina. Nam nihil potest dici miraculum ex comparatione potentiæ diuinæ, quia quodcunq; factum diuinæ potentiæ comparatum est minimum: secundum illud Isa. 40. Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt, sed dicitur aliquid miraculum per comparationem ad facultatem naturæ, quam excedit; & ideo secundum quod magis excedit facultatem naturę. secundum hoc maius miraculum dicitur. Excedit autem aliquid facultatem naturæ tripliciter: vno modo quantum ad substantiam facti, sicut quod duo corpora sint simul, vel quod sol retrocedat, aut quod corpus humanum glorificetur, quod nullo modo natura facere potest, & ista tenent primum gradum in miraculis. Secundo aliquid excedit facultatem naturę, non quantum ad id quod fit, sed quantum ad id in quo fit, sicut resuscitatio mortuorum, & illuminatio cæcorum, & similia. Potest enim natura causare vitam, sed non iam mortuo; & potest pręstare visum, sed non iam cæco, & hęc tenent secundum locum in miraculis. Tertio modo excedit aliquid facultatem naturæ, quantum ad modum, & ordinem faciendi, sicut cum aliquis subito per virtutem diuinam à febre curatur absq; curatione, & consueto processu naturę in talibus: vt cum statim aer diuina virtute in pluuias densatur absq; naturalibus causis; sicut factum est ad preces Samuelis, & Elię, & huiusmodi tenēt infimum locum in miraculis. Quęlibet tamen horum habēt diuersos gradus, secundum quod diuersimodè excedunt facultatem naturę. S.Tho. 1. par. q. 105. art. 8.

QVAESTIO X.

Decimo quęro, quis posſit facere miracula? Resp. quòd solus Deus miracula facere potest. Miraculum enim propriè dicitur, cum aliquid fit pręter ordinem naturæ, sed non sufficit ad rationem miraculi, si aliquid fiat præter ordinem naturæ alicuius particularis: quia sic cum aliquis proijcit lapidem sursum miraculum faceret, cum hoc fit pręter ordinem naturę lapidis. Ex hoc ergo aliquid dicitur esse miraculum, quod fit præter ordinem totius naturæ creatę. Hoc autem non potest facere nisi Deus, ideo solus Deus miracula facere potest; vnde Psal. 71. Benedictus Dominus Deus Israel, qui fecit mirabilia solus. S.Tho. 1. p. q. 110. art. 4.

QVÆSTIO XI.

VNdecimo quæro, vtrum Christus potuerit miracula facere? Resp. dicendum, quòd cum in Christo dicantur duę naturę, diuina, scilicet & humana, antequam quæstio præposita soluatur prę-supponendum est conuenientissimum fuisse Deum assumpsisse naturam humanam, vt per visibilia monstrentur inuisibilia Dei; vt dicitur ad Rom. 1. Per incarnationis enim misterium, monstratur simul bonitas, & sapientia, & iustitia, & potentia Dei, vel virtus. Bonitas quidem, quoniam non despexit proprij plasmatis infirmitatem. Iustitia verò quoniam homine victo, non alio quam homine fecit vinci tyrannum, neq; vi eripuit ex morte hominem: Sapientia verò quoniam inuenit difficillimi pretij decentissimam solutionem. Potentia vero, siue virtus infinita, quia nihil est maius, quā Deum fieri hominem. Damasc. lib. 3. orthod. fid. c. 1. S. Tho. 3. p. q. 1. art. 1. Vnde in Concilio Calcedon. dicitur. Confitemur in nouissimis diebus filium Dei vnigenitum in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indiuise, inseparabiliter agnoscendum, nunquam sublata differentia naturarum propter vnionem, congruum autem fuit vt magis assumeretur natura humana, quàm alia, cum dicatur Prou. 8. Deliciæ meæ esse cum filij hominum: & non solum assumpsit naturam, sed etiam humanum corpus; dicit enim Aug. lib. 83. qq. in q. 14. Si phantasma fuit corpus Christi fefellit Christus, & si fallit, veritas non est. Est autem veritas Christus, qui ne dum corpus verum, sed etiam animam assumpsit, & intellectum; vnde dicit Aug. in lib. 3. c. 3. de Agone Christiano. Non eos audiamus, qui solum humanum corpus dicunt esse susceptum à verbo Dei, & sic audiunt quod dictum est: Verbum caro factum est, vt negent illum hominem, vel animam, vel aliquid hominis habuisse, nisi carnem solā: Et in lib. de fide ad Petrum c. 14. Firmissime tene, & nullatenus dubites, Christum filium Dei habere veram nostri generis carnem, & animam rationalem, qui de carne sua dicit. Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa nō habet, sicut me videtis habere. Luc. vlt. Animam quoq; se habere ostendit dicens. Ego pono animam meā, & iterum sumo eam. Ioan. 10. Intellectum quoq; animæ ostendit se habere dicens. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Mat. 11. Et de ipso dicit Isa. 52. Ecce intelliget puer meus. S. Tho. 3. p. q. 5. art. 1. & seq. Assumpsit quoque in humana natura corporis defectus, vt dicitur ad Hebr. 2. In eo in quo passus est, & tentatus potens est, & eis qui tentantur auxiliari, sed ad hoc venit vt nos adiuuaret; vnde & Dauid dicebat. Leuaui oculos meos in montes, vn-

de ve-

de veniet auxilium mihi. Ergo conueniens fuit, vt filius Dei carnē assumpserit infirmitatibus humanis subiacentem, & hoc ex necessitate naturæ, dicitur enim ad Rom.8. Misit Deus filium suum, in similitudinem carnis peccati. Sed cōditio carnis peccati est, quod habeat necessitatem moriendi, & substinendi alias huiusmodi passiones: ideo talis necessitas substinendi hos defectus fuit in carne Christi. Non tamen dicendum est, quòd hos defectus contraxerit, quoniam huiusmodi defectus contrahuntur ex peccato, iuxta illud Rom. 5. Per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors. In Christo autem nullum peccatū fuit, qui nec omnes defectus corporales hominum assumpsit, quoniam contraria non possunt simul fieri in eodem. Sed quædam infirmitates sunt sibi ipsis contrariæ, vtpotè ex contrarijs principijs causatæ; ergo omnes infirmitates humanas non assumpsit.

Nec minus fuit peccatum in eo Ioan. 8. Quis ex vobis arguet me de peccato, & 1. Pet.2. Qui peccatum non fecit, neque fomes peccati, dicit enim Matt.1. Quòd in ea natum est, de Spiritu sancto est. Sed Spiritus sanctus excludit peccatum, & inclinationem peccati, quæ importatur nomine fomitis, sicuti nec etiam ignorantia fuit in eo. Nam ignorantia per ignorantiam nō tollitur. Christus autem ad hoc venit, vt ignorātias nostras auferret: venit enim illuminare his qui in tenebris, & vmbra mortis sedēt. Ideo in Christo non fuit ignorantia. Fuit tamen in eo anima passibilis, vt dicitur in Psal. Ex persona ipsius, repleta est malis anima mea. Non quidem peccatis, sed humanis malis, idest doloribus, vt gl. ibi exponit, & fuit in eo dolor passibilis, tristitia, timor, admiratio, & ira; vnde Isa.53. Verè dolores nostros ipse tulit; & Matt.26. Tristis est anima mea vsque ad mortem; & Marc.14. Cœpit Iesus pauere, & tedere, & Matt.7. Audiens Iesus, scilicet verba Centurionis miratus est: & Ioan.2. De eo dicitur esse impletum, quod in Psal. legitur. Zelus domus tuæ comedit me.

Fuitq; tamen simul viator, & comprehensor, vt dicitur Hierem. 14. Quia colonus futurus est in terra, & quasi viator declinans ad manendum: S.Tho.3.p.q.15.art.1.& seqq. Præterea notandum est, quòd istæ duæ naturæ ita sibi sunt coniunctæ, vt hæc præpositio sit vera si dicatur Deus est homo, & homo est Deus, vt dicitur ad Philip.2. Qui cum in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, & sic ille qui est in forma Dei est homo: sed ille qui est in forma Dei, est Deus; ergo Deus est homo: similiter dicitur ad Rom.9. Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula: sed Christus secūdum carnem

nem est homo; ergo hæc est vera. Homo est Deus; sicuti vera est etiam hæc propositio, Deus factus est homo: de hoc enim dicitur Ioan.1. Verbum caro factum est; quod est idem, ac si dictum esset: Deus homo factus est, secundũ Athan. in Epist. ad Epithetum. Falsa tamen est hæc positio, homo factus est Deus; vt dicit Damasc. lib.3.c.2. orthod. fidei. Non hominem deificatum dicimus, sed Deũ humanatum. Idem autem est fieri Deum, quòd deificari. Ergo hæc est falsa, homo factus est Deus; vnde Christus secundum quod homo non dicitur Deus. Nam illud quòd conuenit Christo, secundum quod homo, conuenit cuilibet homini. Si ergo Christus, secundum quod homo est Deus, sequitur quod omnis homo sit Deus, quod pate esse falsum. S. Tho.3.p.16.art.1.& seqq.

Cum igitur in Christo sint duę naturę, sequitur quod in eo sint duę voluntates diuina, scilicet & humana; vnde dicitur Luc.22. Pater si vis transfer calicem istum à me, veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat; vbi Ambr. dicit. Voluntatem suam ad homines retulit, patris ad diuinitatem, voluntas enim hominis est temporalis, voluntas diuinitatis ęterna; similiter quod in eo sint duę operationes, diuina scilicet & humana; vnde Ambros. lib. 2. de fide c.4. dicit. Quemadmodum eadem operatio diuersę est potestatis, numquid sic potest minor, quemadmodum maior operari, aut vna operatio potest esse, vbi diuersa substantia est: ideo secundum humanitatem dicitur subiectus patri, & sibi ipsi, secundum quod dicitur Ioan.14. Pater maior me est; vnde Aug. lib.1. de Trin.c.7. dicit. Nõ immeritò scriptura vtrumque dicit ęqualem patri filium, & patrẽ filio maiorem, illud enim propter formam Dei, hoc autem propter formam serui sine vlla confusione intelligitur; & Aug. in d. loco dicit. Veritas ostendit secundum istum modum, quo scilicet pater maior est Christo secundum humanitatem, & se ipso minorem filium, & sic accepta est à filio Dei forma serui, vt non admitteretur forma Dei.

Pręterea Christus secundum humanam naturam est seruus Dei patris; secundum illud Ioan. 20. Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum. Sed quicunque est seruus patris est seruus filij; alioquin non omnia, quę sunt patris essent filij. Ergo Christus quãtum ad humanam naturam est seruus sui ipsius, & sibi subditus. S.Tho.3.p.q.20.art.1.& seq.

Pręterea notandum est, quòd licet in Christo sint duę naturę, vt dictum est, vna tamen, & eadem adoratione adoratur diuinitas Christi, & eius humanitas, dicitur enim in Concil. Constantinop.2. can.9. Si quis duabus naturis adorari dicit Christum, (ex quo duę adorationes introducuntur) sed non vna adoratione Deum verbũ

incarnatum cum propria ipsius carne adorat, sicut ab initio Dei Ecclesiæ traditum est, talis anathema sit. S.Tho.3.p.q.25. art.1. Similiter notandum est, mediatorem Dei, & hominum esse proprium Christi, vt dicitur 1.Tim.2. Vnus est mediator Dei, & hominum, homo Iesus Christus, qui secundum quod homo dicitur mediatur Dei, & hominum, vt dicit Aug.lib.9.de Ciuit.Dei.c.15. Non ob hoc mediator est Christus, quia est verbum, maximè quippe immortale, & maximè beatum verbum longe à mortalibus miserijs, sed mediator secundum quod homo. S.Tho.3.p.q.26.art.1.& 2.

Vlterius notandum est, quòd in Christo erant istæ duæ naturæ, quæ manifestatę sunt, primo in eius conceptione. Fuit enim conceptus de Spiritu sancto, ex quo denotatur natura diuina; dicitur Luc. 1. Spiritus sanctus superueniet in te: & Matt. 1. Antequam conuenirent inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. Natus tamen est de Spiritu sancto, non sicut filius, & de Matre virgine sicut filius. Ex qua assumpsit naturam humanam, non quod beata Virgo aliquid actiuè egerit in conceptione corporis Christi, quia vt dicit Aug.in lib.10.c.20.super Genes.ad litterã. Corpus Christi in sola materia corporali per diuinam conceptionis, formationisq; rationem de Virgine assumptum est, non autem secundum aliquam rationem seminalem humanam: principium autem actiuum in generatione dicitur ratio seminalis. S. Tho.3.p. q.32. art. 1. & seq. Ex qua ratione concluditur, quod conceptio Christi fuerit miraculosa; dicit enim Dion.in Epis. ad Caium monachum. Super hominem operabatur Christus ea, quæ sunt hominis; & hoc monstrat Virgo supernaturaliter concipiens. Nam vt dicit Ambr. in lib. de Incarnatione c.6. Multa in hoc misterio, & secundum naturam inuenies, & vltra naturam. Si enim consideremus, id quod est ex parte materiæ conceptus, quam mater ministrauit, totum est naturale. Si verò consideremus id quod est ex parte virtutis actiuæ, totum est miraculosum. Sed quia vnumquodque magis iudicatur secundum formam, quàm secundum materiã, inde est quod conceptio Christi debet dici simpliciter miraculosa, & supernaturalis, sed secundum aliquid naturalis, vnde cõceptio attribuitur Virgini beatæ, non tanquam principio actiuo, sed quia ministrauit materiam conceptui.

Secundò ostenditur hæc duplex naturã ex eius natiuitate, dicit enim Damas.in 3.lib.orthod.fidei c.7. Confitemur duas Christi natiuitates, vna quæ est ex patre æterna, & vna, quæ est in vltimis tẽporibus propter nos, vnde beata Virgo dicitur mater Christi, secundum eius temporalem natiuitatem; vt dicitur Matt.1. Cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph: & verè dicitur etiã ma-

ter Dei, ſecundum Epheſinum Concil. can. 1. Si quis non confitetur Deum eſſe ſecundum veritatem Emanuel, & propter hoc Dei genitricem ſanctam Virginem (genuit enim carnaliter carnem factam ex Deo verbum) anathema ſit. In natiuitate quoque temporali oſtenditur natura diuina, ex quo, vt dicit Aug. in ſerm. 14. de natiuitate alloquens Virginem matrem. Hæc in conceptione, inquit, inuenta es ſine pudore, nec in partu inuenta es cum dolore; immo fuit ibi maxima iucunditas, ex hoc quod homo Deus eſt natus in mundum, iuxta illud Iſa. 35. Germinans germinabit ſicut lilium, & exultabit lætabunda, & laudans. Natura quoque humana oſtenditur ex quo naſci voluit in Bethelem, quia factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem; vt dicitur ad Rom. 1. Ideo Euangeliſta dicit eo quod eſſet de domo Dauid. Item manifeſtatur hæc duplex natura in natiuitate temporali, diuina, ſcilicet dum per Angelos, & Stellam fuit manifeſtata: humana verò, vt dicit Leo Papa in ſermone 4. de Epifan. Quòd Magi inuenerunt puerum Ieſum nulla ab humanæ infantię generalitate diſcretum. Natiuitas enim Chriſti ad humanam ſalutem ordinabatur, quæ quidem eſt per fidẽ. Fides autem ſalutaris diuinitatem, & humanitatem Chriſti confitetur. Oportebat igitur ita manifeſtari natiuitatem Chriſti, vt demonſtratio diuinitatis eius, fidei humanitatis ipſius non præiudicaret. Hoc autem factum eſt, dum Chriſtus in ſe ipſo natiuitatem ſimilem infirmitati humanæ exhibuit, & tamen per Dei creaturas diuinitatis virtutem in ſe demonſtrauit. S. Tho. 3. p. q. 36. art. 5.

Tertiò oſtendit naturam humanam dum fuit circumciſus, vt oſtenderet veritatem carnis humanæ, & ſe eſſe de genere Abrahæ, Luc. 2. Poſtquã conſumati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer. Diuinam autem dum ſibi fuit impoſitum nomen Ieſus, quòd Saluatorem ſignificat, vnde dicitur ibidem. Vocatum eſt nomen eius Ieſus. S. Tho. 3. p. q. 37. art. 1. & ſeq.

Quartò oſtendit naturam humanã dum voluit baptizari à Ioan. Baptiſta, vt Matt. 3. Venit Ieſus à Galilea in Iordanem ad Ioannẽ, vt baptizaretur ab eo, quia etſi non eſſet peccator, naturam tamen ſuſcepit peccatricem, & ſimilitudinem carnis peccati. Propterea etſi pro ſe baptiſmate non indigebat, tamen in alijs carnalis natura opus habebat. Diuinam autem naturam oſtendit, quoniam in eius baptiſmo cœli aperti ſunt, & Spiritus ſanctus ſuper Chriſtum baptizatum deſcendit in ſpecie columbæ. Luc. 3. Ieſu baptizato, & orante apertum eſt cœlum, & deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie, ſicut columba in ipſum. Voluit enim baptizari, vt ſuo baptiſmo conſecraret baptiſmum, quo nos baptizaremur, per quem aperitur nobis introitus regni cœleſtis, qui primo homini præclu-

ſus fuerat per peccatum. Deſcendit etiam Spiritus ſanctus, quia omnes qui in baptiſmo Chriſti baptizantur Spiritum ſanctum recipiunt, niſi ficte accedant, iuxta illud Matt.3. Ipſe vos baptizabit Spiritu ſancto. Similiter eius diuinitas oſtenditur dum baptizatur. quod dicitur à patre. Matt.3. Ecce vox de cœlis dicens. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. In baptiſmo enim Chriſti demonſtratur miniſterium Trinitatis; Dominus enim in natura humana baptizatur, Spiritus ſanctus deſcendit in habitu columbæ, patris vox teſtimonium filio perhibētis auditur. Baptiſmus autem quo nos baptizamur, perficitur, & conſecratur in vocatione, & virtute Trinitatis. S.Tho.3.p.q.39.art.5.& ſeq.

Quintò hanc duplicem naturam oſtendit humanam, ſcilicet inter homines conuerſando, vt adimpleretur quod dictum fuit per Baruch.3. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt; diuina verò miracula faciendo, vt dicit Ioan.11. Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit, vt dicam infra ſuo loco. S. Tho.3.p.q.40.art.4.& q.43.& 44.

Sextò oſtenditur natura eius humana in eius paſsione, quæ non eius diuinitati, ſed humanitati eſt attribuenda; vnde Atha. in Epiſ. ad Epitetum dicit. Natura Deus manens verbum eſt impaſsibile. S.Tho.3. p. q. 46. art. 12. Diuinitas autem, ſeu eius diuina natura in morte apparuit ex ſignis quę acciderunt, quando velum templi ſciſſum eſt, terra tremuit, tenebræ factæ ſunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant reſurrexerunt, & cauſando noſtram ſalutem per modum meriti, & per modum ſatisfactionis, & per modum ſacrificij, & redemptionis, ita vt eſſe Redemptorem, dicatur eſſe proprium Chriſti, cuius paſsio, operata eſt noſtrã ſalutem per modum efficientiæ. S.Tho. in 3.p.q.48.art.1. & ſeq. Vnde per paſſionem eius liberati ſumus à peccato; dicit enim Apocal.1. Dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, ac ſumus liberati à poteſtate diaboli, Ioan. 12. Nunc princeps huius mundi eijcietur foras, & à pęna peccati, Iſa.53. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit, necnon Deo patri reconciliati ad Rom.6. Reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius, & tandem ſua paſsione aperuit nobis ianuam cœli, ad Hebr.10. Habemus fiduciam in introitum ſanctorum, ſcilicet cœleſtium in ſanguine Chriſti. S.Tho.3.par.q.48.art.1. & ſeq. In eius tamen morte non fuit ſeparata eius diuinitas à carne, neq; ab anima, ſecundum S.Tho.in 3.p.q.50.art.2.& 3.

Septimò oſtenſa fuit natura humana in ſepultura, quę facta fuit ad comprobãdam veritatem mortis. Diuina autem, quia eius corpus integrum, & incorruptum ſeruatum fuit; nam putrefactio

cuiuſcunq; corporis prouenit ex infirmitate naturæ illius corporis, quia non poteſt amplius corpus continere in vnum. Mors autē Chriſti non debuit eſſe ex naturæ infirmitate, ne crederetur non eſſe voluntaria, & ad oſtenſionem virtutis diuinæ voluit corpus illud incorruptum permanere. S.Tho.3.p.q.51.art.2.& 3.

Octauò oſtenſa fuit vtraq; natura in reſurrectione ipſius, humana, ſcilicet quando dixit, Luc.vlt. Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Corpus enim Chriſti in reſurrexione fuit eiuſdē naturæ, ſed alterius gloriæ: vnde quicquid ad naturam corporis humani pertinet, totum fuit in corpore Chriſti reſurgentis. Diuina autem natura demonſtrata fuit per miraculum quod fecit in piſcibus capiēdis, & vlterius per hoc quod eis videntibus aſcendit in cœlū propria virtute. Iſai. 63. Iſte formoſus in ſtola ſua gradiens in multitudine fortitudinis ſuę: & cum corpus Chriſti glorioſum perfectiſsimo modo diuinam participauit bonitatem, decuit vt ſuper omnes cœlos eleuaretur: vnde ad Epheſ.3. Aſcendit ſuper omnes cœlos, vt adimpleret omnia, & aſcendit ſuper omnem ſpiritualem creaturam, ad Epheſ.1. Conſtituit illum ſupra omnem principatū, & poteſtatem, & ſupra omne nomen, quod nominatur, ſiue in hoc ſeculo, ſiue in futuro.

Nonò vtraq; natura oſtenditur in cœlo, diuina, ſcilicet dum ſedet ad dexteram patris, Marc.vlt. Dominus quidem Ieſus poſtquā locutus eſt eis, aſcendit in cœlum, & ſedet à dextris Dei, quod ei conuenit, non ſolum ſecundum quod Deus, vt dicit Damaſc.lib.4. orthod.fidei c.2. Dexteram patris dicimus gloriam, & honorem diuinitatis, in qua filius Dei extitit ante ſecula, vt Deo, & Patri conſubſtantialis, ſed etiam ſecundum quod homo; vnde Aug. in lib.2. c.7. in ſermone de ſymbolo dicit. Ipſam dexteram intelligite poteſtatem, quam accepit ille homo ſuſceptus à Deo, vt veniat iudicaturus, qui prius venerat iudicādus. Sedere autem ad dexteram patris dicitur in quantum ſecundum diuinam naturam eſt in æqualitate patris. Secundum autem humanam naturam in excellēti poſſeſsione diuinorum bonorum præ cęteris alijs creaturis. Vtrumq; autem ſoli Chriſto conuenit, vnde nulli alij, nec Angelo, nec homini, conuenit ſedere ad dexteram patris, niſi ſoli Chriſto; cuius quoque vterq; natura in ſacramento Altaris comprehenditur, in quo totus Chriſtus ſub vtraque natura continetur cum corpore, ſcilicet & ſanguine, anima, & diuinitate, cum hoc pertineat ad perfectionem fidei, quæ ſicuti eſt de diuinitate Chriſti, ita eſt de humanitate, ſecundum illud Ioan. 14. Creditis in Deum, & in me credite. S.Tho.3.p.q.75.art.1.

Decimò apparebit etiam in vtraq; natura in die Iudicij, in humana,

mana, scilicet quia in forma humanitatis iudicaturus est. Ioan. 5. Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est: in diuina, quia iudicando auctoritate diuina vsus erit. S. Tho. 3. par. q. 90. art. 2. & 3. in supplemento.

QVAESTIO XII.

CVm igitut in Christo sint duæ naturæ, vt dictum est, sequitur videre de potentia ipsius: ideo quæritur, vtrum anima Christi habuerit omnipotentiam simpliciter? Resp. quòd cum anima Christi sit pars humanæ naturæ, impossibile est, quod omnipotentiam habeat, quod enim est proprium Dei, non potest alicui creaturæ conuenire, sed proprium est Dei esse omnipotentem, ergo anima Christi cum sit creatura non habet omnipotentiam, licet persona Christi dici possit omnipotens cum sit Deus, & homo: vnde anima Christi non habuit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum, vt dicetur inferius suo loco. Iudiciaria tamen potestas specialiter attribuitur Christo, qui cum sit filius, idest sapientia genita, & veritas à patre procedens, & ipsum perfectè repræsentans, ideo propriè iudiciaria potestas attribuitur filio Dei; vnde dicitur Act. 10. De Christo, qui constitutus est à Deo iudex viuorum, & mortuorum, quæ potestas conuenit ei quoque secundum quod est homo, vt dicitur Ioan. 5. Potestatẽ dedit ei iudiciũ facere, quia filius hominis est. Cum enim Christus secundum quod homo fuerit caput totius Ecclesiæ, ei secundum quod homo conuenit habere iudiciariam potestatem; & licet cognoscere occulta cordium, & diiudicare per se pertineat ad solum Deum Hyer. 17. Quòd pertinet ad iudiciariam potestatem; vt dicitur ad Cor. 4. Ex refluentia tamen diuinitatis ad animam Christi, conuenit etiam ei cognoscere, & iudicare occulta cordium; vnde dicitur ad Rom. 2. In die iudicabit Deus occulta hominum per Iesum Christum, quam iudiciariam potestatem adeptus est ex meritò; dicitur enim Iob. 36. Causa tua quasi impij iudicata est, iudiciũ causamq; recipiens, & Aug. in lib. de verb. Domini serm. vlt. Sedebit iudex, qui stetit sub iudice; damnabit verò reos, qui falsò factus est reus, vt scilicet secundum Dei iustitiam iudex esset, qui pro Dei iustitia pugnauit, & vicit, & iniustè iudicatus est. Competit enim huiusmodi potestas Christo propter diuinam personam, secundum quam omne iudicium patris pertinet ad filium, sicut enim pater omnia fecit verbo suo, ita & omnia iudicabit verbo suo. Si verò loquamur de Christo secundum naturam humanam, omnes res humanæ subduntur eius iudicio; vnde dicit Ioan. 5. Pater omne iudicium dedit filio;

ita vt

ita vt eius iudiciaria potestas se extendat etiam ad Angelos, dicitur enim 1. Cor.6. An nescitis quoniã Angelos iudicabimus, quod fieri dicitur authoritate Christi. Ergo multo magis iudicabuntur à Christo, cui Angeli subduntur, non modo secundum diuinam naturam, sed secundum humanam. S.Tho.3.p.q.59.art.1.& seq.

QVÆSTIO XIII.

SEquitur modo videre, an anima Christi habuerit scientiam? Pro cuius q. solutione plura notãda sunt. Primo quòd anima Christi in verbo cognouit omnia, dicit enim gl. super illud Apocal. 5. Dignus est agnus, qui occisus est accipere diuinitatem, & sapientiam, idest omnium cognitionem; cognoscit etiam anima Christi totam suam potentiam, & omnia quę potest, vnde licet non cognoscat infinita in actu. Scit autem infinita in verbo in potentia, quasi quadam scientia simplicis intelligentiæ, non autem scientia visionis, & vidit verbum, seu diuinam essentiã clarius qualibet alia creatura: dicitur enim ad Ephes.1. Quòd Deus constituit Christum ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro. Sed in illa cœlesti gloria tantò aliquis est superior, quanto perfectius cognoscit Deum; ideo anima Christi perfectius vidit Deum, quàm quæuis alia creatura, non tamen comprehendit diuinam essentiam; vnde Aug. in lib.83. quæst. in q.14. dicit. Quòd se comprehendit finitum est sibi, sed essentia diuina non est finita in comparatione ad animã Christi, cum in infinitum eam excedat, ideo anima Christi non cõprehendit verbum. S.Tho.3.p.q.10.art.1.& seq. Secundò notandũ est, quòd Christus secundum scientiam inditam, vel infusam habuit omnium scientiam; dicitur enim Isai.11. Quòd repleuit eum spiritus sapientiæ, & intellectus, scientiæ & consilij: cum quibus comprehenduntur omnia cognoscibilia: nam ad sapientiam pertinet cognitio omnium diuinorum: ad intellectum autem pertinet cognitio omnium immaterialium: ad scientiam autem pertinet cognitio omnium conclusionum: ad consilium autem cognitio omnium agibilium. Vnde apparet quod Christus secundum scientiam inditam sibi per Spiritum sanctum habuerit omnium cognitionẽ, qui cum fuerit viator, & comprehensor, per scientiam inditam potuit intelligere, non conuertendo se ad phantasmata, & hæc scientia in Christo fuit maior sciẽtia Angelorũ: dicitur enim ad Heb.2. Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis, gloria, & honorę coronatum. Ex

quo

quo apparet, quòd propter solam passionem mortis dicatur Christus ab Angelis minoratus; non ergo propter scientiam. S. Tho. 3. p. q. 11. art. 1. & seq. Tertio notandum est, quòd Christus secundum scientiam acquisitam, & experimentalem, omnia cognouit, quoniam nihil imperfectum fuit in Christo quantum ad animam. Fuisset autem imperfecta, hæc eius scientia, si secundum eam non sciuisset omnia; quia imperfectum est, cui potest fieri additio; ideo secundum hanc scientiam Christus omnia sciuit, & in hac scientia profecit: dicitur enim Luc. 2. Quòd Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines: quod intelligitur nõ quidem essentialiter, sed effectiuè, siue significatiuè, & secundum experientiam. Non tamen est dicendum, quòd Christus aliquid ab homine didicerit, dicitur enim Isa. 55. Ecce testem populis dedi eũ; ducem, ac præceptorem gentibus. Pręceptoris autem non est doceri, sed docere; ergo Christus non accepit aliquam scientiam per doctrinam alicuius hominis, nec etiam Angeli: dicit enim Dion. in 7. cœl. Hyerar. Quòd supremi Angeli ad ipsum Iesum, quæstionẽ faciunt, diuiniq; illius operis, & pro nobis assumptę carnis scientiam discunt, & eos ipse Iesus sine medio docet. Non est autẽ eiusdem docere, & doceri, igitur Christus non accepit scientiã ab Angelis. S. Tho. 3. q. 12. art. 1. & seq. Et ex his patet, quomodo anima Christi scientiam habuerit.

Habuit enim præter diuinam scientiam, etiam scientiam creatam: vnde Ambr. in lib. de incarn. c. 7. dicit. Deus in carne perfectionẽ naturæ assumpsit humanę, suscepit sensum hominis, non sensum carnis inflatum, & ad sensum hominis pertinet scientia creata. Filius enim Dei humanam naturam integram assumpsit, & ideo oportuit, vt haberet scientiam creatam. S. Thom. q. 9. art. 1. 3. par. Habuit etiam scientiam quam habent beati in patria, ipsorũ enim scientia in Dei cognitione consistit, sed ipse plenè cognouit Deũ, etiam secundum quod homo Ioan. 8. Scio eum, & sermonem eius seruo. Habuit præterea scientiam inditam, & infusam, vt dicitur ad Colos. 2. Quòd in Christo sunt omnes thesauri sapientiæ, & sciẽtię absconditi, & scientiam acquisitam: vt dicitur ad Hebr. 5. Cum esset filius Dei didicit ex his quę passus est obedientiam glo. idest expertus fuit. Fuit ergo in Christo aliqua experimentalis scientia, quę est scientia acquisita. S. Tho. 3. p. q. 9. art. 1. & seq. Scientiã autẽ, eiusq; doctrinam prędicauit Iudęis, vt adimplerẽtur promissiones patrũ; vnde Mat. 15. Non sum missus nisi ad oues, quę perierunt domus Israel, qui omnia publicè docuit, vt dicitur Ioan. 18. In occulto locutus sum nihil, qui tamen suã doctrinã scribere noluit propter eius dignitatẽ, & excellentiã. S. Tho. 3. p. q. 42. art. 1. & seq.

QVÆ-

QVAESTIO XIIII.

DIctum est de potentia, & sapientia Christi, sequitur modo videre de ipsius bonitate: Et primo dicendum est, quòd in Christo fuit gratia habitualis secundum illud Isa. 11. Requiescet super eum spiritus Domini, qui quidem in homine esse dicitur per gratiam habitualem, & hoc propter vnionem animæ illius ad verbum Dei, & propter nobilitatem ipsius animæ, & propter habitudinem ipsius Christi ad genus humanum, vnde oportebat, quod haberet gratiam, etiam in alios redundantem, iuxta illud Ioan. 1. De plenitudine eius omnes accepimus. Et quia sicuti gratia respicit essentiam animæ, ita virtus respicit potẽtiam eius: vnde oportet, quod sicut potentiæ animæ deriuantur ab eius essentia, ita virtutes sint, quædam deriuationes gratiæ, quanto autem aliquod principium est perfectius, tanto magis imprimit suos effectus: vnde cum gratia Christi fuerit perfectissima, consequens est, quòd ex ipsa processerint virtutes ad perficiendum singulas potentias animæ, quãtum ad omnes animæ actus, & ita Christus habuit omnes virtutes; vnde in Psal. 1. Sed in lege Domini voluntas eius; dicit gl. Hic ostẽditur Christus plenus omni bono, bona autem qualitas mentis est virtus, ideo Christus fuit plenus omni virtute, non tamen in eo dicitur quod fuerit fides, quoniam fides est argum. non apparentiũ, vt dicitur ad Hebr. 14. Christo autem nihil fuit non apparens, secundum illud quod dixit ei Petrus. Ioan. vlt. Tu omnia nosti. Nec etiam fuit spes in eo, dicitur enim Rom. 8. Quod videt quis quid sperat, sed fides non fuit in Christo, ergo nec etiam spes.

Secundò sciendum est, quòd in Christo fuerunt dona, vt dicitur Isa. 4. Apprehendent septem mulieres virum suum, dicit gl. idest septem dona Spiritus sancti Christũ, dona enim propriè sunt perfectiones quædam potentiarum animę, secundum quod sunt natæ moueri à Spiritu sancto. Anima autem Christi à Spiritu sancto mouebatur Luc. 4. Iesus autem plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane; & licet non haberet timoremculpę, neq; pœnæ, habuit tamen timorẽ, quo scilicet anima ipsius reuerebatur diuinã maiestatem; vnde dicitur Isa. 11. Replebit eum spiritus timoris Domini.

Tertiò notandum est, quòd in Christo fuerunt gratiæ gratis datæ, vnde dicit Aug. in epist. 57. ad Dardanum. Quod sicut in capite sunt omnes sensus, ita & in Christo fuerunt omnes gratiæ; in eo enim fuit gratia Prophetiæ, vt prædicitur de eo Deut. 18. Propheta suscitabit vos Deus de fratribus vestris: & ipse de se dicit Matt. 13. & Ioan. 4. Non est Profeta sine honore, nisi in patria sua. Simili-

ter in eo fuit plenitudo gratiæ; vt dicitur Ioan. 1. Vidimus eum plenum gratię, & veritatis. Cuius quidem gratia quatenus fuit vnionis dicitur infinita: gratia verò habitualis finita, nam gratia est quoddam creatum in anima, & omne creatum est finitum, secũdum illud Sap. 11. Omnia in numero, pondere, & mensura disposuisti; quę gratia augeri non potuit, dicitur enim Ioan. 1. Vidimus eum quasi vnigenitum à patre plenum gratię, & veritatis. Sed nihil potest esse, aut intelligi maius, quam quod aliquis sit vnigenitus à patre: ergo etiam non potest esse, vel intelligi maior gratia, quam illa, qua Christus fuit plenus; qui in primo instanti suę conceptionis fuit sanctificatus per gratiam, vt dicitur Luc. 1. Quod ex te nascetur sanctum vocabitur filius Dei: & Ioan. 10. Quem pater sanctificauit, & misit in mundum: & in primo instanti suę conceptionis habuit vsum liberi arbitrij. Aug. in lib. 13. de Trin. c. 9. dicit. Mox vt verbum venit in vterum seruata veritate propriæ naturæ factum est caro, & perfectus homo; nam subito potuit mæreri, & fuit comprehensor. S. To. in 3. p. q. 34. art. 1. & seqq.

Vltimò notandum est, quatenus pertinet ad hanc q. quòd Christus dicitur caput Ecclesiæ, vt dicitur ad Ephes. 1. Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, totaq; humanitas illius in omnes influit homines, & quantum ad animam, & quantum ad corpus, & si non principaliter, sed secundario; vnde ad Philip. 3. Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, & est caput omnium hominum; dicitur enim 1. Tim. 4. Est Saluator omnium hominum, & maximè fidelium; & 1. Ioan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tãtum, sed etiam pro totius mundi. Saluare autem homines, & propitiationem esse pro peccatis eorum, competit Christo, secundum quod est caput; ideo Christus est caput omnium hominum. Idem dicendum est, quod sit etiam caput Angelorum; dicitur enim ad Colos. 2. Qui est caput omnis principatus, & potestatis; & eadẽ ratio est de Angelis aliorum ordinum; & ad Ephes. 1. Constituit eum, scilicet Christũ Deus pater ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem potestatem, & principatum, & virtutem, & dominationẽ, & omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius: & Matt. 4. legitur. Quòd accesserunt ei Angeli, & ministrabant ei. S. Tho. 3. p. q. 8. art. 1. & seqq.

QVAESTIO XV.

DIctum est de potentia, sapientia, & bonitate Christi, & de duplici eius natura, diuina, scilicet, & humana. Modo propius

ad ma-

ad materiam præpositam accendendo quæro: Vtrum anima Christi potuerit facere miracula? Resp. quòd gratia virtutum, seu miraculorũ datur animæ alicuius sancti, non vt propria virtute conueniat ei miracula facere, sed vt per virtutem diuinam huiusmodi miracula fiant; & hæc quidem gratia excellentissimè data fuit animæ Christi, vt scilicet non solum ipsemet miracula faceret, sed etiam, vt hanc gratiam in alios transfunderet; vnde dicitur Matt. 10. Quòd conuocatis duodecim Discipulis, dedit eis potestatem spiritu m immundorum, vt eijcerent eos, & curarent omnes languores, & omnem infirmitatem; vnde illud quod dicitur Matt. vlt. Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra, intelligitur ratione vnionis, per quam factum est, vt homo esset omnipotens, ex quo factum est, vt sicut homo dicitur Deus, ita dicatur, & omnipotens. Non quasi sit alia omnipotentia hominis, quàm filij Dei, sicut nec alia deitas; sed eo quod est vna persona Dei, & hominis: quatenus verò anima Christi est pars humanæ naturæ, impossibile est quod omnipotentiam habeat, cum illud quod competit Deo propriè non possit conuenire alicui creaturæ, vnde anima Christi hoc modo sumpta non posset facere miracula, sicuti neque transmutare creaturas. Nam eiusdem est eas transmutare cuius est eas conseruare, hoc autem est solius Dei, iuxta illud Hebr. 1. Portans omnia verbo virtutis suæ; qua tamen in re duplici distinctione est opus: quarum prima est ex parte transmutationis creaturum, quæ triplex est; vna quidẽ est naturalis, quæ scilicet fiat à proprio agente secundum ordinem naturæ. Alia verò est miraculosa, quæ fit ab agente supernaturali, supra consuetum ordinem, & cursum naturę, sicut resuscitatio mortuorum. Tertia autem est, secundũ quod omnis creatura versibilis est in nihil. Secunda autem distinctio est accipienda ex parte animæ Christi, quæ dupliciter considerari potest; vno modo secundum propriam naturam, & virtutem; alio modo prout est instrumentum verbi Dei sibi personaliter vniti. Si ergo loquamur de anima Christi secundum propriam naturam, & virtutem, siue naturalem, siue gratuitam; potentiam habuit ad illos effectus faciendos, qui sunt animæ conuenientes, puta ad gubernãdum corpus, & ad disponendum humanos actus, & etiam ad illuminandum, per gratiæ, & scientiæ plenitudinem, omnes creaturas rationales, ab eius perfectione deficientes, per modum, quo hoc est conueniens creaturę rationali. Si autem loquamur de anima Christi secundum quod est instrumentum verbi sibi vniti, sic habuit instrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas, ordinabiles ad Incarnationis finem, qui est instaurare omnia, siue quæ in cœlis, siue quę in terris sunt. Immutationes verò

creaturarum, secundum quod sunt vertibiles, in nihil correspondent creationi rerũ, prout scilicet producuntur ex nihilo. Et ideo sicut solus Deus potest creare, ita solus potest creaturas in nihilũ redigere; qui etiam solus eas in esse conseruat, ne in nihilum decidant. Sic ergo dicendum est, quod anima Christi non habet omnipotentiam respectu immutationis creaturarum, ita enim facta est vnio in persona, quod tamen remansit distinctio naturarum, vtraq; scilicet natura retinente, id quod sibi est proprium. Potentia autẽ actiua cuiuslibet rei sequitur formam ipsius, quæ est principium agendi. Forma autem, vel est ipsa natura rei sicut in simplicibus, vel est constituens ipsam rei naturam, in his scilicet, quæ sunt cõposita ex materia & forma, vnde manifestum, quod potentia actiua cuiuslibet rei consequitur naturam ipsius, & per hunc modum, omnipotentia consequenter se habet ad diuinam naturam. Quia enim natura diuina est ipsum esse Dei incircumscriptum, vt dicit Dion. in 5. de diuin. nom. inde est quod habet potentiam actiuam respectu omnium, quæ possunt habere rationem entis, quod est habere omnipotentiam; sicut & quælibet alia res habet potentiam actiuam respectu eorum, ad quæ se extendit perfectio suę naturæ, sicut calidum ad calefaciendum; cum igitur anima Christi sit pars humanę naturę, impossibile est, quod omnipotentiam habeat vt dictum est S. To. 3. p. q. 13. Art. 2. & seqq.

QVAESTIO XVI.

Decimo sexto quęro vtrum angeli possint facere miracula? Pro solutione huius q. Notanda sunt quædam circa potestatem angelorum, & P. secundum Dionis. in 8. Cæl. Hyerarc. quod angeli secundę Hyerarchię purgantur, & illuminantur, & perficiuntur per angelos primę Hyerarchię, secundo. Not. Quod vnus angelus loquitur alteri, manifestando ei conceptum suum, vnde dicitur 1. Cor. 13. si linguis hominum loquar, & angelorum & Dion. cap. 7. Cęl. Hyerar. dicit Inferiores angeli superioribus dixerunt; Quis est iste Rex glorię? Similiter dicitur quod angelus loquatur Deo, vnde Zachar. 1. Respondit Angelus Deo, & dixi, Domine exercituum vsque quo non misereberis Ierusalem; tertio notandum est quod creatura corporalis ad ministratur per angelos, in quibus est potestas vniuersalis Aug. in 3. de Trin. cap. 4. dicit quod omnia corpora regũtur per spiritum vitę rationalis & Greg. in 4. Dialog. cap. 5. dicit quod in hoc mundo visibili, nihil nisi per creaturam visibilem disponi potest, non tamen materia corporalis obedit angelis immediate ad transmutationem formalem, vnde Aug. in 3.

de Trin.c.8.dicit non eſt putandum iſtis tranſgreſſoribus Angelis ad nutum ſeruire hanc viſibilium rerum materiam, ſed ſoli Deo; Natura autem corporalis apta nata eſt moueri à natura ſpirituali, & Angelis quo ad nutũ localem; vnde Aug. in 3.de Trin.c.8.dicit quod Angeli ad hibent ſemina corporalia ad aliquos effectus producendos; & in lib.83.q.in q.79. dicit vnaqueque res viſibilis in hoc mundo habet Angelicam poteſtatem ſibi præpoſitam: His ita ſuppoſitis dicendum eſt ad q. præpoſitam, quod Angeli aliqui dicuntur miracula facere, vel quia ad eorum deſiderium Deus miracula facit ſicut & Sãcti homines dicũtur, miracula facere vel quia aliquod miniſterium exhibent in miraculis, quæ fiunt, ſicut colligendo pulueres in reſurrectione communi, vel huiuſmodi aliquid agendo, vnde Gregor. in Homil. 34.Euang.dicit virtutes vocantur illi Spiritus, per quos ſigna,& mirabilia frequentius fiunt, proprie tamen ſolus Deus virtute propria poteſt miracula facere, vnde dicitur in Pſal. Qui facit mirabilia magna ſolus: Miraculum enim proprie dicitur cum aliquid fit præter ordinem naturæ, ſed non ſufficit ad rationem miraculi, ſi aliquid fiat præter ordinem naturæ alicuius particularis.Quia ſic cum aliquis proicit lapidem ſurſum, Miraculum faceret, cum hoc ſit præter ordinem naturæ lapidis ex hoc ergo aliquod dicitur eſſe miraculum, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ. Hoc autem nõ poteſt facere niſi Deus,quia quicquid facit Angelus, vel quæcumque alià creatura, propria virtute hoc fit ſecundum ordinẽ Naturæ creatæ, & ſic non eſt miraculum; Poſſunt tamen ſpirituales poteſtates facere ea,quæ fiunt viſibiliter in hoc mundo adhibẽdo corporalia ſemina per motum localem, qui licet aliquid facere poſsint præter ordinem naturæ corporalis, Non tamen poſſunt aliquid facere præter ordinẽ totius naturæ, quod exigitur ad rationem miraculi S.Tom.1. p.q. 106.art.1.& ſeq.& q. 110.art.1. & ſeqq.

QVAESTIO XVII.

Videndum eſt modo, vtrum Sancti poſsint miracula facere? Reſp.quòd Deus ſolus principaliter facit miracula. Inſtrumẽtaliter tamen facit miracula mediante Sanctorum oratione;quandoque oratione manifeſta, vt ſcribitur Act.Apoſt.15.Quòd Petrus præcedente oratione Tabitam mortuam ſuſcitauit; quandoq; ſolo interiori nutu,Act.5. vbi Petrus, Ananiam, & Saphiram morti increpando tradidit; quandoque mediante exteriori voce,ſicut ſcribitur Ioſue 10.Quod obediente Deo voci hominis ſtetit ſol contra Gabaonitas quandoque mediante contactu corporũ ipſorum ſanctorum,

ctorum, vt 4. Reg.13. Quidam proiecerunt cadauer mortui in ſepulcrum Eliſei, & ſtatim cum tetigit oſſa Eliſei reuixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos: Non tamen arctatur diuina virtus; quin ſine tali actu corporis ſancti poſsit miracula facere. Aug. de Ancona in ſumma de Pot. Eccl. q.17. art.3. in Reſp. ad tertium. S. Thom. 2.2.q.178. art.1. ad 1. Quæ miracula licet à Deo dicãtur fieri, quia propter merita ſanctorum hæc facit Deus, ideo dici poſsunt fieri à ſanctis, vnde dicitur Ioan.14. Amen Amen dico vobis, qui credit in me opera quæ Ego facio, & ipſe faciet, & maiora eorum faciet, & Marc. vlt. ſigna eos qui crediderint, hæc ſequentur, In nomine meo dęmonia eijcient. Alph. de Caſtro lib.x. ad ver. hæreres. ver. Miraculum; quæ tamen dicuntur fieri virtute diuina, non autem propria alicuius ſancti S. Thom. 3.p.q.13.2.ad 3.& q.78.art. 4.2.& q.84.3.ad 4. vnde dicitur: Quod ſancti faciunt miracula ex poteſtate gratiæ, non naturæ. 1.p.q.117. 3. ad 1. ex quo ſequitur: Quod etiam reliquiæ ſanctorum dicantur miracula facere, ſicut oſſa Eliſei dicuntur reſuſcitaſſe à mortuis quendam defunctum, vt dictum eſt 4. Reg.13. S. Thom. 2.2.q.171.1. ad 1. ſed quę eſt ratio quod S. Ioan. Bap. nullum fecit miraculũ, vt legitur. Ioan.10. Reſp. vt homines Principaliter, Chriſto intenderent S. Thom. 3. p.38. 2. ad 2. q.40. 2.1.

QVÆSTIO XVIII.

Decimo octauo quæritur, vtrum peccatores poſsint miracula facere? Reſp. quòd ſic, dicitur enim 1. Cor.13. Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum, ſed quicunq; non habet charitatem eſt peccator, quia hoc ſolum donum Spiritus ſancti eſt, quod diuidit inter filios regni, & filios perditionis; vt dicit Aug. 15. de Trin. c.18. Ergo videtur quod etiam mali poſsint miracula facere. Miraculorũ enim aliqua quidem ſunt non vera, ſed fantaſtica facta, quibus ſcilicet ludificatur homo, vt videatur ei aliquid quod non eſt. Quædam verò ſunt verè facta, ſed non verè habent rationem miraculi, quæ fiunt virtute aliquarum cauſarum naturalium, & hæc duo poſſunt fieri, etiam per dæmones, vt dicetur in ſeq. q. Sed vera miracula nõ poſſunt fieri, niſi virtute diuina. Operatur enim ea Deus ad hominum vtilitatem, & hoc dupliciter: vno quidem modo ad veritatis prędicatæ confirmationem: alio modo ad demonſtrationem ſanctitatis alicuius, quam Deus hominibus vult proponere in exemplum virtutis. Primò autem modo miracula poſſunt fieri per quemcunque, qui veram fidem prædicat, & nomen Chriſti inuocat, quod etiã interdum

terdum per malos fit; & secundum hunc modum etiam peccatores miracula facere possunt: vnde super illud Matt.7. Nonne in nomine tuo prophetauimus: dicit Hieron. Prophetare, vel virtutes facere, & dæmonia eijcere interdum nõ est eius meriti, qui operatur, sed inuocatio nominis Christi hoc agit, vt homines Deum honorẽt ad cuius inuocationem fiunt tanta miracula. Secundo autem modo non fiunt miracula nisi à Sanctis, ad quorum sanctitatem denunciandam miracula fiunt, vel in vita eorum, vel etiam post mortem, siue per eos, siue per alios: legitur enim Act.19. Quòd Deus faciebat virtutes per manus Pauli, & etiam desuper languidos deferebantur à corpore eius sudaria, & recedebant ab eis languores, & sic etiam nihil prohiberet per aliquem peccatorum miracula fieri ad inuocationem alicuius Sancti, quæ tamen miracula non dicitur facere ille, sed ille ad cuius sanctitatem denunciandam hæc fierent.

Non obst. quòd miracula impetrentur per orationem: Deus autem peccatores non exaudit: vt dicitur Prou.28. & Ioan.10. Nam resp. quò oratio in impetrando non innititur meritò, sed diuinæ misericordię, quę etiam ad malos se extendit; & ideo etiam quandoque peccatorum oratio à Deo exauditur; vnde Aug. in tract.44. super Ioan. Quòd illud verbum cœcus locutus est, quasi adhuc inunctus, idest, nondum perfectè illuminatus. Nam peccatores exaudit Deus: quod autem dicitur Prou.28. Quod oratio non audientis legem sic execrabilis, intelligendum est, quantum est ex merito peccatoris, sed interdum impetrat ex misericordia Dei, vel propter salutẽ eius qui orat, sicut ex auditus est Publicanus, vt dicitur Luc.18. Vel etiam propter salutem aliorum, & gloriam Dei. Similiter non obst. quòd dicitur miracula esse attributa fidei, secundum illud Matth. 17. Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc, & transibit. Fides autem peccatoris dicitur mortua, vtpotè sine operibus meritorijs; vt dicitur Iac.2. Nam resp. quòd fides sine operibus dicitur mortua, quantum ad ipsum credentẽ, qui per eam non nouit vitam gratię. Nihil autem prohibet, quòd res viua operetur per instrumentum mortuum, sicut hòmo operatur per baculum; & hoc modo Deus operatur per fidem hominis instrùmentaliter. Pręterea non obst. si dicatur quod miracula sunt quædam diuina testimonia, secundum illud ad Heb.2. Cõtestante Deo signis, & portentis, & varijs virtutibus: vnde & in Ecclesia aliqui canonizantur per testimonia miraculorum; Deus autem non potest esse testis falsitatis: ergo videtur, quod peccatores non possint miracula facere. Nam resp. quòd miracula semper sunt vera testimonia eius, ad quod inducuntur; vnde à malis qui falsam doctrinam denunciant, nunquam fiunt vera miracula

ad con-

ad confirmationem ſuæ doctrinæ, quamuis quandoque fieri poſſint ad commendationem nominis Chriſti, quod inuocant, & virtute ſacramentorum, quę exhibent; ab his autem qui veram doctrinã enuntiant fiunt quandoque vera miracula ad confirmionem doctrinæ, non autem ad teſtificationem ſanctitatis; vnde Aug. in lib. 83. q. in q. 79. Aliter magi faciunt miracula, aliter boni Chriſtiani, aliter mali: Magi per priuatos contactus cũ demonibus, Boni Chriſtiani per publicam Iuſtitiam, mali chriſtiani per ſigna publicæ Iuſtitiæ, denique non obſt. Quod boni ſint magis Dei coniuncti, quã mali, & tamen non omnes boni faciunt miracula; Ergo multo minus, peccatores; Nam Reſp. quod dicit Aug. in d. q. 79. quod Ideo non omnibus ſanctis iſta attribuuntur, ne perniciosiſsimo errore decipiantur Infirmi, æſtimantes in talibus factis eſſe maiora dona, quam in operibus Iuſtitiæ, quibus vita æterna comparatur S. Tho. 2.2. q. 178. art. 2.

QVÆSTIO XIX.

DEcimo nono quæro vtrum demones facere poſsint miracula? Reſp. cum Aug. in lib. 83. qq. in q. 97. quod magicis artibus fiunt miracula plerumque ſimilia illis miraculis, quæ fiunt per ſeruos Dei, tamen ſi miraculum proprie capiatur dæmones miracula facere non poſſunt, nec aliqua creatura, ſed ſolus Deus; quia miraculum proprie dicitur, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ, ſub quo ordine continetur omnis virtus creata. Dicitur tamen quandoque miraculum large, quod excedit humanam facultatem, & conſiderationem. Et ſic dæmones poſſunt facere miracula, quæ ſcilicet homines mirantur, in quantum eorum facultatem, & cognitionem excedunt: Nam & vnus homo in quantum facit aliquid quod eſt ſupra facultatem, & cognitionem alterius, ducit alium in admirationem ſui operis, vt quodamodo miraculum videatur operari, ſciendum eſt tamen quod quamuis huiuſmodi opera dæmonum, quæ nobis miracula videntur, ad veram rationem miraculi non pertingant, ſunt tamen quandoque verę res ſicut magi Pharaonis, per virtutes demonum veros ſerpentes, & ranas fecerunt. Et quando Ignis de Cælo cecidit, & familiam Iob cũ gregibus pecorum vno impetu conſumpſit, & turbo domum deijciens filios eius occidit, quæ fuerunt opera ſatanæ, Phantaſmata non fuerunt; vt dicit Aug. in 20. de Ciuit. Dei c. 19. Cum igitur dæmones aliquid faciunt ſua virtute naturali, miracula dicuntur, non ſimpliciter, ſed quo ad nos quoniam non omnis virtus naturæ creatæ eſt nota nobis, ynde cum alquid fit præter ordinem naturæ

crea-

creatæ nobis notæ per virtutem creatã nobis ignotam eſt miraculum quo ad nos,& hoc modo magi per dæmones miracula faciunt.

Non obſt. ꝙ miracula fiant per aliquã immutationẽ corporum, quòd dæmones facere nõ poſſunt; vt dicit Aug. in 18. de Ciuit. Dei c.18. Nam reſp. ꝙ materia corporalis nõ obedit Angelis bonis,ſeu malis ad nutũ, vt dæmones ſua virtute poſsint tranſmutare materiã de forma in formã, ſed poſſunt adhibere quędam ſemina,quę in elementis mundi inueniuntur ad huiuſmodi effectus cõplendos; vt dicit Aug. in 3. de Trin. c.8. Et ideo dicendũ eſt,quòd omnes tranſmutationes corporalium rerum, quæ poſſunt fieri per aliquas virtutes naturales,ad quas pertinẽt prędicta ſemina poſſunt fieri per operationẽ dęmonum huiuſmodi ſeminibus adhibitis: ſicut cũ aliquę res tranſmutantur in ſerpentes,vel ranas,quę per putrefactionem generari poſſunt. Illæ verò tranſmutationes corporalium rerum,quæ non poſſunt virtute naturæ fieri, nullo modo operatione dæmonum ſecundum rei veritatem perfici poſſunt,ſicut quod corpus humanum mutetur in corpus beſtiale, aut quod corpus hominis mortui reuiuiſcat. Et ſi aliquando aliquid tale operatione demonum fieri videatur, hoc non eſt ſecundum rei veritatem, ſed ſecundum apparentiam tantum; quod quidem poteſt dupliciter cõtingere: vno modo ab interiori,ſecundũ quod dęmon poteſt mutare phantaſiã hominis, & etiã ſenſus corporeos,vt aliquid videatur aliter quã ſit, & hoc etiã fieri dicitur virtute aliquarũ rerum corporaliũ: alio modo ab exteriori,cum enim ipſe poſsit formare corpus ex aere cuiuſcunq; formę,& figurę,vt illud aſſumens in eo viſibiliter appareat, poteſt eadẽ ratione circumponere cuicunq; rei, quancunq; formam corporeã, vt in eius ſpecie videatur; & hoc eſt quod dicit Aug. in 18. de Ciui. Dei c.18. Quod phantaſticũ hominis quod etiã in cogitando,ſiue ſomniando per rerũ innumerabiliũ genera variatur, velut incorporatũ in alicuius animalis effigie ſenſibus apparet alienis,quod nõ eſt ſic intelligendũ,quod ipſa vis phãtaſtica hominis, aut ſpecies eius eadem numero incorporata alterius ſenſibus oſtendatur: ſed quia dęmon,qui in phantaſia vnius hominis format aliquã ſpeciẽ,ipſe etiã poteſt ſimilẽ ſpeciem alterius ſenſibus offerre. S.Th.1.q.114.art.4.per totũ. Quatenus autẽ dictũ fuit dęmonẽ poſſe decipere ſenſum hominis; notandũ eſt, quòd licet, non poſsit immutare voluntatem hominis, quoniam hoc eſt ſolius Dei; vt dicit Prouer. 2. Cor regis in manu Domini, & quocunque voluerit vertet illud, dæmones enim non poſſunt immittere cogitationes, interius eas cauſando, cum vſus cogitatiuæ virtutis ſubiaceat voluntati: dicitur tamen Diabolus incenſor cogitationum, in quantum incitat ad cogitandum, vel appetendum

F cogita-

cogitata per modum perſuadentis,vel paſsionem cōcitantis; & poteſt ſua natura mouere imaginationem hominis.Natura enim corporalis obedit Angelo ad motum localem : illa ergo, quę ex motu locali aliquorum corporum poſſunt cauſari ſubſunt virtuti naturali Angelorum. Manifeſtum eſt autem,quòd apparitiones imaginarię cauſantur interdum in nobis ex locali mutatione corporaliū ſpirituū,& humanorū;vnde Ariſt. in lib.de ſomno,& vig. c. 3. aſsignās cauſas apparitionis ſomniorū dicit. Quòd cū animal dormit deſcendēte plurimo ſanguine ad principium ſenſitiuum, ſimul deſcendunt motus,ideſt impreſsiones relictę ex ſenſibilibus motionibus,quę in ſpiritibus ſenſualibus conſeruantur,& mouēt principiū ſenſitiuū; ita quòd fit quędā apparitio,ac ſi tunc principium ſenſitiuū à rebus ipſis exterioribus mutaretur. Et tanta poteſt eſſe cōmotio ſpirituū,& humorum : quod huiuſmodi apparitiones etiam vigilantibus fiunt,ſicut patet in phreneticis, & in alijs huiuſmodi. Sicut igitur hoc fit per naturalem commotionem humorū, & quādoque etiam per voluntatem hominis, qui voluntate imaginatur, quod prius ſenſerat,ita etiam hoc poteſt fieri virtute Angeli boni, vel mali; quandoque quidem cum alienatione à corporis ſenſibus; quandoque autem abſque tali alienatione.Senſum ſimiliter immutare poteſt Angelus,ſiue bonus,ſiue malus : vnde legitur quod Angeli ſubuerterunt Sodomam, percuſſerunt ſodomitas cœcitate,vel acriſia,vt oſtium domus inuenire non poſſent; vt legitur Gene.19. & ſimile legitur 4.Reg.6.de Siris quos Eliſeus duxit in Samariam. Senſus enim immutatur dupliciter; vno modo ab exteriori, ſicut cōmutatur à ſenſibili: alio modo ab interiori. Videmus enim quod perturbatis ſpiritibus, & humoribus immutatur ſenſus. Lingua enim infirmi,quia plena eſt colerico humore omnia ſenſit, vt amara: & ſimile contingit in alijs ſenſibus. Vtroque autem modo Angelus,ſiue bonus, ſiue malus immutare poteſt ſenſum hominum ſui naturali virtute : poteſt enim Angelus opponere exterius ſenſui ſenſibile aliquod, vel à natura formatum, vel aliquod de nouo formando; ſicut facit dum corpus aſſumit. Similiter etiā poteſt interius cōmouere ſpiritus, & humores, ex quibus ſenſus diuerſimodè immutētur; pręter ordinē tamen totius creaturę facere nō poteſt, ſed præter ordinem alicuius tantum particularis naturæ, cum tali ordini non ſubdatur,& ſic quodā ſingulari modo poteſt ſenſum immutare præter modum communem.S.Th.1.p.q.111.art.2.3.& 4.

QVÆSTIO XX.

Vigeſimo quæro,vtrum Antichriſtus ſit facturus miracula? Pro ſolutione huius q.ſupponendum eſt,ꝙ ſicut Chriſtus eſt caput Eccleſiæ,& Angelorū,ita Antichriſtus dicitur caput malorum. Eſt

enim

enim Christus caput Ecclesiæ, iuxta illud ad Ephes.1. Ipsum dedit caput super omnē Ecclesiam. Nam sicut tota Ecclesia dicitur vnū corpus misticum per similitudinem ad naturale corpus hominis, quod secundū diuersa membra habet diuersos actus, vt habetur ad Rom.12.& 1.Cor.12.Ita Christus dicitur caput Ecclesię secundum similitudinem humani capitis.

In quo tria possumus considerare, scilicet ordinē, perfectionē, & virtutem: ordinem quidem, quia caput est prima pars hominis incipiendo à superiori. Et inde est, ꝙ omne principium consueuit vocari caput, secundum illud Ezech.16. Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ. Perfectionem autem, quia in capite vigent omnes sensus, & interiores, & exteriores, cū in cæteris membris sit solus tactus, & inde est quod dicitur Isa.9. Senex, & honorabilis ipse est caput. Virtutem verò quia virtus, & motus cæterorū membrorū, & gubernatio eorū in suis actibus est à capite, propter vim sensitiuā, & mutuam ibi dominantē: vnde & Rector dicitur caput populi, secundum illud 1.Reg.15. Cum esses paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es. Hæc autem tria competunt Christo spiritualiter. Primò enim secundū propinquitatē ad Deū gratia eius est altior, & prior, & si non tempore, quia omnes alij receperūt gratiam per respectum ad gratiam ipsius, secundum illud Rom.8. Quos pręsciuit, hos & prędestinauit, conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Secūdo verò perfectionem habet, quātum ad plenitudinem omniū gratiarū; secundum illud Ioan.1. Vidimus eū plenū gratiæ, & veritatis. Tertio virtutē habet influendi gratiā in omnia membra Ecclesię, secūdū illud Ioan.1. De plenitudine eius nos omnes accepimus, & sic patet, ꝙ Christus sit caput Ecclesiæ qđ propriè cōpetit Christo; vnde dicitur Colos.2. Caput Ecclesię est, ex quo corpus per nexus, & cōiunctiones subministratū, & constructū, crescit in augmentū Dei, quod soli Christo cōuenit, ideo solus Christus dicitur caput Ecclesiæ. Caput enim in alia membra influit dupliciter: vno modo quodam intrinseco influxu, prout scilicet virtus motiua, & sensitiua à capite deriuatur ad cętera membra: alio modo secundum quandā exterius gubernationē, prout scilicet secundum visum, & alios sensus, qui in capite radicantur, dirigitur homo in exterioribus actibus. Interior autē influxus gratię non est ab aliquo, nisi à solo Christo, cuius humanitas ex hoc quod est diuinitati cōiuncta, habet virtutem iustificandi, sed influxus in membra Ecclesię, quantū ad exteriorem gubernationem, potest alijs conuenire, & secundum hoc aliqui possunt dici capita Ecclesię, secundum illud Amos 6.

Optimates capita populorum: differūt autem à Christo. Primò

quidē quantum ad hoc, quòd Chriſtus eſt caput omnium eorū, qui ad Eccleſiam pertinent,ſecundum omnem locum,& tempus & ſtatum. Alij autem homines dicūtur capita ſecundum quædā ſpecialia loca, ſicuti Epiſcopi ſuarum Eccleſiarum, vel etiā ſecundū determinatum tempus, ſicut Papa eſt caput totius Eccleſiæ,ſ.tempore ſui Pontificatus,& ſecundum determinatum ſtatum,pro vt ſcilicet ſunt in ſtatu viatoris: Alio modo quia Chriſtus eſt caput Eccleſiæ propria virtute. Alij vero dicuntur capita in quantum vicem gerunt Chriſti; ſecundum illud 2. Cor.2.Nam & ego quod donaui, ſi quid donaui propter vos,in perſona Chriſti & 2.Cor.5.Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos,eſt etiā ſecundum eſſentiam eadem gratia perſonalis, qua anima Chriſti eſt Iuſtificata,& gratia eius ſecundum quam eſt caput Eccleſiæ iuſtificans alios; differt tamen ſecundum rationem, dicitur enim Ioan.1. De plenitudine eius nos omnes accepimus, ſecundum hoc autem eſt caput noſtrum, quod ab eo accipimus, ergo ſecundum hoc quod habuit plenitudinem gratiæ eſt caput noſtrum. Plenitudinem autem gratiæ habuit ſecundū quod perfectè fuit in illo gratia perſonalis,ideo ſecundum illam gratiam perſonalem eſt caput noſtrum.

Similiter Chriſtus eſt noſtrum caput, non ſolum quantum ad animas,ſed etiam quantum ad corpora,vnde dicitur ad Philip.3.Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ, corpus enim humanum habet naturalem ordinem ad animam rationalem, quæ eſt propria forma eius,& motor;& in quantum quidem eſt forma eius recipit ab anima vitam,& ceteras proprietates conuenientes humano corpori ſecundum ſuam ſpeciem, in quantum verò anima eſt motor corporis, corpus inſtrumentaliter ſeruit animæ: ſic ergo dicendum eſt,quod habet vim influendi humanitas Chriſti, inquantum eſt coniuncta Dei verbo cui corpus vnitur per animam: vnde tota Chriſti humanitas, ſecundum ſcilicet animam,& corpus,influit in homines, & quantum ad animā, & quantū ad corpus, ſed principaliter quantū ad animā, ſecundario quantum ad corpus. Vno modo in quantum mēbra corporis exhibentur arma iuſtitiæ in anima exiſtenti per Chriſtum;vt dicitur ad Rom.6.Alio modo in quantum vita gloriæ ab anima deriuatur ad corpus; ſecundum illud Rom. 8. qui ſuſcitauit Chriſtum Ieſum à mortuis, viuificabit, & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem ſpiritum eius in vobis.

Præterea in quantum dictum eſt Chriſtum eſſe hominum caput, dicendum eſt quod ſit omniū hominum caput; vt dicitur 1. Tim.3. eſt Saluator, omnium hominum, & maxime fidelium & 1.Ioan. 2.

Ipſe

Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi; saluare autem homines & propitiationem esse pro peccatis eorum, competit Christo, secundum quod est caput, ideo Christus est caput omnium hominum. Non obst. quod infideles non sint membra Ecclesiæ, quæ est corpus Christi, vt dicitur ad Ephes. 1. similiter multi sunt fideles, in quibus inuenitur macula peccati; & tamen dicitur ad Ephes. 5. quod Christus tradidit semetipsum pro Ecclesia, vt ipse exiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi; Nam resp. quod infideles, & si actu non sint de Ecclesia, sunt tamen de Ecclesia impotentia: quę quidē potentia in duabus fundatur; Primo quidem & principaliter in virtute Christi, quæ est sufficiens ad salutem totius humani generis, secundario in arbitrij voluntate, similiter peccatores percipiunt à Christo actum vitæ quendam, qui est credere sicuti si membrum mortificatum moueatur aliqualiter ab homine; Ecclesia autem dicetur sine macula, & ruga in statu patriæ, non in statu vitæ, in quo si dixerimus, quia peccatum non habemus nos ipsos seducimus, vt dicitur 1. Ioan. 1. Hęc autem differentia est, inter corpus hominis naturale, & corpus Ecclesiæ mysticum, quod membra corporis naturalis, sunt omnia simul, membra autem corporis mystici, non sunt omnia simul, neque quantum ad esse naturæ, quia corpus Ecclesię constituitur ex hominibus, qui fuerunt à principio mundi, vsque ad finem ipsius, Neque etiam quantum ad esse gratiæ, quia eorum etiā, quę sunt in vno tempore, quidam gratia carent, postmodum habituri, alijs eam iam habentibus, sic igitur membra corporis mystici accipiuntur, non solum secundum quod sunt in actu, sed etiam secundum quod sunt in potentia, quædam tamen sunt in potentia, quę nunquam reducuntur ad actum, quędam verò sunt, quę quandoque reducuntur ad actum: & hoc secundum triplicem gradum, quorum primus est per fidem, secundus per charitatem vitę; tertius perfruitionem patriæ:. Sic ergo dicendum est, quod accipiendo generaliter secundum totum tempus mundi; Christus est caput omnium hominum, secundum diuersos gradus.

Primo enim & principaliter est caput eorum, qui actu vniuntur sibi per gloriam: secundo eorum, qui actu vniuntur sibi per charitatem, tertio eorum, qui sibi actu vniuntur per fidem, quarto verò, eorum qui sibi vniuntur solum in potentia, non dum reducta ad actum, quæ tamen est ad actum reducenda secundum diuinam prędestinationem; quinto vero, eorum qui potentia sunt sibi vniti, quæ nunquam reducetur ad actum, sicut homines in hoc mundo

viuen-

viuentes, qui non sunt prędestinati, qui tamen ex hoc seculo recedentes totaliter desinunt esse membra Christi, quia iam nec sunt in potentia, vt Christo vniantur.

Pręterea dicendum est Christum non tantum esse caput hominū, sed etiam angelorum; vt dicitur Colos. 2. qui est caput omnis principatus, & potestatis, & eadem ratio est de angelis aliorum ordinum, vbi enim est vnum corpus, necesse est ponere vnum caput, vnum autem corpus similitudinarie dicitur vna multitudo ordinata in vnum, secundum distinctos actus, siue officia: Manifestum est autem, quod ad vnum finem, qui est gloria diuinę fruitionis, ordinantur & homines, & Angeli; vnde corpus Ecclesię mysticum, non solum consistit ex hominibus, sed etiam ex angelis; totius autem huius multitudinis Chistus est caput; quia propinquius se habet ad Deum, & perfectius participat dona ipsius, non solū quàm homines, sed etiam quam Angeli; & de eius influentia non solum homines recipiunt, sed & Angeli dicitur enim ad Ephes. 1. quod constituit eum scilicet Christum, Deus Pater ad dexteram suam, in cęlestibus super omnem potestatem, & principatum, & virtutem & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius, ideo Christus, non solum est caput hominum, sed etiā Angelorum, vnde legitur Mat. 4. quod accesserunt angeli, & ministrabant ei;

Cum igitur Christus sit caput Ecclesię, & Angelorum, sequitur quod Antichristus dicatur caput malorum; Vnde dicit glosa super illud Iob. 21. Interogate quemlibet de viatoribus; Dum de omnium malorum corpore loqueretur, subito ad omnium iniquorum caput Antichristum verba conuertit; Notandum tamen est quod quantum ad ordinem temporis, non dicitur Antichristus esse malorum caput, quasi eius peccatum precesserit sicut præcessit peccatum diaboli, similiter etiam non dicitur esse caput malorū propter virtutē influendi, & si enim aliquos sui temporis ad malū sit conuersurus exterius inducendo; non tamen illi qui ante eū fuerunt ab ipso sunt in malitiā inducti, vnde secundū hoc non posset dici caput omnium, sed aliquorum tantū. Relinquitur ergo quod dicatur caput omnium malorum propter malitię perfectionem; vnde super illud 2. Thes. 2. Ostendens se tanquam sit Deus, dicit gl. ord. sicut in Christo omnis plenitudo diuinitatis in habitauit, ita in Antichristo omnis malitię plenitudo, non quidem ita quod humanitas eius sit assumpta à diabolo in vnitatem personę, sicut humanitas Christi à filio Dei; sed quia diabolus suam malitiam eminentius ei influet suggerendo, quam omnibus alijs; & secundum

dum hoc omnes alij mali, qui præcesserunt sunt quasi quædam figura Antichristi, secundum illud 2. Thes. 2. Misterium iam operatur iniquitatis; Non obst. quod etiam diabolus dicatur caput malorum; secundum illud Iob. 18. Memoria illius pereat de terra; vbi dicit gl. quæ est Greg. in lib. 14. Moral. cap. 11. De vno quoque iniquo dicitur, vt ad caput idest ad Diabulum reuertatur, & Iob. 41. ipse est Rex super vniuersos filios superbiæ; Nam Resp. quod per hoc diabolus, & Antichristus non dicuntur duo capita, Nam Antichristus dicitur membrum diaboli, & caput malorum propter similitudinem perfectionis, in quantum in eo inuenitur impressa malitia diaboli, vnde super illud 2. Thes. 2. ostendens se tanquam sit Deus, dicit gl. In ipso erit caput omnium malorum scilicet diabolus, qui est Rex super omnes filios superbiæ; Hæc omnia per S. Thom. in 3. p. q. 8. art. 1. & seqq.

Quibus ita suppositis adq. Resp. dicendum, secundum Mat. 24. surgent Pseudo Prophetæ & dabunt signa, & prodigia magna, vbi loquitur Dominus de miraculis, quæ fienda sunt tempore Antichristi, de quibus dicitur 2. Thes. 2. quod in aduentu Antichristi erit secundum operationem satanæ in omni virtute & signis, & prodigijs mendacibus, & sicut Aug. dicit lib. 20. de ciuit. Dei cap. 19. Ambiguum esse solet vtrum propterea dicta sint signa, & prodigia mendacia: quoniam mortales sensus per fantasmata decepturus est, vt quod non facit facere videatur, aut quia illa etiam si erunt vera prodigia ad mendacium pertrahent: vera autem dicuntur, quia ipsę res verę erunt, sicut magi Pharaonis fecerunt veras ranas, & veros serpentes: non tamen habebũt veram rationem miraculi, quia fient virtute naturalium causarum, vera tamen miracula, non fiunt nisi virtute diuina ad vtilitatem hominum S. Tho. 2. 2. q. 178. 1. ad 2. & 1. p. q. 114. 4. ad 1. Nichol. Sander. in lib. 8. de visibili Monarc. Eccl. c. 28. & seq.

QVÆSTIO XXI.

Vigesimo primo quæro vtrum sit aliqua gratia gratis data ad miracula facienda? Resp. quod sic, dicitur enim 1. Cor. 12. Inter alias gratias gratis datas, alij datur gratia sanitatum, alij operatio virtutum: Spiritus enim sanctus prouidet Ecclesię, in his quę sunt vtilia ad salutem ad quod ordinantur gratię gratis datę, sicut autem oportet quod notitia, quam quis diuinitus accepit, in notitiam aliorum deducatur, per donum linguarum, & per gratiam sermonis, ita necesse est, quod sermo prolatus confirmetur ad hoc quod credibilis fiat. Hoc autem fit per operationem miraculo-

culo-

culorum,ſecundum illud Mat.vlt. & ſermonem confirmante ſequẽtibus ſignis : & hoc rationabiliter : Naturale enim eſt homini vt veritatem intelligibilem , per ſenſibiles effectus deprehendat : vnde ſicut ductu naturalis rationis homo peruenire poteſt ad aliquã Dei notitiam per effectus naturales , ita per aliquos ſupernaturales effectus , qui miracula dicuntur , in aliquam ſupernaturalem cognitionem credendorum homo inducitur : & ideo operatio miraculorum pertinet ad gratiam gratis datam.

Non obſt. quod operatio miraculorum conſequatur fidem vel facientis , ſecundum illud 1. Cor.13.ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam , ſiue etiam aliorum , propter quos miracula fiunt ; vnde dicitur Mat. 13. Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum ; at fides ponitnr gratia gratis data , ſuperflue igitur ponitur & gratia miraculorum ; Nam reſp. quod operatio miraculorum attribuitur fidei propter duo ; Primo quidem quia ordinatur ad fidei confirmationem : ſecundo quia procedit ex Dei omnipotentia,cui fides innititur : Et tamen ſicut prſter gratiam fidei,neceſſaria eſt gratia ſermonis ad fidei inſtructionem , ita etiam eſt neceſſaria operatio miraculorum ad fidei confirmationem;Non obſt.etiam quod miraculoſa operatio ſanitatis per diuinam virtutem fiat, ergo non debet diſtingui gratia ſanitatis ab operatione virtutum;Nam reſp. quod gratia ſanitatis commemoratur ſeorſum , quia per eam confert homini aliquod beneficium , ſcilicet corporalis ſanitatis , præter beneficium commune , quod exhibetur in omnibus miraculis , vt ſcilicet homines adducantur ad Dei notitiam ; Non obſt. quod miracula diſtinguantur per ſigna & prodigia, ſiue portenta , & per virtutes ; Inconuenienter ergo ponitur operatio virtutum , potius gratia gratis data , quam operatio prodigiorum , ſiue ſignorum ; Nam reſp. quod in miraculis duo poſſunt attendi ; vnũ quidem eſt id quod fit,quod quidem eſt aliquid excedens facultatem naturæ . Et ſecundum hoc miracula dicuntur virtutes . Aliud eſt id propter quod miracula fiunt, ſcilicet ad manifeſtandum aliquid ſuper naturale , & ſecundum hoc communiter dicuntur ſigna.Propter excellentiam autem dicuntur portenta , vel prodigia quaſi procul aliquid oſtendentia; Non obſt. etiam quod nulla gratia gratis data ordinetur ad miracula facienda , quia omnis gratia ponit aliquid in eſſe in eo cui datur , ſed operatio miraculorum non ponit aliquid in anima hominis , cui datur , quia etiam ad tactum corporis mortui miracula fiunt , ſicut legitur 4. Reg.13. quod quidam proiecerunt cadauer in ſepulchro Hęliſei , quod cum tetigiſſet oſſa Hęliſei , reuixit homo , & ſtetit ſuper pedes ſuos,ergo operatio miraculorum nõ pertinet

tinet ad gratiam gratis datam; Nam resp. quod sicut Prophetia se extēdit ad omnia, quæ super naturaliter cognosci possunt, ita operatio virtutum se extendit ad omnia, quę super naturaliter fieri possunt, quorum quidem causa est diuina omnipotentia, quę nulli creaturę communicari potest; & ideo impossibile est quod principium operandi miracula sit aliqua qualitas habitualiter manens in anima, sed tamen hoc potest contingere quod sicut mens Prophetę mouetur ex inspiratione diuina ad aliquid supernaturaliter cognoscendū, ita etiā mens miraculi facientis moueatur ad faciēdum aliquid quod Deus sua virtute facit; vnde Greg. in lib. 2. Dialog. c. 30. dicit: quod Sancti aliquando ex potestate miracula exhibēt, aliquando ex postulatione, vtrolibet tamen modo Deus principaliter operatur, qui vtitur instrumētaliter vel interiori motu hominis, vel eius locutione vel etiā aliquo exteriori actu, seu etiā aliquo contactu corporali corporis etiā mortui: vnde Iosue 10. Cum Iosue dixisset quasi ex potestate sol contra Gabaon non mouearis subditur postea, Non fuit ante, & postea tam longa dies obediente Deo voci hominis. S. Thom. 2. 2. q. 178. art. 1. per totum.

Et quoniam hoc in locò contingit haberi sermo de gratia gratis data, videamus modo, quo modo distinguatur huiusmodi gratia, quę dicitur gratis data, ad quod facit illud Apost. 1. Cor. 12. quod alij per spiritum datur sermo sapientiæ alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum; alij operatio virtututum, alij Prophetia, alij discretio spirituum; alij genera linguarum, alij interpretatio sermonū; Gratia enim gratis data ordinatur ad hoc, quod homo alteri cooperetur & reducatur ad Deum; Homo autem ad hoc operari non potest interius mouendo (hoc enim solius Dei est) sed solum exterius docendo, vel persuadendo. Et ideo gratia gratis data illa sub se continet, quibus homo indiget ad hoc quod alterum instruat in rebus diuinis, quæ sunt supra rationem.

Ad hoc autem tria requiruntur: Primo quidem quod homo sit sortitus plenitudinem cognitionis diuinorum, vt ex hoc instruere alios possit. Secundo vt possit cōfirmare, vel probare ea, quæ dicit; Alias non esset efficax eius doctrina: Tertio vt ea quæ concipit, possit conuenienter auditoribus proferre; quantum igitur ad primum; tria sunt necessaria, sicut etiam apparet in magisterio humano: oportet quod ille, qui debet alium instruere in aliqua sciētia; Primo quidem vt principia illius scientiæ sint ei certissima, & quantum ad hoc ponitur fides, quæ est certitudo de rebus inuisibilibus, quæ supponuntur vt principia in catholica doctrina. Secundo oportet quod doctor rectè se habeat circa principales conclu-

ſiones ſcientiæ, & ſic ponitur ſermo ſapientiæ, quæ eſt cognitio diuinorum. Tertio oportet vt etiam abundet exemplis, & cognitione effectuum, per quos interdum oportet manifeſtare cauſas, & quantum ad hoc ponitur ſermo ſcientię, quę eſt cognitio rerum humanarum, quia inuiſibilia Dei per ea quę facta ſunt intellecta conſpiciuntur; Confirmatio autem in his, quę ſubduntur rationi, eſt per argumenta.

In his autem, ſunt ſupra rationem diuinitus reuelata confirmatio eſt per ea quę ſunt virtuti diuinæ propria; & hoc dupliciter vno quidem modo, vt doctor ſacræ doctrinæ faciat, quæ ſolus Deus facere poteſt in operibus miraculoſis, ſiue ſint ad ſalutem corporum, & quantum ad hoc ponitur gratia ſanitatum, ſiue ordinentur ad ſolam diuinę poteſtatis manifeſtationem, ſicut quod ſol ſtet aut tenebreſcat, quod mare diuidatur, & quantum ad hoc ponitur operatio virtututum, ſecundo, vt poſsit manifeſtare ea, quæ ſolius Dei eſt ſcire, & hæc ſunt contingentia futura, & quantum ad hoc ponitur, Prophetia, & etiam occulta cordium; & quantum ad hoc ponitur diſcretio ſpirituum.

Facultas autem pronunciandi poteſt attendi, vel quantũ ad idioma, in quo aliquis poſſit intelligi, & ſecundum hoc ponitur genera linguarum: vel quantum ad ſenſum eorum, quæ ſunt proferenda, & quantum ad hoc ponitur interpretatio ſermonum. S.Thom. 1.2.q.111.art.4.

Eſt etiam attendendum circa gratias gratis datas, quod quædam earum pertinent ad cognitionem, quædam ad locutionem, quædã ad operationẽ, omnia verò quæ ad cognitionẽ pertinent ſub prophetia comprehendi poſſunt. Nam prophetica reuelatio ſe extendit non ſolum ad futuros hominum euentus, ſed etiam ad res diuinas, eſt enim Prophetica reuelatio de his quæ pertinent ad ſpirituales ſubſtantias, à quibus vel ad bonum, vel ad malum inducimus, quod pertinet ad diſcretionem ſpirituum, extendit etiam ſe ad diſcretionem humanorum actuum, quod pertinet ad ſcientiam; Prophetia igitur primo conſiſtit in cognitione; vnde 1.Reg. 9. qui enim Propheta dicitur hodie olim vocabatur videns, quod pertinet ad cognitionem; ſecundario conſiſtit in locutione Iſa.21. Quæ audiui à Domino exercituum enunciaui vobis, tertio ad Prophetiam pertinet operatio miraculorum, quaſi confirmatio quædã propheticæ annunciationis; vnde Deut.vlt. Nõ ſurrexit Propheta vltra in Iſrael, ſicut Moyſes, quem noſcet Dominus facie ad faciem in omnibus ſignis, atque portentis. 2.2.q.171.art.1 prætera notandum eſt: Quod Prophetiæ lumen ineſt ſanctis Prophetis non per modum habitus, ſed tranſeuntis Paſſionis; Habitus enim eſt,

quo

quo quis agit cum voluerit, sed aliquis non potest vti prophetia cum voluerit, vt patet 4.Reg.3.de Hæliseo, quem cum Iosaphat de futuris requireret, prophetiæ spiritus ei defuit;tertio Notandum est, quod prophetia quædam est de futuro, Isai.7. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, quædam de præterito, Gen.1.in In principio creauit Deus cœlum & terram, quædam de præsenti. 1.Cor.14. si omnes Prophetent, intret autem quis infidelis, occulta cordis eius manifesta fiunt;spiritus tamen prophetiæ,aliquādo ex præsenti tantum tangit animum prophetātis, ex futuro nequaquam tangit aliquando, autem ex præsenti non tangit, & ex futuro tangit,& sic Propheta cognoscit tantum, ea quæ sibi per diuinam reuelationem nota fiunt. Gregor. In Homil.1. in Ezech.vbi circa medium dicit quod aliquando Prophetæ sancti dum consuluntur, ex magno vsu prophetandi, quædam ex suo spiritu proferunt, & se hoc ex prophetiæ spiritum dicere suspicantur; Quarto notandum quod ea,quæ propheticæ cognoscuntur, & annunciantur, non possunt esse falsa, dicit enim Cassiod. in Prolog. in Psal. cap.1. quod prophetia est inspiratio, vel reuelatio diuina rerum euentus in mobili veritate denuncians.

Non obst. quod prophetia sit de futuris contingentibus, quæ possunt non euenire; Nam resp. quod certitudo diuinæ præscientiæ non excludit contingentia singularium futurorum, quia fertur in ea secundum quod sunt præsentia etiā determinata ad vnū; Non obst. quod dicitur per Isaiam Ezechiæ dispone domui tuæ, quia morieris tu & non viues, & tamen additi sunt postea quindecim anni, vt habetur 4.Reg.20. & Isa.38. Nam illud intelligitur, morieris & non viues, idest dispositio corporis tui ad mortem ordinatur S.Thom.2.2.q.171.art.1.& seq.

Quintò sciendum est,quòd prophetia simpliciter non potest homini inesse à natura,sed ex diuina reuelatione; vnde dicitur 2.Pet. 1. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia,sed Spiritu sancto inspirante,locuti sunt Sancti Dei homines. Prophetica enim præcognitio potest esse de futuris dupliciter: vno modo secundum quod sunt in se ipsis: alio modo secundum quod sunt in suis causis. Primò modo non potest esse à natura, sed ex diuina reuelatione; nam æternitati diuini intellectus sunt omnia præsentia. Futura autem in suis causis possunt præcognosci naturali cognitione, sicuti Medicus præcognoscit sanitatem, vel mortem futurā in aliquibus causis, quorum ordinem ad tales effectus experimento præcognouit. Præcognitio prophetica de futuris,prout sunt in se ipsis,licet habeatur à Deo,hoc tamen fit Angelorum ministerio; vnde Dion.in 4.Cœl.Hyerarc.Diuinas visiones gloriosi patres no-

stri adepti sunt per medias cœlestes virtutes. Loquitur autem ibi de visionibus propheticis: Nec requiritur ex parte hominis aliqua dispositio naturalis, nam prophetia verè, & simpliciter dicta est ex dispositione diuina. Quæ autem est ex causa naturali non dicitur prophetia, nisi secundũ quid; vnde Greg. in Homil. in Euang. Pent. 30. Implet, scilicet Spiritus sanctus citharedum puerum, & psalmistam facit, Pastorem armentorũ Sycomoros vellicantem, & Prophetam facit; ideo Paul. 1. Cor. 12. Hæc omnia operatur vnus, atq; idem spiritus diuidens singulis, prout vult, quòd in tantum procedit, vt prophetia esse possit, etiam absq; morum bonitate: immo potest esse in eis quoque qui non sunt Dei per gratiam; vt dicitur Matt. 7. his qui dixerant. Domine nonne in nomine tuo prophetauimus? Resp. nunquam noui vos. Nouit autem Dominus eos qui sunt eius, vt dicitur 2. Tim. 2. Prophetia enim pertinet ad intellectum, cuius actus præcedit actum voluntatis, quem perficit charitas; vnde Apost. 1. Cor. 13. Prophetiam connumerat aliis ad intellectum pertinentibus, quæ possunt sine charitate haberi. Et quia prophetia datur ad vtilitatem Ecclesiæ sicuti, & aliæ gratiæ gratis datæ; vt 1. Cor. 12. Vnicuiq; datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Impediri tamen posset aliquis à prophetia propter passiones animæ, & actiones exteriores; vnde 4. Reg. 4. dicitur. Quòd simul habitabant cum Heliseo quasi solitariam vitam ducentes, ne mundanis occupationibus impediretur à dono prophetiæ.

Sextò notandum est, quòd licet propriè, & simpliciter prophetia sit dicta per solam diuinam reuelationem. Reuelatio tamen facta per dæmones potest dici secundum quid ipsa quoque prophetia: vnde quibus aliquid per dæmones reuelatur, non dicuntur in scripturis prophetæ simpliciter, sed cum aliqua additione, puta prophetæ idolorum, vt dicit Aug. lib. 12. super Gen. c. 19. Cum malus spiritus arripit hominem in hæc scilicet visa, aut dæmoniacos facit, aut areptitos, aut falsos Prophetas; prophetia enim importat cognitionem quandam procul existentem à cognitione humana. Manifestus est autem, quod intellectus superioris ordinis aliqua cognoscere potest, quæ sunt remota à cognitione intellectus inferioris, supra autem intellectum humanum est non solum intellectus diuinus, sed etiam Angelorum bonorum, & malorum, secundum naturæ ordinem: & ideo quædam cognoscunt dæmones etiam sui naturali cognitione, quæ sunt remota ab hominum cognitione, quæ possunt hominibus reuelare; Vnde dicitur 3. Reg. 18. congrega à me vniuersum Israel, in monte carmeli, & Prophetas Baal trecentos quinquaginta, Prophetasq. locorum quatrigentos, qui comedunt de mensa Iezabel, qui cum essent dæmonum cultores,

sequi-

ſequitur quod etiam à dæmone procedat prophetia, quæ aliquando prædicit veritatem; dicit enim Chryſoſt. in Homil. 19. ſuper Mat. Conceſſum eſt diabolo interdum vera dicere, vt mendacium ſuum rara veritate commendet, & gl. ſuper num. 22. dicit quod Balaal diuinus erat, demonum ſcilicet miniſterio; & arte magica nō nulla futura præcognoſcebat ſed ipſe multa prænuntiauit vera, vt habetur Nu. 24. orietur ſtella ex Iacob, & cōſurget virga ex Iſrael; Deus enim vtitur etiam malis ad vtilitatem bonorum S. Tho. 2. 2. q. 172. art. 1. ſeq. Animaduertendum tamen eſt, quod licet dæmones quandoque dicant veritatem, eſſet tamen peccatum, ſi quis illis mediantibus quæreret futura cognoſcere, dicitur enim Deut. 18. Non ſit qui phitones conſulat, neq; diuinos eſt enim diuinatio ſpecies ſuperſtitionis; vnde Aug. in 2. de Doct. Chriſt. c. 23. quicquid procedit ex ſocietate dæmonum & hominum ſuperſtioſum eſt! S. Thom. 2. 2. q. 95. art. 1. & 2. de hac dixi late in ſumma pec. c. p. 1. tit. 2. q. 36. & ſeqq.

Septimo notandum eſt quod licet prophetia habeatur à diuina illuminatione, Prophetæ tamen non vident diuinam eſſentiam, viſio enim diuinæ eſſentiæ non euacuatur in patria; prophetia autem euacuatur, vt habetur 1. Cor. 13. prophetia enim importat cognitionem diuinam, vt procul exiſtenté, & de Prophetis dicitur, Hebr. 11. Quod erant à longe aſpicientes. Illi autem qui ſunt in patria in ſtatu beatitudinis exiſtentes, non vident vt à remotis, ſed magis quaſi ex propinquo; vt in Pſal. 139. Habitabunt recti cū vultu tuo. Vnde manifeſtum eſt, quòd cognitio prophetica alia eſt à cognitione perfecta, quæ erit in patria, & diſtinguitur ab ea ſicuti imperfectum à perfecto, & ea adueniente prophetia euacuatur, vt habetur 1. Cor. 13.

Octauò notandū eſt, quòd in prophetica reuelatione, imprimuntur nouæ ſpecies rerum, & non ſolū intelligibile lumen; vnde dicitur Oſeæ 12. Ego viſiones multiplicaui eis, & in manibus Prophetarum aſsimilatus ſum. Multiplicatio autem viſionum non fit ſecundum lumen intelligibile, quod eſt commune in omni prophetica viſione, ſed ſolum ſecundum diuerſitatem ſpecierum, ſecundum quas etiam eſt aſsimilatio. Prophetica tamen viſio non fit cū alienatione à ſenſibus, vnde dicitur 1. Cor. 14. Spiritus Prophetarum Prophetis ſubiecti ſunt, quod eſſe non poſſet ſi Propheta non eſſet ſui Compos à ſenſibus alienatus exiſtens. Prophetæ verò non ſemper cognoſcunt ea quę prophetant: dicitur enim Ioan. 11. Hoc autem à ſe ipſo Caiphas non dixit, ſed cum eſſet Pontifex anni illius prophetauit, quia Ieſus moriturus erat pro gente. Nam in reuelatione prophetica mouetur mens Prophetæ à Spiritu ſancto, ſicut

inſtru-

instrumentum deficiens respectu principalis agentis. Mouetur autem mens Prophetę non solum ad aliquod apprehendendũ, sed etiã ad aliquid loquendum, vel ad aliquid faciendum, & quandoq; quidem ad omnia tria simul, & quodlibet eorum contingit esse cũ aliquo cognitionis defectu. S.Tho.2.2.q.173.art.1.& seqq.

Rursus cum dictum sit, quòd inter gratias gratis datas, quædam pertinent ad cognitionem, & hæc est, quę prophetia dicitur, de qua dictũ est, quędã ad locutionẽ, de qua modo erit dicendũ, & primo de gratia linguarum 2.d. gra. sermonis scientiæ, vel sapientię. Circa primũ dicendum est, quòd oportuit vt Christi Discipuli, qui per totum mundum mittebantur Euangelium predicare, omnium linguis hominum loquerẽtur Spiritu sancti opere, vnde dicitur Act.2. Quod repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, vbi dicit gl. Gregor. in Homil.30. Euangelij, quòd Spiritus sanctus super Discipulos in igneis linguis apparuit, & eis omnium linguarum scientiam dedit: ipsi enim fuerunt electi vt prędicarent omni creaturę, vt dicitur Matt.vlt. Euntes docete omnes gentes &c. Non autem erat conueniens, vt qui mittebantur ad alios instruendos indigerent ab alijs instrui, qualiter alijs loquerentur, vel qualiter, quæ alij loquerentur intelligerent. Maiori autem miraculo factum est, quod ipsi omnium linguarum generibus loquerentur, quam si vna lingua loquentes ab omnibus intelligerent secũdum Bedam in 2.Act.Apost. vnde 1.Cor.14. Gratias ago Deo, quod omnium vestrum lingua loquor. Gratia tamen prophetiæ est excellentior dono linguarum; vt dicitur 1. Cor.14. Maior est qui prophetat, quam qui loquitur linguis. S.Tho.2.2.q.176.art.1.& seq.

Circa secundum videlicet de gratia gratis data in sermone, dicendum est. Primo quòd gratię gratis datę dantur ad vtilitatem aliorum. Cognitio autem, quam aliquis à Deo accipit in vtilitatẽ alterius conuerti non posset, nisi mediante locutione, & quia Spiritus sanctus non deficit in aliquo ꝙ pertineat ad Ecclesię vtilitatẽ, etiam prouidet membris Ecclesię in locutione nõ solum vt aliquis sic loquatur, vt à diuersis possit intelligi quod pertinet ad donum linguarum, sed etiam quod efficaciter loquatur, quod pertinet ad gratiam sermonis, & hoc tripliciter. Primo quidem ad instruendũ intellectum, quòd fit cum aliquis sic loquitur, vt doceat. Secundo ad mouendum affectum, vt scilicet vt audiat verbum Dei, quod fit dum aliquis sic loquitur, quod auditores delectet, quod non debet aliquis quęrere propter fauorem suum, sed vt homines alliciantur ad audiendum verbum Dei. Tertio ad hoc quod aliquis amet ea, quę verbis significantur, & velit ea implere, quod fit dum aliquis sic lo-

sic loquitur, quod auditorem flectat, ad quod quidē efficiendū Spiritus sanctus vtitur lingua hominis, quasi quodā instrumento: ipse autem est, qui proficit operationem interius, vnde Greg. in Homil. 30. in Euangel. Pentecost. Nisi corda auditorum Spiritus sanctus repleat, ad aures corporis vox docentium in Cassum sonat.

Non obst. quòd ex naturali ratione sit inuenta ars rethorica, per quam aliquis potest sic dicere, vt doceat, vt delectet, vt flectat, secundum Aug. in 4. de doct. Chri. c. 12. Nam resp. quòd sicut miraculosè Deus quandoque operatur quodam excellentiori modo; etiā ea quę natura potest operari, ita etiā Spiritus sanctus excellentius operatur per gratiam sermonis, id quod potest ars inferiori modo.

Secundo notandum est, quod huiusmodi gratia sermonis non pertinet ad mulieres, dicit enim Paul. 1. Cor. 14. Mulires in Ecclesijs taceant & 1. Tim. 2. Docere mulieri non permitto; quod præcipue pertinet ad gratiam sermonis, quod ita intelligendum est, Nam sermone, quis potest vti dupliciter, vno modo priuate, ad vnū vel paucos familiariter loquendo, & quantum ad hoc gratia sermonis potest competere mulieribus. Alio modo publicè alloquendo totam Ecclesiam: Et hoc mulieri non con conceditur. Primo quidem & principaliter propter conditionem fęminei sexus, qui debet esse subditus viro, vt habetur Gen. 3. docere autem, & persuadere publice in Ecclesia non pertinet ad subditos, sed ad prælatos tamen viri subditi ex commissione possunt exequi, quia non habent huiusmodi subiectionem ex naturali sexu, sicut mulieres, sed ex aliquo accidentaliter superueniente secundo ne animi hominum alliciantur ad libidinem, dicitur enim Eccles. 9. Colloquium illius, quasi ignis exardescit. Tertio quia vt communiter mulieres non sunt in sapientia perfectæ, vt eis possit conuenienter publica doctrina commiti S. Thom. 2. 2. q. 177. art. 1. & seq.

Et hæc satis dicta sufficiant de gratia gratis data, quæ plenissime data fuit animæ Christi, vt scilicet non solum ipse miracula faceret, sed etiam vt hanc gratiam in alios transfunderet, vnde dicitur Mat. 10. quod conuocatis duodecim discipulis, dedit eis potestatem spirituum immundorum, vt eijcerent eos & curarent omnem languorem, & omnem Infirmitatem S. Thom. 3. p. q. 13. art. 2. ad tertium.

QVAESTIO XXII.

QVæro vigesimo secūdo, vtrum aliquis debeat canonizari propter miraculorum euidentiam? Resp. quod sic; dummodo cū illis concurrat bona vita, Aug. de Ancona in summa de Pot. Eccles.

q. 15.

q. 15.art.4. Troilus de Maluetijs in Tract.de Canoniz. sanct. in 3. membro num.6.Cassan.de Gloria mundi p.3.Concl.49. & seq. Mascar. in Tract.de probat.Concl.262.nu.2. quoniam miracula fiunt dono quodam speciali, quod aliquando transit per totum genus descendentium, sicuti vidimus in Rege francorum, Idem Troil.nu. 24. Miraculum autem ad hoc vt sit causa Canonizationis alicuius sancti, cum bonitate vitæ requirit, i. vt contingat ex virtute diuina, non ex arte diabolica c. Querendum de penit.Dist.2. Secundo quod sit supra naturam vt patet da virga Moysi mutata in serpẽtem c. cum ex iniuncto de hær. Tertio, quod non ex vi verborum, sed est ex hominum merito procedat, nam panis & vinum virtute verborum transubstantiatur in corpus & sanguinem c. cũ Marthę de cel. miss.quarto quod sit euidens, non autem latens, & credibile vt eucharistia, quinto vt fiat ad corroborationẽm fidei in salutẽ hominum: sexto quod fiat in continenti, vel in tempore, quod secundum naturam fieri non potuisset; septimò quod in liberatione alicuius ab infirmitate dolor non interuenerit, & hoc communiter contingit, licet aliquando secus euenerit, vt patet. Marc. 9.Ibi & exclamans, & multum discerpens eum exijt ab eo,& factus est sicut mortuus, ita quod multi crediderunt quod mortuus esset. Miracula tamen cõmuniter apparent facta sine interuallo,& absq; dolore,habetur enim Act.3. in princi.ibi & apprehensa manu eius dextera eleuauit eum, & protinus consolidatę sunt bases eius, & plantæ & Act.9.in fine,ibi continuo surrexit &c.Luc.8.Tetigit fimbriam vestimenti eius, & confestim stetit fluxus sanguinis eius, Marc.5.Confestim exiccatus est, Luc. 7. Adolescens tibi duo surge, & resedit qui mortuus fuerat, Mat.9.Salua facta est mulier ex illa ora, & 15. fiat tibi sicut vis & saluata est filia eius ex illa ora, Luc.5.statim sanus factus est homo, Mat.7.Curatus est puer ex illa ora, & c.8.& statim mundata est lepra eius. Mat.20. Iesus tetigit oculos eorum, & confestim viderunt. Mat. 10.in fine, & confestim vidit, & c.7.statim apertę sunt aures eius, & intellige statim idest in continenti,hoc est sine interuallo;Nam apud Deum non est mora c.Multiplex de pœnit. Dist. 1. & Spiritus sancti gratia vestit molimina Troil.in d.Tract.de Canon. sanct. 3. Memb. nu. 51.

QVAESTIO XXIII.

QVoniam in Ecclesia, non sunt admittenda Noua miracula,nĩ nisi reconoscente, & approbante Episcopo, vt habetur in sess. 25.Concil. Trid. in Tit.de reliq. & ven. sanct.in §.hęc vt fidelibus, ideo videndum erit, quomodo probetur, Miraculum? Resp. quod

quòd in hoc ſunt teſtes diligentiſsimè examinandi, & ſigillatim inducendi c. venerabili, de teſtibus, c. miramur. 61. diſt. Bart. in tract. de teſtibus. §. qualitas. nu. 56. Curt. in tract. de teſtibus. concl. 37. nu. 80. Nec ſufficit probare, ſeu deponere aliquem de vno miraculo, & alterum de altero, Troil. in tract. de can. Sanct. membro 3. nu. 60. Nec ſufficit vnum miraculum probari per duos teſtes, qui ſeparatim debent examinari, alias nullum eſſet teſtimonium, Troyl. in d. loco nu. 54. Debetq; fieri diligens inquiſitio ſingularum circunſtantiarum, vt habetur in c. cauſam, de teſtibus. Nec propterea ſatis eſt ſi probentur miracula ante mortem, in vita facta, ſed etiam poſt mortem ad effectum canonizandi, Troylus in d. loco num. 73. Vnde vnicum miraculum non ſufficit probatum ad effectum prædictum, ſed plura requiruntur, gl. in c. vnico. de reliq. & ven. Sanct. in 6. Maſcar. in tract. de probat. concl. 262. nu. 46. & ſeq. & in concl. 1060. nu. 11. Vbi dicit teſtes non probare miraculum directè, quando ſcilicet per principia deponunt, nam miraculum nullum principium habet ex ſubiecto, in quo fit. Preterea notandum eſt, quòd cũ miraculum ſit aliquod factum ſupra facultates, vel vires naturæ, dupliciter probari contingit; vel quo ad factum, vel quo ad modũ, quo ad factum, vt quando de cœco eſt factus videns, & de mortuo viuens: nam eo probato dicitur eo ipſo miraculum probatum, cum à priuatione ad habitum non detur regreſſus, ſecundum principia naturalia; quo verò ad modum facti miraculi, vt ſi febricitans ad inuocationem Dei per interceſsionem Sancti ſtatim efficiatur ſanus, quia via naturę per certum temporis ſpacium poterat fieri ſanus: natura enim ſucceſsiuè per alterationes diuerſas operatur, non autem in inſtanti, Troyl. in d. loco nu. 53. & ſeq.

QVÆSTIO XXIIII.

QVæſtio modo ſequitur de reliquijs, & imaginibus Sanctorum, an ſcilicet ab illis miracula fiant? Reſp. quòd Deus huiuſmodi reliquias conuenienter honorat in præſentia ipſarum miracula faciendo, vt dicit S. Tho. in 3. p. q. 25. art. 1. vnde legitur. 4. Reg. 13. Quod quidam proiecerunt cadauer in ſepulchro Heliſei, qui cum tetigiſſet oſſa Heliſei, reuixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos. S. Tho. 2. 2. q. 178. 1. ad primum. Vnde conuenienter Eccleſia mandat eas venerari. S. Tho. in 3. p. q. 25. art. 6. & c. 1. & ſeq. de reliq. & ven. Sanct. & in Concil. Trid. in ſeſſ. 25. in princ. & Pius IIII. in Bulla de prof. fid. de quibus dixi in Summa hæreſum. ver. imagines. & in ver. reliquiæ. Similiter quòd ab imaginibus, ſeu quod in eis Deus miracula faciat patet ex ſanguine, qui effluxit de imagine Chriſti

percuſſa, de qua S. Thom. in 3.part.q.54.art.2. ad tertium. Et patebit latius inferius ſuo loco.

QVÆSTIO XXV.

Vigeſimo quinto, quoniam Sancti non fiunt niſi per gratiam, cuius effectus eſt iuſtificatio, ideo videamus, an iuſtificatio impij ſit miraculoſa? Reſp. quòd non, quoniam opera miraculoſa ſunt ſupra potentiam naturalem. Iuſtificatio autem impij non eſt talis, dicit enim Aug. in lib. de præd. Sanct. Quòd poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem, naturæ eſt hominum, habere autem bonum gratiæ eſt fidelium, ergo iuſtificatio impij non eſt miraculoſa.

In operibus enim miraculoſis tria inueniuntur, quorum vnum eſt ex parte potẽtiæ agentis; quia ſola diuina virtute fieri poſſunt, & ideo ſunt ſimpliciter mira, quaſi habentia cauſam occultam, & ſecundum hoc, tam iuſtificatio impij, quàm creatio mundi, & vniuerſaliter omne opus, quòd à ſolo Deo fieri poteſt, miraculoſum dici poteſt. Secundò in quibuſdam miraculoſis operibus inuenitur, quod forma inducta eſt ſupra naturalem potentiam talis materiæ, ſicut in ſuſcitatione mortui, vita eſt ſupra naturalem potentiam talis corporis, & quantum ad hoc iuſtificatio impij nõ eſt miraculoſa; quia naturaliter anima eſt gratiæ capax, eo enim ipſo quod facta eſt ad imagionem Dei, capax eſt Dei per gratiam. Tertio modo in operibus miraculoſis inuenitur aliquid præter ſolitũ, & conſuetum ordinem cauſandi effectum; ſicut cum aliquis infirmus ſanitatem perfectam aſſequitur ſubito præter ſolitum curſum ſanationis, quæ fit à natura, vel arte, & quantum ad hoc iuſtificatio impij, quandoque eſt miraculoſa, & quandoque non: eſt enim iſte communis, & conſuetus curſus iuſtificationis, vt Deo mouente interius animam homo conuertatur ad Deum. Primò quidem conuerſione imperfecta, vt poſtmodum ad perfectam deueniat; quia charitas inchoata meretur augeri, vt aucta mereatur perfici: quãdoque verò tam vehementer Deus animam mouet, vt ſtatim quandam perfectionẽ iuſtitiæ aſſequatur, ſicut fuit in conuerſione Pauli ad hibita etiã exterius miraculoſa proſtratione, & ideo conuerſio Pauli tanquã miraculoſa in Eccleſia cõmemoratur celebriter.

Non obſt. quòd opus iuſtificationis impij ſit maius quàm alia opera miraculoſa, ſecundum Aug. in tract. 72. ſuper illud Ioan. 14. Maiora horum faciet. Nam reſp. quòd quædam opera miraculoſa, & ſi minora ſint quam iuſtificatio impij, quantum ad bonum quod fit ſunt tamen præter conſuetũ ordinem talium effectuum, & ideo

plus

plus habent de ratione miraculi. Non obst. quòd voluntas impij tendat in malum, quem Deus iustificando mouet in bonum, quo casu videtur miraculosè factum, sicut quando illuminatur cœcus. Nam resp. quòd non quandocunq; res naturalis mouetur contra suam inclinationem est opus miraculosum (alioquin miraculosum esset, quod aqua calefieret, vel quod lapis sursum proijceretur) sed quandoq; hoc fit præter ordinem propriè causæ, quæ est nata facere hoc. Iustificare autem impium nulla alia causa potest nisi Deus, sicut nec aquam calefacere, nisi ignis, & ideo iustificatio impij à Deo quantū ad hoc non est miraculosa. S.Th.1.2.q.113.art.10.

QVAESTIO XXVI.

VIgesimo sesto, quæro quibus in rebus Miracula dicantur facta? Resp. quod miracula reperiuntur facta circa spirituales creaturas, circa cœlesta corpora, circa homines, & circa creaturas irrationales, vt dicit S. Thom. 3. p.q.44. art. 1. & seq. Ratio primi est, quia miracula, quæ Christus facit, argumenta quædam fuerunt fidei, quam ipse docebat, futurum autem erat, vt per virtutem diuinitatis eius excluderet dæmonum potestatem ab hominibus credituris in eum, secūdum illud Ioan.12. Nunc princeps mundi huius eijcietur foras. Et ideo conueniens fuit, vt inter alia miracula etiam obsessos à dæmonibus liberaret, quod fuit pronunciatum per Zacar. 16. spiritum immundum auferam de terra.

Non ob. quod legatur Christum nullum miraculum fecisse circa Angelos bonos, qui tamen præpollent dæmonibus secundum Aug. in 3. de Trin.c.4. Nam resp. quod homines sicut per Christum erāt à potestate dæmonum liberandi, ita per eum erant Angelis consociandi, secundum illud Col.1. pacificans per sanguinē crucis eius, quæ in cœlis, & quæ in terris sunt, & Ideo circa Angelos alia miracula hominibus demonstrare non conueniebat, nisi vt Angeli hominibus apparerent, quod quidem factum est, in natiuitate ipsius, & resurrectione, & ascensione eius.

Non obst. etiam quod miracula Christi ordinarentur ad manifestandam eius diuinitatem, quæ non erat dęmonibus Manifestanda, quia per hoc impeditum fuisset mysterium passionis eius secundū illud 1.Cor.2. si cognouissent numquam Dominum glorię crucifixissent; Nam resp. quod dicit Aug. in 9. de Ciuit. Dei c. 21. quod Christus intantum innotuit dæmonibus, quantum voluit, tantum autem voluit, quantū oportuit, sed innotuit eis non sicut Angelis sanctis, per id quod est vita æterna, sed per quędam temporalia suę virtutis effecta: & Primo quidem videntes Christum esurire,

post Ieiunium æstimauerunt eum non esse filium Dei, vnde super illud, Luc. 4. si filius Dei es &c. Dicit Ambros. Quid sibi vult talis sermonis exorsus, nisi quia cognouerat Dei filium esse venturum, sed venisse per Infirmitatem corporis non putauit? sed postmodũ visis miraculis ex quadam suspicatione coniecturauit, eum esse filium Dei; vnde super illud Marc. 1. scio quid sit sanctus Dei, dicit Chrisost. quod non certam, aut firmam aduentus Dei habebat notitiam, sciebat autem ipsum esse Christum in lege promissum: vnde dicitur Luc. 4. quia sciebant ipsum esse Christum quod autem ipsum confitebantur esse filium Dei, magis erat ex quadam suspicione, quam ex certitudine: Vnde Beda dicit super Lucam, & dęmonia filium Dei confitentur: & sicut postea dicitur sciebant eum esse Christum, quia cum Ieiunio fatigatum eũ diabolus videret verum hominem intellexit: sed quia tentãdo non præualuit, vtrum filius Dei esset dubitabat: Nunc autem per signorum potentiam, vel intellexit, vel potius suspicatus est esse filium Dei. Non ideo igitur iudæis eum crucifigere persuasit, quia Christum Dei filium non esse putauit, sed quia se morte illius non præuidit esse damnandum, de hoc enim Misterio à seculis abscondito, dicit Aposto. quod nemo principum huius seculi cognouit, si enim cognouissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.

Pręterea non obst. quod miracula ordinentur ad gloriam Dei, vnde dicitur Mat. 9. quod videntes turbæ paraliticum sanatũ à Christo, timuerunt & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus; quod non pertinet ad dæmones cum non sit speciosa laus in ore peccatoris, vt dicitur Eccl. 15. vnde & sicut dicitur Marc. 1. & Luc. 4. non sinebant dęmonia loqui, ea quæ ad gloriam ipsius pertinebant, ideo non videtur conueniens, quod circa dęmones aliqua miracula faceret; Nam resp. quod miracula in expulsione dæmonum, non fecit Christus propter vtilitatem dęmonum, sed propter vtilitatem hominum, vt ipsi eum glorificarent: & ideo prohibuit eos loqui, ea quæ ad laudem ipsius pertinebant; Primo quidem propter exemplum vt dicit Chrysost. in Concione. 2. de Lazaro & Theoph. super Luc. 4. & Marc. 1. compescebat eius sermonem quamuis vera feteretur, vt nos etiam assuefaciat, ne curemus, de talibus, etiam si vera loqui videantur. Nefas est enim vt cum adsit nobis scriptura diuina, instruamur à diabolo: est enim hoc periculosum; quia veritati frequenter dęmones immiscent mendacia: secundo quia (sicut Chrisost. dicit) non oportebat eos surripere officij Apostoli gloriam, nec decebat Christi misterium lingua fetida publicari, quia non est speciosa laus in ore peccatorum: tertio quia (vt inquit Będa) nolebat ex hoc inuidiã ac-

cen-

cendere Iudeorum, vnde etiam ipsi Apostoli iubentur reticere de ipso, ne diuina maiestate prædicata, passionis dispensatio differatur.

Præterea non obst. quod miracula ad salutem hominum ordinétur, & multa dęmonia eiecta fuerint cum hominum detrimento. vt Mar. 9. vbi dęmon ad præceptũ Christi exclamans & discerpens hominem exijt, ab eo & factus est sicut mortuus, ita & multi dicerent, quia mortuus est: quandoque etiam cum damno rerum; sicut quando dęmones ad eorum preces misit in porcos, quos præcipitauerunt in mare, vnde ciues illius regionis rogauerunt eum, vt transiret à finibus eorum Mat. 7. Vnde videtur inconueniens fecisse huiusmodi miracula.

Nam resp. quod Christus specialiter venerat docere & miracula facere propter utilitatem hominum principaliter, quantum ad animę salutem, & ideo permisit dęmones, quos eijciebat, hominibus aliquod nocumentum inferre, vel in corpore, vel in rebus propter animę salutem, ad hominum scilicet Instructionem, vnde Chrisost. in Homilia. 29. in Mat. dicit quod Christus permisit dęmonibus in porcos ire, non quasi à dęmonibus persuasus, sed primo quidem vt instruat magnitudinem nocumenti dæmonum, qui hominibus insidiantur: secundo, vt omnes discerent, quoniã nec aduersus porcos auderent aliquid facere, nisi ipse consenserit. Tertio vt ostenderet, ꝙ grauiora in illos homines operati essent, quam in illos porcos, nisi essent diuina prouidentia adiuti, & propter easdem etiam causas permisit eum qui à dæmonibus liberabatur, ad horam grauius affligi, à qua tamen afflictione, eum continuo liberauit, per hoc enim ostenditur, (vt Beda dicit) quod sępe dum conuerti ad Deum post peccata conamur, maioribus nouisq. antiqui hostis pulsamur insidijs; quod facit, vel vt odium virtutis incutiat, vel expulsionis suę vindicet in iuriam. Factus est autem homo sanatus velut mortuus, vt dicit Hyer. super Marc. 9. quia sanatis dicitur, mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.

Secundo facta fuere miracula circa cœlestia corpora, quoniam miracula Christi talia esse debebant, vt sufficienter eum esse Deũ ostenderent: hoc autem non ita euidenter ostenditur per transmutationes corporum inferiorum, quę etiam ab alijs causis moueri possunt, sicut per transmutationem cursus cœlestium corporum quę à solo Deo sunt immobiliter ordinata, & hoc est quod dicit Dionis. in Epist. ad Policarpum, cognoscere oportet non aliter aliquando posse aliquid peruerti cęlestis ordinationis & motus, nisi causam haberet ad hoc mouentem, quæ facit omnia, & mutat

secun-

ſecundum ſuum ſermonem : & ideo conueniens fuit, vt Chriſtus miracula faceret, etiam circa cœleſtia corpora, vnde Luc.23.tenebrę factæ ſunt in vniuerſa terra vſque ad horam nonam,& obſcuratus eſt ſol.

Non obſt. quod diuinæ prouidentiæ ſit naturam ſaluare,non autem corrumpere, vt dicit Dioniſ. in 4. de diuin. nom. & corpora cœleſtia ſecundum ſuam naturam ſint incorruptibilia,& in alterabilia, vt habetur in 1. cœli textu 20. ideo non erat conueniens fieri aliqua mutatio circa ordinem cæleſtium corporum; Nam Reſp. quod per miraculum à Chriſto factum, non eſt peruerſus ordo téporum: nam ſecundum quoſdam illæ tenebræ,vel ſolis obſcuratio, quæ in paſsione Chriſti accidit,fuit propter hoc quod ſol ſuos radios retraxit, nulla immutatione facta circa motum cœleſtiũ corporum, ſecundum quem tempora menſurantur; vnde Hyer. dicit ſuper Mat.27. ſuper illud ab hora ſexta tenebræ factæ ſunt,videtur luminare maius retraxiſſe radios ſuos, ne aut pendentem videret Dominum, aut impij blaſphemantes ſua luce fruerentur. Talis autem retractio non eſt ſic intelligenda, quaſi ſol in ſua poteſtate habeat radios emittere, vel retrahere, non enim ex electione,ſed ex natura radios emittit,vt dicit Dion.in 4. de diuin. nom.ſed ſol dicitur retraxiſſe radios, inquantum diuina virtute factum eſt, vt ſolis radij ad terram non peruenirent: Origenes autem dixit hoc accidiſſe per interpoſitionē nubium, vnde ſuper Mat. Homil.35. conueniens eſt intelligere, quaſdam tenebroſiſsimas nubes multas & magnas concurriſſe ſuper Hyeruſalem, & terram Iudeę, & ideo factę ſunt tenebrę profundę, à ſexta hora vſque ad nonam: Arbitror enim ſicut cętera ſigna quę facta ſunt in paſsione, ſcilicet quod velum eſt ſciſſum, quod terra tremuit &c. In Hyeruſalē tantum modo facta ſunt, ita & hoc, aut ſi latius voluerit quis extendere ad terrā Iudeę propter hoc quod dicitur; tenebrę factæ ſunt in vniuerſa terra, quod intelligitur de terra Iudeæ ſicut in 3. lib. reg. dixit Abdias ad Heliam, viuit Dominus Deus tuus quia non eſt gens aut regnum, vbi non miſerit Dominus meus quęrere te, oſtendens quod eum quęſierat in gentibus, quæ ſunt circa Iudeā, ſed circa hoc magis credendum eſt Dioniſ. qui occulta fide inſpexit, hoc accidiſſe per interpoſitionem lunæ inter nos, & ſolem;dicit enim in epiſt. ad Policarpum circa medium Inopinabiliter ſoli lunam incidentem videbamus in Ægipto, ſcilicet exiſtentes, vt ibidem dicitur, & deſignat ibi quatuor miracula.

Quorum primum eſt,quòd naturalis eclipſis Solis, per interpoſitionem Lunę,nunquam accidit,niſi tempore coniunctionis Solis, & Lunæ, tunc autem erat Luna in oppoſitione ad Solem, decima

quinta

quinta existens, quia erat pascha Iudæorum, vnde dicit: non enim erat coniunctionis tempus.

Secundum miraculum est, quòd cum circa horam sextam Luna visa fuisset simul cum Sole in medio cœli in vespere apparuit suo loco, idest in Oriente opposita Soli. Vnde dicit rursus ipsam vidimus, scilicet Lunã à nona hora (in qua scilicet recessit à Sole cessantibus tenebris) vsque ad vesperam supernaturaliter restitutam, ad diametrum Solis, idest vt diametraliter esset Soli opposita: & sic patet, quod nõ est turbatus consuetus temporũ cursus, quia diuina virtute factum est, & quod ad solem supernaturaliter accederet præter tempus debitũ, & quod à Sole recedens in locum proprium restitueretur tempore debito.

Tertium miraculum est, quòd naturalis eclipsis semper incipit ab Occidentali parte solis, & peruenit vsq; ad Orientem: Et hoc ideo quia luna secundum proprium motum, quo mouetur ab Occidente in Orientem est velocior sole in suo proprio motu, & ideo luna ab occidente veniens attingit solem, & pertransit ipsum ad Orientem tendens: sed tunc luna iam pertransierat solem, & distabat ab eo quasi per medietatem circuli in oppositione existens; vnde oportuit quod reuerteretur ad Orientem versus solem, & attingeret ipsum primo ex parte Orientali, procedens versus Occidentem; & hoc est quod dicit eclipsim etiam ipsam ex Oriente vidimus inchoatam, & vsque ad solarem terminum venientem (quia totum solem eclipsauit) postea regredientem.

Quartum miraculum fuit, quòd in naturali eclipsi ex eadem parte incipit sol prius reapparere ex qua parte incipit prius obscurari; quia scilicet luna se soli subiacens naturali suo motu solem pertransit versus Orientem; & ita partem Occidentalem solis, quã primo occupat, primo etiam dereliquit, sed tunc luna miraculosè ab Oriente, aduersus Occidentem rediens non pertransiuit solem; vt esset eo orientalior, sed postquã peruenit ad terminum solis, reuersa est versus Orientẽ, & ita partem solis, quã vltimo occupauit primo etiã dereliquit, & sic ex parte oriẽtali incohata fuit Eclesi. sed in Occidẽtali in prius cepit claritas apparere. Et hoc est ꝙ dicit, & rursus vidimus non eodẽ, idest nõ ex eadẽ parte solis, & defectũ, & purgationem, sed è conuerso secundum diametrum factam.

Quintum miraculum addit Chrisostomus super Matt. homil. 89. dicens: quòd tribus horis tunc tenebrę permanserunt, cum eclipsis solis in momento pertranseat, non enim habet moram, vt sciunt illi qui considerauerunt: vnde datur intelligi, quod luna quieuerit sub sole, nisi forte velimus dicere, quod tempus tenebrarum computatur ab instanti, quo sol incepit obscurari, vsque ad instans, in

quo

quo totaliter fuit repurgatus: ſed ſicut Origenes dicit ſuper Mat. Homil.89. Aduerſus hoc filij ſeculi huius dicunt, quomodo hoc factum tam mirabile nemo Græcorum, aut Barbarorum ſcripſit? Et dicit quod quidam nomine Phlegon in Cronicis ſuis ſcripſit, hoc in principatu Tyberij Cæſaris factum, ſed non ſignauit quod fuerit in luna plena. Potuit ergo hoc contingere, quia Aſtrologi vbiq; terrarũ tunc temporis exiſtentes, non ſolicitabantur de obſeruanda eclipſi, quia tempus non erat, ſed illam obſcuritatem ex aliqua paſsionis aeris accidere putauerunt: ſed in Ægipto vbi raro nubes apparent propter aeris ſerenitatem permotus eſt Dionyſius, & ſocij eius, vt prædicta circa illam obſcuritatem obſeruarent.

Præterea non obſt. quòd magis competebat facere miracula viuens, & docens, quam moriens: tum quia, vt dicitur 2.Cor.vlt. Crucifixus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex virtute Dei, ſecundum quam miracula faciebat: tum etiam quia eius miracula confirmatiua erant doctrinæ ipſius: ſed in vita ſua non legitur Chriſtum aliquod miraculum circa cœleſtia corpora feciſſe: quinimo Phariſæis petentibus ab eo ſignum de cœlo renituit eis dare; vt habetur Matt. 12.& 16. Ergo videtur, quòd nec in morte circa cœleſtia corpora aliquod miraculum facere debuerit; Nam reſp. quod tunc præcipue oportebat in Chriſto diuinitatẽ per miracula oſtendere, quando in eo maxime apparebat infirmitas ſecundum humanam naturam, & ideo in Chriſti natiuitate ſtella noua in cælo apparuit; vnde Maximus dicit in ſermone natiuitatis, ſi præ ſepe deſpicis erige parumper oculos, & nouam in cœla ſtellam, proteſtantem mũdo natiuitatem dominicam contuere, in paſsione autẽ ad hoc maior infirmitas circa humanitatem Chriſti apparuit, & ideo oportuit, vt maiora miracula oſtenderentur circa principalia mundi luminaria: & ſicut Chriſoſt. dicit ſuper Mat. Homil.89. Hoc eſt ſignũ quod petentibus promittebat dare dicens. Generatio praua, & adultera ſignum quærit & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ crucem ſignificans, & reſurrectionem: etenim multo mirabilius eſt in eo, qui crucifixus erat hoc fieri, quam ambulante eo ſuper terram.

Tertio conuenienter Crhriſtus circa homines miracula fecit, ea enim quæ ſunt ad finem debent fini eſſe proportionata: Chriſtus autem ad hoc in mundum venerat, & docebat, vt homines ſaluos faceret, ſecundum illud Ioan.3. Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Et ideo conueniens fuit, vt Chriſtus particulariter homines miraculosè curando oſtenderet ſe eſſe vniuerſalem, & ſpiritualem hominum Saluatorem, vnde dicitur Matth.7. Benè omnia fecit, & ſur-

fecit , & surdos fecit audire , & mutos loqui .

Non obst.quod in homine sit potior anima quam corpus, sed circa animas nullum legitur fecisse miraculum , non enim ad fidem aliquem virtuose conuertit, sed ad monendo,& exteriora miracula ostendendo,neque etiam aliquos fatuos sapiētes legitur fecisse, ergo nec etiam circa corpora conueniens erat miracula facere.

Nā resp. quod quæ sunt ad finē distinguntur ab ipso fine : Mirac. autem à Christo facta ordinabantur sicut ad finem , ad rationalis partis salutem , quæ consistit in sapientiæ illustratione & hominum iustificatione ; quorum primum præsupponit secundum,quia vt dicitur sap. 1.In maleuolam animā non intrabit sapientia , nec habitabit in corpore subdito peccatis : Iustificare antē homines , non conueniebat nisi eis volentibus ; hoc enim esset , & contra rationem Iustitiæ , quæ rectitudinem voluntatis importat & etiam contra rationem humanæ naturæ , quæ libero arbitrio ad bonum ducenda est ; non autem per coactionem; Christus ergo virtute diuina interius homines Iustificauit , non autem eis inuitis ; nec hoc ad miracula pertinet , sed ad miraculorum finem : & similiter etiā virtute diuina simplicibus discipulis diuinam sapientiam infudit: vnde dicitur Luc.21. Ego dabo vobis os , & sapientiam , cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri , quod quidem quantum ad interiorem illuminationem inter visibilia miracula non numeratur ; sed solum quantum ad exteriorem actum , inquantum scilicet videbant homines eos qui fuerant illiterati, & simplices , tam sapienter , & constanter loqui ; vnde dicitur Act.4. videntes Iudæi Petri constantiam, & Ioannis , comperto quod homines essent sine litæris , & idiotæ admirabantur , & tamen huiusmodi spirituales effectus, & si à miraculis visibilibus distinguntur, sunt tamen, quædam testimonia doctrinæ & virtutis Christi,secundum illud Heb.2.Contestāte Deo signis & portentis,& varijs virtutibus , & Spiritus sancti distributionibus : sed tamen circa animas hominum maxime quantum ad immutandas inferiores vires,Christi aliqua miracula fecit ; vnde Hyeron. super illud Mat.9.Surgens secutus est eū,dicit.fulgor ipse & maiestas diuinitatis occultę,quę etiam infacie relucebat humana videntes ad se trahere poterat ex primo aspectu : & super illud Mat. 21. Eijciebat omnes vendentes, & ementes &c. dicit idem Hyeron.Mihi inter omnia signa quæ fecit Dominus , hoc videtur esse mirabilius quod vnus homo , & illo tempote contemptibilis potuerit ad vnius flagelli verbera tantam eijcere multitudinem : Igneum enim quiddam atque sydereum radiabat ex oculis eius , & diuinitatis maiestas lucebat in facie eius; & Origenes dicit super Ioan. Hoc est maius miraculū eo quo aqua

conuerſa eſt in vinum, eo quod illic in animata ſubſiſtit materia, hic verò tot millium hominum donantur ingenia; & ſuper illud Io.18.Abierunt retrorſum,& ceciderũt in terrã dicit Aug.in tracta 112. in Ioan. vna vox turbam odijs ferocem armiſq. terribilem ſine telo vllo percuſsit,repulit, ſtrauit: Deus enim latebat in carne & ad idem pertinet, quod dicitur Luc. 4. quod Ieſus tranſiens per medium illorum ibat, vbi dicit Chryſoſt. quod ſtare in medio inſidiantium, & non apprehendi diuinitatis eminentiam oſtendebat, & quod dicitur Ioan.8.Ieſus abſcondit ſe & exiuit de templo, vbi Aug.dicit, non abſcondit ſe in angulo templi quaſi timens,vel poſt murum, aut colunnam diuertens; ſed diuina poteſtate ſe inuiſibilem inſidiantibus conſtituens per medium illorum exiuit:Ex quibus omnibus patet quod Chriſtus quando voluit, virtute diuina animas hominum immutauit, non ſolum iuſtificando, & ſapiẽtiam infundendo, quod pertinet ad miraculorum finem, ſed etiam exterius alliciendo, vel terrendo, vel ſtupefaciendo, quod pertinet ad ipſa miracula.

Præterea non obſt. quod Chriſtus feciſſet miracula virtute diuina, cuius proprium eſt ſubito operari & perfecte abſque adminiculo alicuius,& Chriſtus non ſemper homines ſubito curauit,quantum ad corpus; dicitur enim Marc.8. quod apprehenſa manu cæci eduxit eum extra vicum, & expuens in oculos eius impoſitis manibus interrogauit eum ſi quid videret & aſpiciẽs ait;video homines velut arbores ambulantes; Deinde iterum impoſuit manus ſuper oculos eius, & cœpit videre, & reſtitutus eſt ei viſus, ita vt clare videret omnia: & ſic patet quod non ſubito eum curauit,ſed primo quidem imperfecte & per ſputum, ideo inconuenienter videntur facta miracula circa homines;

Nam reſp. quòd Chriſtus venerat ſaluare mundum,non ſolũ virtute diuina, ſed per miſterium incarnationis ipſius. Et ideo frequenter in ſanatione infirmorum, non ſolum poteſtate diuina vtebatur,curando per modum imperij, ſed etiam aliquod ad humanitatem ipſius pertinens apponendo; vnde ſuper illud Luc. 4. Singulis manus imponens curabat omnes,dicit Cyrillus: quãuis vt Deus potuiſſet omnes verbo pellere morbos; tangit tamen omnes oſtendens propriam carnem efficacem ad præſtanda remedia; & ſuper illud Marc. 8. Expuens in oculis eius impoſitis manibus &c. dicit Chriſoſ. Homil. 9. Spuit quidem, & manus imponit cœco volens oſtendere, quod verbum diuinum operationi adiunctum miracula perficit,manus enim operationis eſt oſtenſiua ſputum ſermonis ex ore probat; & ſuper illud Ioan.9. Fecit lutum ex ſputo,& liniuit lutum ſuper oculos cœci, dicit Aug.in tract. 44. De ſaliua ſua lutum

fecit,

fecit,quia verbum caro factum est, vel etiam ad significandũ,quod ipse erat,qui ex limo terræ hominem formauerat,vt Chrisof.dicit. Est autem circa miracula Christi considerandum, quòd communiter perfectissima opera faciebat; vnde super illud Ioan.2. Omnis homo primum bonum vinum ponit,dicit Chrisoft. Talia sunt Christi miracula,vt multo his,quę per naturam fiunt speciosiora,& vtiliora fiant: Et similiter in instanti infirmis sanitatem conferebat perfectam: vnde super illud Mat.8.Et surrexit,& ministrabat illis, dicit Hier. Sanitas quæ confertur à Domino tota simul reddit; specialiter autem in illo cœco contrarium fuit propter infidelitátem ipsius, vt Chrisof.dicit, vel vt Beda dicit super Marc.8. Quem vno verbo totum simul curare poterat paulatim curat, vt magnitudinem humanæ cœcitatis ostendat, quæ vix, & quasi per gradus ad lucem redeat, & gratiam suã nobis indicet, per quam singula perfectionis incrementa adiuuat.

Præterea non obst.quòd eaq; se inuicem non consequuntur, non oporteat quod simul tollantur, sed ægritudo corporalis nõ semper ex peccato causatur, vt patet per illud quod Dominus dicit Io. 9. Neq; hic peccauit,neque parentes eius,vt cœcus nasceretur: Non ergo oportuit vt hominibus corporũ curationem quętentibus peccata dimitteret, sicut legitur fecisse circa paraliticũ, Mat.9. Præsertim quia sanatio corporalis cum sit minus, quam remissio peccatorum,non videtur esse sufficiens argumentum, quod possit peccata dimittere.

Nam resp. quòd Christus faciebat miracula virtute Dei cuius opera sunt perfecta,vt dicitur Deut.32. Nõ est autem aliquid perfectum si finem non consequatur. Finis autem exterioris curationis per Christum factæ est curatio animæ, & ideo non conueniebat Christo,vt alicuius corpus curaret,nisi eius curaret animam; vnde super illud Ioan.7. Totum hominem sanum fecit in Sabbato; dicit Aug.in tract.30. Quod curatus est,vt sanus esset in corpore,& credidit,vt sanus esset in anima: specialiter autem Paralitico dicitur; dimittuntur tibi peccata,quia vt Hieron. dicit super Matt. Datur ex hoc nobis intelligentia propter peccata pleriq; euenire corporum debilitates; & ideo forsitam prius dimittuntur peccata, vt causis debilitatis ablatis, sanitas restituatur; vnde & Ioan.5.dicitur. Iam noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat: vbi dicit Chrisoft.Homil.37. Discimus quòd ex peccatis nota erat ei ægritudo, quamuis vt dicit Chrisoft. Homil.30. Quanto animo est potior corpore, tanto peccatum dimittere maius sit,quam corpus sanare: quia tamen illud non est manifestum,facit minus quod est manifestius,vt demonstret maius,& non manifestum.

Præterea miracula Chriſti facta ſunt ad confirmationem doctrinæ ipſius,& teſtimonium diuinitatis eius,ſed nullus debet impedire finem operis ſui. Ergo videtur inconuenienter Chriſtus quibuſdam miraculosè curatis præcepiſſe, vt nemini dicerent, vt patet Matth. 9. & Marc.8. Præſertim quia quibuſdam alijs mandauit, vt miracula circa ſe facta publicarent; ſicut Marc.5. legitur, quod dixit ei,quem à dæmonibus liberauerat. Vade in domum tuam ad tuos,& annuntia eis quanta tibi Dominus fecerit. Nam reſp.quòd dicit Chriſoſt.ſuper illud Matth.9. Videte ne quis ſciat, in Homil. 33. Non eſt hoc contrarium quod hic dicitur ei quod alteri dicat: Vade, & nuntia gloriam Dei. Erudit enim nos prohibere eos qui volunt nos propter nos laudare. Si autem ad gloriam Dei refertur non debemus prohibere,ſed magis iniungere vt hoc fiat.

Quarto conuenienter facta ſunt miracula circa creaturas irrationales; ipſa enim ad hoc ordinabãtur,quod virtus diuinitatis cognoſceretur in ipſo ad hominum ſalutem, pertinet autem ad virtutem diuinitatis, vt omnis creatura ſit ei ſubiecta & ideo in omnibus creaturarum generibus miracula eum facere oportuit, & non ſolum in hominibus, ſed etiam in inrationalibus creaturis, Chriſtus enim eſt Dei ſapientia, de qua dicitur ſap. 8. quod diſponit omnia ſuauiter.

Non obſt. quod Bruta ſint nobiliora plantis, & Chriſtus fecerit aliqua miracula circa plantas, ergo & circa bruta idem facere debuit, fecit enim ſiccare ficulneam vt habetur Mat. 21. Nam reſp. quod bruta propinquius ſe habent ſecundum genus ad hominem, vnde in eadem die cum homine facta ſunt, & quia circa corpora humana multa corpora fecerat,non oportebat quod circa corpora Brutorum animalium aliqua miracula faceret, præſertim quia quantum ad naturam ſenſibilem, & corporalem, eadem ratio eſt de hominibus, & de alijs animalibus, præcipue terreſtribus, Piſces autem cum viuant in aqua magis à natura hominum differũt vnde & alio die ſunt facti,in quibus miraculum Chriſti fecit in copioſa piſcium captura, vt legitur Luc.5.& Ioan.vlt & etiam in piſce, quem Petrus cœpit, & in eo inuenit ſtaterem, quod autem porci in mare pręcipitati ſunt, non fuit operatio diuini miraculi, ſed operatio dęmonum ex permiſsione diuina.

Pręterea non obſt. quod pęna non inferatur Iuſte niſi culpa, & nulla culpa fuit feculneę, quod in ea Chriſtus non inuenit fructũ, quando non erat tempus fructuum, ideo inconuenienter ex eo ſiccata fuit; Nam reſp. vt dicit Chriſoſt. ſuper Mat. Homil. 68.cum in plantis vel Brutis aliquid tale Dominus operatur, non quęras qualiter iuſtè ſiccata eſt, ſi tempus non erat: Hęc enim quęrere eſt

vlti-

vltimę dementię, quia scilicet in talibus non inuenitur culpa, & pœna; sed miraculum inspice, & ad mirare miraculi factorem. Nec fecit creator iniuriam possidenti, si creatura sua; suo arbitrio vtatur ad aliorum salutē, sed magis vt Hylarius dicit super Mat. 21. in hoc bonitatis diuinæ argumentum reperimus. Nam vbi afferre voluit procurare per se salutis exemplum, virtutis suæ potestatem in humanis corporibus exercuit, vbi vero in contumaces formam se veritatis constituebat futuri speciem damnatio arboris indicauit, & præcipuè (vt dicit Chrisost. in d. Homil.) in ficulnea, quæ est humilissima, vt miraculum maius appareat.

Præterea non obst. si dicatur quod aqua & aer sint in medio cœli & terræ, & Christus fecerit aliqua miracula in cœlo & aliqua in terra, idem in aqua, & in aere facere debuisset, pro vt fecit Moyses, qui diuisit mare, & vt fierent in aere tonitrua, sicut factum est in monte Sinai, quando lex dabatur, vt habetur 3. Reg. 13. Nam resp. quod Christus etiam in aqua, & aere fecit miracula, quę sibi conueniebant. quando scilicet vt legitur Mat. 8. Imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna: Non autem conueniebat ei qui omnia in statum pacis, & tranquillitatis reuocare venerat, vt vel turbationem aeris, vel diuisionem aquarum faceret, vnde Apost. dicit Hæbr. 12. non accessistis ad tractabilem, & accessibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam: circa passionem tamen diuisum est velum templi ad ostendendum reseruationem misteriorum legis: Aperta sunt monumenta ad ostendendum, quod per eius mortem, mortuis vita daretur, terra mota est, & petre scissę sunt ad ostendendum, quod lapidea hominum corda per eius passionem emolliuntur, & quod totus mundus virtute passionis eius erat in melius commutandus.

Non obst. etiam quod opera miraculosa pertineant ad opus gubernationis mundi per diuinam prouidentiam: Hoc autem opus præsupponit creationē: Inconueniens ergo viderur quod Christus in suis miraculis vsus est creatione, quando scilicet multiplicauit panes; Nam resp. quod multiplicatio panū non est facta per modū creationis, sed per additionē extraneæ materiæ in panes conuersæ, vnde & Aug. super Ioan. dicit in tract. 24. vnde multiplicat de paucis granis segetes, Inde in manibus suis multiplicauit quinq; panes, Manifestum est autem quod per conuersionem grana multiplicantur in segetes S. Thom. 3. p. q. 44. art. 1. 2.

QVAESTIO XXVII.

VIgesimo septimo quæro quibus modis miracula fieri dicantur? Prodeclaratione huius q. sciendum est pro vt supra alias

ſæpe dictum fuit, quod miracula ſola virtute diuina fieri poſſunt; Nam ſolus Deus poteſt mutare ordinem naturæ, quod pertinet ad rationem miraculi. vnde Leo Papa dicit in Epiſt. 10. c. 4. Ad Flauianum, quod iu Chriſto ſunt duæ naturæ, vna ſcilicet diuina, quę fulget miraculis, altera ſcilicet humana, quæ ſuccumbit in Iurijs: & tamen vna earum agit cum communicatione alterius, inquantum ſcilicet humana natura eſt inſtrumentum diuinæ actionis, & actio humana virtutem accidit à natura diuina, vnde dicitur Ioan. 14. Pater in me manens, ipſe facit opera, quo ſtante.

Prima ſit concluſio, quod aliquando dicitur, in ſcriptura Chriſtum non potuiſſe facere miracula, vt dicitur Mat. 6. Non poterat ibi ſcilicet in patria ſua virtutem vllam facere, quod tamen non aſt referendum ad eius potentiam abſolutam, ſed ad id quod poteſt fieri congruenter; Nam non congruum erat vt inter incredulos operaretur miracula: vnde ſubditur, & mirabantur propter incredulitatem eorum, ſecundm quem modum dicitur Geneſ. 18. Non celare potero Abraham, quæ geſtus ſum, & 19. Non potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc S. Thom. 3. p. q. 43. art. 2. ad 1.

Secunda ſit concluſio, quod Chriſtus aliquando miracula fecit cum poteſtate, puta quando peccata dimiſit, mortuos reſuſcitauit, aliquando orando, vnde Chriſoſt. in Homilia 50. ſuper illud Mat. 14. Acceptis quinque panibus, & duobus piſcipus aſpiciens in cœlum, benedixit & fregit, dicit oportebat credi de Chriſto quoniam à patre eſt; & quod ei æqualis eſt, & ideo vt vtrumque oſtendat, nunc quidem cum poteſtate, nunc autem orans miracula fecit, quando autem ſuſcitauit Lazarum oculos ſurſum leuauit Ioan. 11. non propter neceſsitatem ſuffragij, ſed propter exemplũ hoc fecit: vnde dicit: Propter Populum qui circunſtat dixi vt credant quia tu me miſiſti S. Th. 3. p. q. 43. art. 2. ad 2.

Tertia ſit concluſio quod Chriſtus aliquando miracula fecit ſubito, aliquando ex interuallo, vt oſtenderet quod venerat ſaluare mundum non ſolum virtute diuina, ſed propter Myſterium incarnationis ipſius, & ideo frequenter in ſanatione Infirmorũ non ſolum poteſtate diuina vtebatur curando per modum imperij, ſed etiam aliquid ad humanitatem ipſius pertinens apponendo, vnde ſuper illud Luc. 4. ſingulis manus imponens curabat omnes, dicit Cyrillus, quamuis, vt Deus potuiſſet omnes verbo pellere morbos; tangit tamen omnes, oſtendens propriam carnem efficacem ad præſtanda remedia. Et ſuper illud Marc. 8. expuens in oculos eius impoſitis manibus &c. Dicit Chriſoſt. in Homil. 9. in Marc. ſpuit quidem, & manus inponit cæco volens oſtendere quod ver-

bum

bum diuinum operationi adiunctum, miracula perficit, vt dictum est supra in præc.q.S.Tho.in 3.p.q.44.art.3.ad 2.

Quarta sit conclusio quod Christus miracula fecit, quandoque cum dolore personæ, in quam factam fuere, quando dæmon ad præceptum Christi exclamans & multum discerpens hominē exijt ab eo, & factus est sicut mortuus Mar.9. & quandoque cum detrimēto rerum, sicut quando dæmones ad eorum praeces, misit in porcos, quos pręcipitauerunt in mare. Mat.7. & quando ad verbum ipsius siccata ficulnea fuit Mat.21. & hoc totum ad salutem animę & ad Instructionem hominum, Nec Iniuria facta fuit possidenti si creator vti voluit suo arbitrio creatura ad aliorum salutem. S. Th. 3. p.q.44.art.1.ad quartum & art.4.ad secundum.

Est tamen circa miracula Christi considerandum, quod communiter perfectissima opera faciebat vnde super illud Ioan. 2. omnis homo primum bonum vinum ponit, dicit Chrisost. in Homil. 21. in Ioan. Talia sunt Christi miracula, vt multo his, quæ per naturā fiunt speciosiora, & vtiliora fiant; vnde super illud Ioan.7.totum hominem sanum fecit in sabbato, dicit Aug. in Tract.30. in Ioan. quod curatus est, vt sanus esset in corpore, & credidit vt esset sanus in anima S.Tho.3.p.q.44.art. 3. ad 3.

QVÆSTIO XXVIII.

Vigesimo octauo quæro quando Christus inceperit facere miracula? Resp. quod miracula facta sunt, à Christo propter confirmationem doctrinæ eius, & ad ostendendam virtutem diuinam in ipso: & ideo quantum ad primum non debuit ante miracula facere, quam docere inciperet, non autem debuit incipere docere ante perfectam ætatem, quantum autem ad secundum sic debuit per miracula deitatem ostendere vt crederetur veritas humanitatis ipsius: Et ideo vt Chrisost. inquit in Homil. 20. in Ioan. decenter non incepit signa facere in prima ętate, existimassent enim Phantasma esse Incarnationem, & ante oportunum tempus cruci eum tradidissent, ideo decuit. vt in ætate perfecta inceperit facere miracula; Ideo legitur Ioan. 2. Hoc fecit Initium signorum Iesus in Cana Galileę.

Non obst. quod Christus miracula faceret virtute diuina, quę erat in eo à principio suę conceptionis, ideo à principio debuisset facere miracula: Nā resp. quòd virtus Dei operabatur in Christo, secundū quod erat necessariū ad salutem humanā, propter quā carnē assumpserat: Et ideo sic miracula fecit virtute diuina, vt fidei de veritate eius carnis, prȩiudiciū non fieret. S. Tho. 3. p.q.43.art.3.

QVÆ-

QVAESTIO XXIX.

Vigesimo nono quęro ad quem finem & effectum dicantur miracula fieri? Resp. quod diuinitus conceditur homini miracula facere propter duo. Primo quidem & principaliter ad confirmãdam veritatem, quam aliquis docet, quia enim ea quę sunt fidei humanam rationem excedunt, nec possunt per rationes humanas probari, sed oportet quod probentur per argumentum diuinę virtutis; vt dum aliquis facit opera, quæ solus Deus facere potest, credantur ea quę dicuntur esse à Deo, sicut cum aliquis defert litteras anulo Regis signatas, creditur ex voluntate Regis processisse quod in illis continetur. Secũdo ad ostendendã pręsentiam Dei in homine per gratiam Spiritus sancti, vt dum scilicet homo facit opera Dei, credatur Deus habitare in eo per gratiam, vnde dicitur Gal. 3. Qui tribuit nobis Spiritum sanctum operatur virtutes in nobis, vtrumque autem circa Christum erat hominibus manifestandum, scilicet ꝙ Deus esset in eo per gratiam non ad optionis, sed vnionis, & quod eius supernaturalis doctrina esset à Deo: Et ideo conuenientissimum fuit, vt miracula faceret; vnde ipse dicit Ioan. 10. opera quæ dedit mihi pater, vt faciam, ipsa sunt quæ testimonium perhibent de me.

Non obst. quod ipse dixerit Mat. 16. Generatio mala, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei nisi signum Ionę prophetæ, & consequenter non erat congruum miracula facere. Nã resp. quod hoc quod dicit signum non dabitur ei nisi signum Ionæ Prophetę, intelligendum est, vt Chrisost. dicit in Homil. 54. quod tunc acceperunt tale signnm, quale petebant scilicet de cœlo, non quod nullum signum eis dederit, nam ex persona ipsorum dicitur Ioan. 11. quid facimus, quia hic homo multa signa facit, vel signa faciebat non propter eos, qnos sciebat lapideos esse, sed vt alios emendaret, & ideo non eis, sed alijs illa signa dabantur.

Non obst. quod Christus in primo aduentn venerit in infirmitate, vt dicitur Isa. 53. virum dolorum & scientem infirmitatem, & in secundo veniet in virtute magna; vt dicitur Mat. 25. vnde in secundo aduentu deberent miracula fieri, cum ipsa pertineant ad virtutem. Nam resp. quod licet Christns venerit in infirmitate carnis, quod manifestatur per passiones; venit tamen in virtute Dei, quod erat manifestandum per miracula.

Præterea non obst. quod Christus venerit saluare homines per fidem, secundum illud Hebr. 12. Aspicientes in auctoritatem fidei, & consummationem Iesum: sed miracula diminunt meritum fidei;

vnde dicitur Ioan. 4. Nisi signa, & prodigia videritis non creditis, ideo non erat opus miraculis; Nam resp. quod miracula in tantum diminuunt meritum fidei, in quantum per hoc ostenditur duritia eorum, qui nolunt credere ea quæ scripturis diuinis probantur, nisi per miracula: & tamen melius est eis, vt vel per miracula conuertantur ad fidem, quã quod omnino in infidelitate per maneãt; dicitur enim 1. Cor. 14. quod signa data sunt infidelibus, vt scilicet conuertantur ad fidem, ideo hoc ipsum ad laudem discipulorum pertinet, quod Christum secuti sunt, cum nulla eum miracula facere vidissent, Greg. in Hom. 5. in Euang. & Chrisost. dicit in Hom. 22. in Io. tunc signa maxime necessarium erat facere, quãdo Discipuli iam congregati erant, & deuoti, & attendentes, his quę fiebant, vnde cum dicitur & crediderunt in eum discipuli eius, non quia tunc primum non crediderunt, sed quia tunc diligentius, & perfectius crediderunt. S. Thom. 3. p. q. 43. art. 1. & art. 3. in resp. ad 3.

Finis igitur miraculorum est salus hominum S. Tho. 3. p. q. 44. ar. 3. ad primum vnde finis exterioris curationis corporis facta per Christum in homine fuit curatio animæ, ideo super illud Io. 7. totum hominem sanum fecit in sabbato dicit Aug. in tract. 39. in Io. quod curatus est, vt sanus esset in corpore & credidit, vt sanus esset in anima S. Th. 3. p. q. 44. art. 3. ad tertium.

QVÆSTIO XXX.

TRigesimo quęro vtrum miracula facta per Christum sufficienter eius diuinitatem ostenderint? Resp. quod sic: dicitur enim Ioan. 5. opera quę dedit mihi pater vt faciam, ipsa testimonium perhibent de me; & hoc secundum tria; Primo quidem secundum ipsam speciem operum, quę transcendebant omnem potestatem creatę virtutis, & ideo non poterant fieri nisi virtute diuina, & propter hoc cęcus illuminatus dicebat, Ioan. 9. à seculo non est auditum quia aperuit quis oculos cęci nati, nisi esset hic à Deo, non poterat facere quicquam, secundo propter modum miracula faciẽdi; quia scilicet quasi ex propria potestate miracula faciebat; non autem orando, sicuti alij, vnde dicitur Luc. 6. quod virtus de illo exibat & sanabat omnes. Per quod ostenditur (sicuti Cirillus dicit) quod non accipiebat alienam virtutem, sed cum esset naturaliter Deus, propriam virtutem super infirmos ostendebat, & propter hoc innumerabilia miracula faciebat: vnde & super illud Mat. 8. Eijciebat spiritus verbo, & omnes male habentes curauit, dicit Chrisost. in Homil. 28. in Mat. intende quantam multitudinẽ

curatam transcurrunt Euangelistę, non vnumquodque curatum enarrantes, sed vno verbo pelagus in effabile miraculorum inducētes; & ex hoc ostendebatur, quod habebat virtutem coęqualem Deo Patri, secundum illud Ioan. 5. quecumque pater facit, hęc & filius similiter facit, & Ibidem: sicut pater suscitat mortuos, & viuificat, sic & filius hominis, quos vult viuificat. Tertio ex ipsa doctrina qua se Deum dicebat, quæ nisi vera esset, non confirmaretur miraculis diuina virtute factis: Et ideo dicitur Marc. 1. quæ nam doctrina hæc noua, quia in potestate spiritibus immundis imperat, & obediunt ei.

Nec obst. quod huiusmodi miracula, quę fecit Christus ab alijs quoque dicantur facta. Nam resp. vt inquit Aug. in Epist. 3. ad volusianum nulla inquiunt competentibus signis tantę maiestatis indicia claruerunt, quia Carnalis illa purgatio, qua scilicet dęmones effugabat debilium cura reddita vita defunctis, si & alia considerentur, Deo parua sunt: & ad hoc Resp. Aug. in d. loco fatemur & nos talia quidem fecisse Prophetas; sed & ipse Moyses, & cęteri Prophetę Dominum Iesum prophetizauerunt, & ei gloriam magnam dederunt, qui propterea talia & ipse fecisse voluit, ne esset absurdum, quod per illos fecerat, si ipse etiam non faceret, sed tamen & aliquid proprium facere debuit, nasci de virgine, resurgere à mortuis, cœlum ascendere, hoc Deo qui parum putat, quid plus expectet ignoro; Non homine assumpto alium mundum facere debuit, vt eum esse crederemus, per quem factus est mundus, sed nec maior mundus, nec isti ęqualis in hoc fieri posset: si autem minorem faceret infra istum similiter, hoc quoque parum putaretur; quæ tamen alij fecerant, Christus excellentius fecit: vnde super illud Ioan. 15. si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit &c. dicit Aug. in tract. 23. in Ioan. Nulla in operibus Christi videntur esse maiora, quam suscitatio Mortuorum; quod scimus etiam antiquos fecisse Prophetas, fecit tamen aliqua Christus, quæ nemo alius fecit: sed Resp. nobis, & alios fecisse, quæ nec ipse, nec alius fecit, sed qui tam multa vitia, & malas valetudines, vexationesq. mortalium tanta potestate sanaret, nullus omnino legitur antiquorum, vt enim taceam quos iubendo sicut occurrebant, saluos singulos fecit. Marcus dicit quod quocumque loco introibat in vicos, aut in villas, aut in ciuitates, in plateis ponebant infirmos, & depræcabantur eū, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent, & quot, quot tangebant eum salui fiebant. Hęc nemo alius fecit in, eis sic enim intelligendum est, quod ait, in eis non inter eos, coram eis, sed prorsus in eis, quia sanauit eos: Nec tamen alius quicumque in eis talia opera fecit, quoniam quisquis alius

homo

homo aliquid eorum fecit, ipso faciente facit, hoc autem ipse non illis facientibus fecit.

Non obst. quod dicitur Ioan. 14. qui credit in me opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet; Nam resp. cum Aug. in tract. 71. in Ioan. qui inquirit quæ sint ista opera maiora, quæ credentes in eum erant facturi, an forte quod ægros ipsis transeuntibus, etiam eorum vmbra sanabant, maius est enim quod sanet vmbra, quam fimbria, veruntamen quando ista Christus dicebat verborum suorum facta, & opera commendabat. Cum enim dixit pater in me manens ipse fecit opera, quæ opera tunc dicebat, nisi verba quæ loquebatur? & eorundem verborum fructus erat fides illorum verumtamen euangelizantibus discipulis, non tam pauci quam illi erant, sed gentes etiam crediderunt, Non ne ab ore ipsius diues ille tristis abscessit, & tamen postea quod ab illo auditum non fecit vnus fecerunt multi, cũ per discipulos loqueretur? Ecce maiora fecit prædicatus à credentibus, quam locutus est audientibus, verum ad hoc mouet quid hæc maiora per apostolos fecit, non autem ipsos tantum significans ait, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, Audi ergo, & intellige, qui credit in me opera quæ ego facio, & ipse faciet; Prius ergo facio deinde & ipse faciet, quia facio vt faciat, quæ opera nisi vt ex impio iustus fiat, quod vtiq; in illo, sed nõ sine illo Christus operatur, Prorsus maius hoc esse dixerim, quã creare cælũ & terrã cœlũ.n. & terra transeunt, prędestinatorũ autẽ salus, & iustificatio impij permanebit; sed & in cœlis Angeli sunt opera Christi, numquid etiã his operibus maiora facit, qui cooperatur Christo ad suam Iustificationem? Iudicet qui potest vtrum maius sit iustos creare, quàm impios iustificare, certe si æqualis est vtrumque potentiæ, hoc maioris est misericordiæ, sed omnia opera Christi intelligere, vbi ait, maiora horum faciet, nulla nos necessitas cogit, horum etenim forsitan dixit, quæ illa hora faciebat, tunc autem verba fidei faciebat, & vtique minus est verba Iustitię prędicare (quod facit propter nos) quam impios iustificare, quod ita facit in nobis, vt faciamus, & nos.

Pręterea non obst. quod dicitur, quod ex particulari non ostendatur sufficienter vniuersale, & vnumquodque miraculorum fuit quoddam particulare, ex quo non potuit ostendi sufficienter diuinitas eius, ad quam pertinet vniuersalem virtutem habere de omnibus; Nam resp. quod quando aliquod particulare est opus proprium alicuius agentis, tunc per illud particulare opus probatur tota virtus agentis, sicut cum ratiocinari sit proprium hominis, ostenditur aliquis esse homo, ex hoc ipso quod ratiocinatur, circa

quod cumque particulare propoſitum, & ſimiliter cum propria virtute miracula facere,ſit ſolius Dei, ſufficienter oſtēſum eſt Chriſtum eſſe Deum,ex quocumque miraculo quod propria virtute fecit, vt latius dicetur inferius S.Tho.3.p.q.43.art.4.

QVÆSTIO XXXI.

TRigeſimo primo quæro quibus miraculis fuerit oſtenſa diuinitas Chriſti Reſp.multis quidem & primo.

In eius conceptione, quę fuit miraculoſa cum fuerit conceptus de virgine, Iuxta illud Iſa 7. Ecce virgo concipiet, quod congruū fuit propter dignitatem patris eius mittentis,cuius ipſe eſt verus filius, ne dignitas patris trasferretur in alium, ſecundo ob proprietatem ipſius filij, qui mittitur, qui quidem eſt verbum Dei; verbum autem abſque vlla corruptione cordis concipitur,quia ergo caro ſic fuit à verbo Dei aſſumpta, vt eſſet caro verbi Dei,conueniens fuit, quod etiam ipſa ſine corruptione matris conciperetur; tertio conueniens fuit dignitati humanitatis Chriſti, in qua locum peccatū habere non debuit,per quē peccatum mundi tollebatur, ſecundum illud Ioan.1. Ecce Agnus Dei,ſcilicet innocens, qui tollit peccatū mundi;quarto propter finē incarnationis Chriſti,quæ ad hoc fuit vt homines renaſcerentur in filios Dei, non ex voluntate carnis neq; viri, ſed ex Deo,ideſt Dei virtute,cuius rei exemplar apparere debuit in ipſa conceptione Chriſti:vnde Aug. in lib. de ſancta virginitate dicit;oportebat caput noſtrum inſigni miraculo ſecundum corpus naſci de virgine vt ſignificaret mēbra ſua de virgine Eccleſia ſecundum ſpiritum naſcitura S.Thom. 3.p. q.28.art.1.fuit quoq; miraculoſa Chriſti conceptio,vt dicit Dion. in Epiſt. ad Caium Monachum, ſuper hominem operabatur Chriſtus, ea quæ ſunt hominis & hoc monſtrat virgo ſuper naturaliter concipiens: vnde Amb. in lib. de Incarnat. cap.6.multa in hoc miſterio, & ſecundum naturam inuenies, & vltra naturam, ſi enim conſideremus id quod eſt ex parte materiæ conceptus, quam mater miniſtrauit, totum eſt naturale ſi verò conſideremus id quod eſt ex parte virtutis actiuæ totum eſt miraculoſum, ſed quia vnūquodque magis iudicatur ſecundum formam,quam ſecundum materiam, & ſimiliter ſecundum agens, quam ſecundum patiens,inde eſt, quod conceptio Chriſti debet dici ſimpliciter miraculoſa, & ſuper naturalis, ſed ſecundum aliquid materialis. S.Thom 3. p. q.33. art. 4.

Secundo fuit miraculoſa Natiuitas Chriſti, quoniam mater eius remanſit virgo in partu, vt dicitur in quodam ſermone Epheſini

Con-

Concilij; Natura poſt partum neſcit vlterius virginem, gratia verò, & patientem oſtendit, & matrem fecit, & virginitati non nocuit, vnde Propheta Iſai.7.dicit non ſolum, ecce virgo concipiet, ſed etiam addit, & pariet filium, & hoc conueniens fuit.primo quidem quia competebat proprietati eius, qui naſcebatur, qui eſt verbum Dei; Nam verbum non ſolum in corde abſque corruptione concipitur, ſed etiam abſque corructione ex corde procedit, ſecundo conueniens hoc fuit quantum ad effectum incarnationis Chriſti: Nam ad hoc venit vt noſtram corruptioné tolleret: vnde Aug.in ſermone 6.de natiuitate Domini dicit fas non erat vt per eius aduentum violaretur integritas, qui venerat ſanare corrupta S. Thom. 3.p.q.28.art.2. Præterea vt Damaſc. dicit in lib.3. orthod.fid.c.7. Natiuitatis temporalis,qua Chriſtus natus eſt propter noſtram ſalutem, eſt quodamodo ſecundum nos, quoniam natus eſt homo ex muliere, & tempore conceptionis debito:ſuper nos autem, quoniam non ex ſe minime, ſed ex Spiritus ſancto, & ſancta virgine ſupra legem conceptionis, ſic igitur ex parte matris natiuitas illa fuit naturalis, ſed ex parte operationis Spiritus ſancti fuit miraculoſa S.Tho.3.p.q.35.art.3.ad ſecundum.

Fuit quoque miraculoſa natiuitas eius, vt dicit Aug. in ſermone 14. de natiuitate Domini alloquens virginem matrem. Nec in conceptione inquit, inuenta es ſine pudore, nec in partu inuenta es cum dolore, Dolor enim patientis cauſatur ex aperitione meatuum, per quos proles egreditur, Chriſtus autem natus eſt clauſo vtero matris, & ſic nulla violentia aperitionis meatuum ibi fuit, & propter hoc in illo partu nullus fuit dolor, ſicut nec aliqua corruptio ſed fuit ibi maxima iucunditas, ex hoc quod homo Deus natus eſt in mundum, ſecundum illud Iſa. 35. Geminans germinabit ſicut lilium, & exultabit lætabunda & laudans S.Tho.3.p.q.35. art.6. fuit quoque miraculoſa natiuitas Chriſti, quando per ſtellã fuit Magis manifeſtata, non enim fuit vna ex cœleſtibus ſtellis, ſed vt dicit Aug.in lib.2.cap.5.contra Fauſtum; Non ex illis erat ſtellis, quæ ab initio creaturæ, itinerum ſuorum ordinem ſub creatoris lege cuſtodiunt, ſed nouo virginis partu nouum ſydus apparuit;& Leo dicit in ſermone in Epiphaniæ tribus magis in regione orientis, ſtella nouæ claritatis apparuit, quæ illuſtrior cæteris pulchriorq.ſyderibus in ſe intuentium oculos animoſq; conuerteret, vt confeſtim aduerteretur, non eſſe otioſum quod tam inſolitum videbatur; fuit ergo ſtella de nouo creata, non in cœlo, ſed in aære vicino terræ, quæ ſecundum diuinam voluntatem mouebatur; non autem fuit vna cœleſtium terrarum, primo quia nulla ipſarum illa via incedit, hæc enim ferebatur à ſeptemtrione in me

ridiem,

ridiem, ita enim Iudæa iacet ad Perſidem , vnde Magi venerunt; ſecundo quia non ſolum apparebat in nocte, ſed etiam in die, tertio quia quandoque apparebat quandoque occultabatur. Cum enim intrauerunt Hyeroſolimam occultauit ſe ipſam; de inde vbi Herodem reliquerunt, ſe ipſam monſtrauit; quarto quia non habebat continuum motum, ſed cum oportebat ire magos ibat, cum oportebat ſtare ſtabat, ſicut & de columna nubis erat in deſerto; quinto quia non ſurſum manens partum virginis demõſtrabat, ſed deorſum deſcendens hoc faciebat; dicitur enim Mat.2.quod ſtella, quam viderunt Magi in oriente, antecedebat eos, vſque dum veniens ſtaret vbi erat puer S.Thom.3.p.q.36.art.7.

Tertio Miraculum factum fuit dum batizaretur Chriſtus; dicitur enim Luc. 3. Ieſu baptizato, & orante apertũ eſt cœlum, Chriſtus enim baptizari voluit, vt ſuo baptiſmo conſecraret baptiſmũ, quo nos baptizamur; & ideo in baptiſmo Chriſti ea demonſtrari debuerunt, quæ pertinent ad efficaciã noſtri baptiſmi: circa quam tria ſunt conſideranda. Primo quidem principalis virtutus ex qua baptiſmus habet efficaciam, quæ quidem eſt virtus cœleſtis; & ideo Baptizato Chriſto apertum eſt cœlũ, vt oſtenderetur quod de cętero cœleſtis virtus baptiſmum ſanctificaret; ſecundo operatus ad efficaciam baptiſmi fides Eccleſiæ, & eius qui baptizatur; vnde & baptizati fidem profitentur, & baptiſmus fidei dicitur ſacramentum. Per fidem autem inſpicimus cœleſtia, quę ſenſum, & rationem humanam excedunt, & ad hoc ſignificandũ Chriſto baptizato aperti ſunt cœli. Tertio quia per baptiſmum Chriſti ſpecialiter aperitur nobis introitus regni cœleſtis; qui primo homini prę cluſus fuerat per peccatũ; vnde baptizato Chriſto aperti ſunt cœli, vt oſtenderetur quod baptizatis patet via in cœlum. S.Tho.3.p.q.39.ar.6. Factum etiam fuit miraculum in baptizatione Chriſti, dum Spiritus ſanctus deſcendit in forma columbæ, dicitur enim Luc.3. Deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie, ſicut columba in ipſum. Hoc enim quod circa Chriſtum factum eſt in eius baptiſmo, ſicut dicit Chriſoſ.in Homil.4.in Mat. Pertinet ad myſterium omnium, qui poſt modum fuerant baptizandi: omnes autem qui baptiſmo Chriſti baptizantur, Spiritum ſanctum recipiunt, niſi ficti accedãt, ſecundum illud Mat.3. Ipſe vos baptizabit Spiritu ſancto.

Et ideo conueniens fuit, vt ſuper Chriſtum baptizatum Spirtus ſanctus deſcenderet, qui deſcendit in ſpecie columbæ. Primo propter diſpoſitionem, quæ requiritur in baptizato, vt ſcilicet non fictus accedat, quia vt dicitur Sap.1. Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum. Columba autem eſt animal ſimplex aſtutia, & dolo carens; vnde dicitur Mætt.10. Eſtote ſimplices ſicut columbæ. Secundo

cundo ad designandum septem dona Spiritus sancti, quæ columba suis proprietatibus significat. Tertio propter effectum proprium baptismi, qui est remissio peccatorum, & reconciliatio ad Deum. Columba enim est animal mansuetum, & ideo sicut dicit Chrisost. super Matt.Homil.12. In diluuio apparuit hoc animal, ramum ferens oliuæ, & communem orbis terrarum tranquillitatem annuncians; & nunc etiam columba apparet in baptismo, liberationem nobis demonstrans. Quarto ad designandum communem effectum baptismi, qui est costructio Ecclesię vnitatis, vnde dicitur Ephes.5. Quòd Christus tradidit semetipsum, vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, lauans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Columba autem est animal amicabile, & gregale, vnde Cant.5. dicitur de Ecclesia, vna est columba mea, quæ quidem columba fuit animal verum; vnde Aug. dicit in lib. de agone Christiano c.22. Neque hoc ita dicimus, vt Dominum Iesum Christū dicamus solum verum corpus habuisse. Spiritum autem sanctum fallaciter apparuisse oculis hominū, sed ambo illa corpora vera esse credimus; non enim decebat, vt filius Dei, qui est veritas patris aliqua fictione vteretur, & ideo non phantasticum, sed verum corpus accepit, & quia Spiritus sanctus dicitur spiritus veritatis. Ioan. 16. Ideo etiam ipse veram columbam formauit, in qua appareret, licet non assumeret ipsam in vnitate personæ; vnde Aug. in d.c.22. dicit. Sicut nō oportebat, vt homines falleret filius Dei, sic etiam non oportebat, vt falleret Spiritus sanctus, sed omnipotenti Deo, qui vniuersam creaturam ex nihilo fabricauit, non erat difficile verum corpus columbæ sine aliorum columborum ministerio figurare, sicut non fuit ei difficile verum corpus in vtero Mariæ sine virili semine fabricare, cum creatura corporea, & in uisceribus fœminæ ad formandum hominem, & in ipso mundo ad formandum columbam imperio Domini voluntatique seruiret. S.Th.3.p.q.39.art.6.& seq.

Ostensa quoque fuit diuinitas Christi dū baptizaretur, quando audita fuit vox Patris dicentis. Matt.3. Ecce vox de cœlis dicens. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Et in baptismo Christi fuit exemplar nostri baptismi, ideo demonstrari debuit id quod in nostro baptismo perficitur: baptismus autem quo baptizantur fideles consecratur in inuocatione, & virtute Trinitatis, secundum illud Matt. vlt. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: & ideo in baptismo Christi, vt Hier. dicit in Matt.2. Misterium Trinitatis demonstratur. Dominus autem in natura humana baptizatur, Spiritus sanctus descendit in habitu columbę, Patris vox testimonium

filio

filio perhibentis auditur,& ideo conueniens fuit,vt pater declararetur in voce.S.Th.3.p.q.39.art.8.

Quarto ostensa fuit diuinitas Christi per miraculum factũ ieiunando,vt habetur Mat.4. Tunc Iesus ductus est in desertum,vt tentaretur à Diabolo, cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus postea esurijt,vt Chrisos.dicit.Vnde Dominus processit contra eum, non quasi Deus, sed magis quasi Deus & homo. Nam per quadraginta dies non esurire,non erat hominis;aliquando autem esurire non erat Dei. Conuenienter autem post ieiuniũ tentari voluit propter exemplum, vt & nos cõtra tentationes per ieiunium armemur, vnde ieiunium ponitur inter arma iustitiæ. 2. Cor.6. Post ieiunium autem secuta est esuries, quæ dedit diabolo audaciam eum aggrediendi, vnde Hylarius dicit super Matt. Non fuit ex surreptione inediæ, sed naturæ suæ hominem derelinquit: non enim erat à Deo diabolus, sed à carne vincendus, & Chrisost. dicit super Matt.in Homil.5. Non vltra processit ieiunando quam Moyses,& Helias ne incredibilis videretur carnis assumptio.S.Th. 3.p.q.41.art.3.Præterea Chrisost.dicit super Mat. Et vt quadragesimi nostri ieiunij poneret mensuram, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus ieiunauit.

Quinto ostensa fuit diuinitas Christi in eius transfiguratione, vt dicitur Matt.17. Et post dies sex assumpsit Iesus Petrum, Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum,& transfiguratus est ante eos: & resplenduit facies eius sicut sol,vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix,Raban.Merito autem post sex dies gloriam illam ostendit, quia post sex ætates futura est resurrectio. Origen. Vel quia in sex diebus totus numeri factus est visibilis mundus, qui transcendit omnes res mundi potest ascendere super montem excelsum,& gloriam aspicere verbi Dei; congruum autem fuit, vt Discipulis suis gloriam suæ claritatis ostenderet,quod est ipsum transfigurari. Cui suos configurabit,secundum illud Phil.3. reformabit corpus humilitatis nostrę configuratum corpori claritatis suæ; non tamen per hoc dici debuit corpus phantasticum: nam vt dicit Hieron. in d.c.17. Nemo putet Christum per hoc quòd transfiguratus dicitus, pristinã formam,& faciem perdidisse,vel amisisse corporis veritatem,& assumpsisse corpus spirituale, vel aereum: sed quomodo transformatus sit Euangelista demonstrat dicens. Resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Vbi splendor faciei ostenditur,& candor describitur vestium,non substantia tollitur,sed gloria commutatur. Claritas autem illa quam Christus in Transfiguratione assumpsit fuit claritas gloriæ, quantum ad essen-

ſentiam, non tamen quantum ad modum eſſendi, claritas enim cor-
poris glorioſi deriuatur ab animę claritate, vt dicit Aug. in Epiſt.
56. ad Dioſcurum. Et ſimiliter claritas corporis Chriſti in transfi-
guratione deriuata eſt, & à diuinitate ipſius, & à gloria animæ
eius, quod enim à principio conceptionis Chriſti gloria animæ
nō redundaret ad corpus ex quadam diſpenſatione diuina factum
eſt, vt in corpore paſsibili noſtrę redemptionis expleret myſteria.
Non tamen per hoc adepta eſt Chriſto poteſtas deriuandi gloriam
animę ad corpus; Et hoc quidem fecit quantum ad gloriæ clari-
tatem in transfiguratione, Aliter tamen quam in corpore glorifi-
cato; Nam ad corpus glorificatum redundat claritas ab anima, ſi-
cut qualitas quædam permanens corpus afficiens, vnde fulgere
corporaliter, non eſt miraculoſum in corpore glorioſo: ſed ad cor-
pus Chriſti in trasfiguratione deriuata eſt claritas à diuinitate &
anima eius non per modum qualitatis immanentis, & efficientis
ipſum corpus, ſed magis per modum paſsionis tranſeuntis, ſicut
cum aer illuminatur à ſole, vnde ille fulgor tunc in corpore Chri-
ſti apparens miraculoſus fuit; ſicut & hoc ipſum quod ambulauit
ſuper vndas maris S. Tho. 3. p. q. 45. art. 1. & 2. oſtenſa quoque fuit
diuinitas Chriſti in ipſa trasfiguratione, dū dicitur Mat. 17. ad huc
eo loquente, Ecce nubes lucida obumbrauit eos: Et ecce vox de
nube dicens; Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene com-
placui, ipſum audite. Et audientes diſcipuli ceciderunt in faciem
ſuam, & timuerunt valde, quod conuenienter factum fuit; quoniā
adoptio filiorum Dei eſt per quandam conformitatem imaginis
ad filium Dei naturalem, quod quidem fit dupliciter: primo quidē
fit per gratiam viæ, quæ eſt conformitas imperfecta: ſecundo per
gloriam patriæ, quæ erit conformitas perfecta, ſecundum illud 1.
Ioan. 3. Nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quod erimus;
ſcimus quoniam cum apparuerit ſimiles ei erimus, quoniam vide-
bimus eum ſicuti eſt: quia igitur gratiam per baptiſmum cōſequi-
mur. In transfiguratione autem præmonſtrata eſt claritas futuræ
gloriæ; ideo tam in baptiſmo, quàm in transfiguratione conueniēs
fuit manifeſtari naturalem Chriſti filiationem teſtimonio patris,
quia ſolus eſt perfectę conſcius illius perfectæ generationis ſimul
cum filio, & Spiritu ſancto.

Non obſt. quòd dicitur Iob. 33. Simul loquitur Deus ſecundo id
ipſum non repetit, & hoc ipſum repetijt in baptiſmo. Nam reſp.
quòd illud referendum eſt ad æternam Dei locutionem, qua Deus
pater verbum vnicum protulit ſibi coæternum: & tamen poteſt di-
ci, quod licet idem corporali voce protulerit, non tamen propter
hoc idem; ſed ad oſtendendum diuerſum modum, quo homines par

ticipare possunt similitudinem filiationis ęternę: pręterea sicut in baptismo, vbi declaratum fuit mysterium primæ regenerationis, ostensa est operatio totius Trinitatis, per hoc quod fuit ibi filius incarnatus, apparuit Spiritus sanctus in specie columbæ, & pater fuit ibi declaratus in voce: ita etiam in transfiguratione, quæ est sacramentum secundæ regenerationis, tota Trinitas apparuit, Pater in voce, Filius in homine, Spiritus sanctus in nube clara: quia sicut in baptismo dat innocentiam, quæ per simplicitatem columbę designatur, ita in resurrectione dabit electis suis claritatem gloriæ, & refrigerium ab omni malo, quę designantur in nube lucida. Fuit quoque conueniens Discipulos voce paterna terreri, & prosterni, vt ostenderetur quod excellentia illius glorię, quæ tunc demōstrabatur, excedit omnem sensum, & facultatem mortalium, secundum illud Exod. 33. Non videbit me homo, & viuet, & hoc est quod Hieron. dicit super Mat. 17. Quod humana fragilitas conspectum maioris glorię ferre non sustinet. Ab hac autem fragilitate sanantur homines per Christum, eos in gloriam adducendo; quòd significatur per hoc quod dixit eis: Surgite, nolite timere. S. Thom. 3. p. q. 45. art. 4.

Sexto manifesta fuit diuinitas Christi in eius morte, cum dicitur Mat. 17. Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum: Et terra mota est, & petræ scissę sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, diuisum enim est velum ad ostendendum reserationem mysteriorum legis; Aperta sunt monumenta ad ostendēdum quod per eius mortem mortuis vita daretur. Terra mota est, & petræ scissæ sunt, ad ostendendum, quod lapidea hominum corda per eius passionem emolliuntur, & quod totus mundus virtute passionis eius erat in melius commutandus S. Tho. 3. p. q. 44. art. 4. ad tertium vnde origen. Magna facta sunt, ex eo quod magna voce clamauit Iesus; & Leo Papa in sermone de passione ait: est autem ad testimonium venerandæ passionis sufficiens signum elemen torum in ordinata turbatio, & Hyeron. Nulli enim dubiū est quid significet iuxta litteram magnitudo signorum, vt crucifixum Dominum suum & cœlum & terra omnia demonstrarent, & Hylar. mouetur terra, quia capax huius mortui esse non poterat, Petræ scissę sunt, omnia enim valida & fortia penetrans Dei verbum & potestas æternæ virtutis irruperat, & monumenta aperta sunt, erant enim mortuis clausura reserata, & multa corpora sanctorū qui dormierant &c. Illuminans enim mortuis tenebras, & inferorum obscura collustrans mortis spolia detrahat Chrisost. si enim quatriduanum Lazarum exurgere magnum fuit, multo magis eos

repente qui olim dormierant apparere viuentes, quod futuræ resurrectionis erat Iudicium; Hyeron. quando verò dicitur apparuerunt multis ostenditur non generalis fuisse resurrectio, quę omnibus appareret, sed specialis ad plurimos, vt hi viderent qui cernere merebantur Remig. quæret autē aliquis quid de illis factū sit qui resurgente Domino resurrexerunt: credēdum quippe est quoquoniam ideo resurrexerunt vt testes essent Dominicę resurrectionis, quidam autem dixerunt, quod iterum mortui sunt & incinerem conuersi sicut Lazarus, & cæteri, quos Dominus suscitauit, sed istorum dictis nullo modo & fides accomodanda, quoniam maius illis esset tormentum, qui resurrexerunt, si iterum mortui essent, quam si non resurgerent: incunctanter ergo credere debemus, quia qui resurgente Domino à mortuis resurrexerunt ascendente eo ad cœlos, & ipsi pariter ascenderunt: Origen. semper autem hic magna eadem quotidie fiunt; velum enim templi ad reuelandum quæ intus habentur scinditur sanctis: Terra etiam mouetur idest omnis caro nouo verbo & nouis rebus secundū nouū testamentū, Petræ autem scindūtur, quia mysteriū fuerunt Prophetarū vt in profundis eorum posita spirituali mysteria videamus. Monumenta autē dicuntur corpora peccatricum animarū, i. mortuorū Deo, cum autem per gratiam Dei animæ huiusmodi fuerint suscitatæ corpora eorum, quę prius fuerant monumenta fiunt corpora sanctorum, & videntur à se ipsis exire, & sequuntur eum, qui surrexit, & innouitate vitę ambulant cum eo. Et qui digni sunt habere conuersationem in cœlis, ingrediuntur in sanctam Ciuitatem per singula tempora, & apparent multis videntibus opera bona ipsorum.

Et Marc. 15. in fine dicit & velū templi scissum est in duo à summo vsque deorsum Hier. velum templi scinditur idest cœlum aperitur Theopil. scissum est etiāvelum inuente Deo quod Spiritus sanctus gratia à templo recedit, & scinditur vt sancta sanctorum ab omnibus videnda essent, & quod templum lugebit in Iudæis cum calamitates deplorabunt & vestimenta scindent. Hoc etiam & tēplum animarum scilicet corpus Christi ostendit cuius passione vestimentum eius laceratum est, scilicet caro, & aliud etiam significat. Caro namque velum est nostri templi scilicet mentis nostrę, virtus autem carnis scissa est in Christi passionibus à summo vsque deorsum, scilicet ab Adam vsque ad vltimos homines: nam & Adā effectus est sanus per passionem Christi, & eius caro non manet sub maledicto neque digna est corruptione, sed omnes in corruptione honorati sumus.

Et Luc. 23. & velum templi scissum est medium: Beda. Volens autem

tem Lucas miraculum miraculo adiungere subiungit: & velũ Templi scissum est medium, hoc expirante Domino factum est, sicut Mat. & Mar. contestantur, sed Lucas preoccupãdo narrauit: Theophil. Per hoc autem Dominus ostendebat, quod non erant vlterius sancta sanctorum in accessibilia, sed tradita in manus Romanorũ inquinarentur, & eorum aditus pateret Ambr. Velum etiam scinditur, quo duorum populorum diuisio, synagogę prophanatio declaratur. Scinditur velum vetus, vt Ecclesia noua fidei suæ vela suspendat. Synagogę velamen suspenditur, vt religionis interna mysteria reuelata mentis cernamus intuitu. Theo· Per hoc etiã osten ditur, quod velum quod sequestrabat nos à sacris, quę sunt in cœlo disrumpitur, idest Dei inimicitia & peccatum; fuit quoq; ostensa diuinitas Christi in eius morte, quando obscuratus est sol, de quo dicemus latius in 2. parte.

Septimo manifestata fuit diuinitas Christi in eius resurrectione: oportebat enim Christum pati, & resurgere à mortuis Luc. vlt. & hoc propter quinque. Primo ad commendationem diuinę iustitiæ, ad quam pertinet exaltare illos, qui se propter Deum humiliant, secundum illud Luc. 1. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Quia igitur Christus propter charitatem, & obedientiam Dei, se humiliauit vsque ad mortem crucis, oportebat quod exaltaretur à Deo vsq; ad gloriosam resurrectionem; vnde ex eius persona dicitur in Psal. Tu cognouisti, idest probasti, sessionem meam, idest humilitatem meam, & passionem, & resurrectionem meam, idest glorificationem in resurrectione, sicuti gl. interlinearis exponit. Secundo ad fidei nostræ instructionem, quia per eius resurrectionem confirmata est fides nostra circa diuinitatem Christi, quia vt dicitur 2. Corint. vlt. Et si crucifixus est ex infirmitate sed viuit ex virtute Dei, & ideo 1. Corint. 15. dicitur. Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est, & fides nostra: Et in Psal. dicitur. Quæ vtilitas in sanguine meo, idest in effusione sanguinis mei, dum descendo quasi per quosdam gradus malorum in corruptionem, quasi dicat nulla; si enim statim non resurgo, corruptumq; fuerit corpus meum, nemini annunciabo nullum lucrabor, vt gl. exponit. Tertio ad subleuationem nostræ spei, quia dum videmus Christum resurgere, qui est caput nostrum speramus, & nos resurrecturos; vnde dicitur 1. Cor. 15. Si Christus prædicatur quod resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? & Iob. 19. dicitur. Scio, scilicet per certitudinem fidei, quod Redentor meus, idest Christus viuit à mortuis resurgens, & ideo in nouissimo die de terra sur recturus sum, reposita est hæc spes mea in sina meo. Quarto ad informa-

formationem vitę fidelium, secundũ illud Rom. 6. Quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus: & infra. Christus resurgens ex mortuis iam non moritur; ita & vos existimate mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo. Quinto ad complementum nostræ salutis, quia sicut per hoc quod mala sustinuit humiliatus est moriendo, vt nos liberaret à malis; ita glorificatus est resurgendo, vt nos promoueret ad bona, secundum illud Rom. 4. Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.

Fuit quoq; cõueniens, quod tertia die resurgeret, quoniam ad hoc quod confirmaretur fides de veritate diuinitatis ipsius oportuit, quod cito resurgeret, & eius resurrectio non differetur vsque ad finem mundi. Ad hoc autem, vt confirmaretur fides de veritate humanitatis, & mortis eius oportuit moram esse inter mortem, & resurrectionem. Si enim statim post mortem resurrexisset, videri posset, quod eius mors vera non fuerit, & per consequens, nec resurrectio vera. Ad veritatem autem mortis Christi manifestandam sufficiebat, quod vsque ad tertiam diem eius resurrectio differetur, quia non contingit quin infra hoc tempus in homine, qui mortuus videtur cum viuat, appareant aliqua indicia vitę; vnde Matt. 20. Tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget; qui perfecta resurrectione primus fuit, qui resurrexit à mortuis, cum non amplius, vt cæteri moriturus resurrexerit; vnde dicitur 1. Cor. 15. Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium gl. quia prius tempore, & dignitate surrexit, & ad Rom. 6. Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, qui propria virtute resurrexit; dicitur enim Ioan. 10. Nemo tollit animam meam à me; sed ego pono eam, & iterum sumo eam. Nam per mortem eius non fuit separata diuinitas, nec ab anima Christi, nec ab eius carne, vnde secundum diuinitatis vnitæ virtutem, & corpus reasumpsit & animam, quam deposuerat, & anima corpus reassumpsit, quod dimiserat, & hoc est quod dicitur 2. Cor. vlt. Quòd & si crucifixus est ex infirmitate nostra, sed viuit ex virtute Dei S.Th. 3. p. q. 53. art. 1. & seq.

Pręterea sciendum est quod Christus resurrexit cum corpore integro, dicitur enim Luc. vlt. quod Christo discipulis apparente conturbati, & conterriti existimabant se spiritum videre ac si non haberet verum corpus, sed phantasticum, ad quod remouendum ipse postea subdit, Palpate & videte quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere; nam & ita erit resurrectio nostra, vnde Matt. 10. vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt, & Luc. 21. Capillus de capite vestro non peribit, fuit autem

resur-

reſurrectio eiuſdem naturæ, ſed alterius gloriæ, vnde eius corpus reſurrectionem non ex miraculo, ſed ex conditione glorię clauſis Ianuis ad diſcipulos intrauit Ioan. 20. ſeu potius ex virtute diuina, vt dicit Aug. in ſermo.3.in Domin.in Paſcha, ſi corpus erat ſi hoc ſurrexit de ſepulchro, quod pependit in ligno, quomodo per oſtia clauſa intrare potuit? & Reſpondet ſi comprehendis modum non eſt miraculum; vbi deficit ratio, ibi eſt fidei ædificatio, & ſuper Ioan. in tract. 121. Moli corporis vbi diuinitas erat oſtia clauſa non oſtiterunt, illi quippe non eis apertis intrare potuit, quo naſcente virginitas matris inuiolata permanſit; eodem modo intelligendum eſt illud Luc.vlt. euanuit ab oculis eorum,nam corpus glorioſum in poteſtate habet videri quando vult, & quando non vult videri quod habuit Chriſtus ne dum ex conditione corporis glorioſi, ſed etiam ex virtute diuinitatis,per quam fieri poteſt vt etiam corpora non glorioſa miraculoſe non videantur;ideo dicendum eſt, vt intelligatur illud Marc. vlt. vbi Chriſtus in alia effigie apparuit;Nam vt dicit Seuerianus in ſermone Paſcali,quod ſicut in poteſtate eius erat, vt corpus ſuum videretur, vel non ita in poteſtate eius erat, vt ex eius aſpectu formaretur in oculis intuentiũ, vel forma glorioſa, vel non glorioſa,aut etiam commixta vel qualitercumque ſe habens S.Tho.3.p.q.54.art.2.

In reſurrectione igitur corpus Chriſti fuit glorioſum triplici ratione, primo quidem quia reſurrectio Chriſti fuit exemplar & cauſa noſtræ reſurrectionis vt 1. Cor. 15. ſancti autem in reſurrectioni habebunt corpora glorioſa ſicuti ibidem dicitur ſeminatur ignobilitate reſurget in gloria & ad Philip.3. Reformabis corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ, vnde cum cauſa ſit potior ſuo cauſato, & exemplar, exeplato, multo magis corpus Chriſti reſurgentis fuit glorioſum: ſecundo quia per humilitatem paſsionis meruit gloriam reſurrectionis vnde ipſe dicebat. Nunc anima mea turbata eſt, quod pertinet ad paſsionem & poſtea ſubdit, Pater glorifica nomen tuum, in quo petit gloriam reſurrectionis, tertio quia anima Chriſti à principio ſuæ conceptionis, fuit glorioſa per fruitionem diuinitatis perfectam,eſt autem diſpenſatione factum, vt ab anima gloria non redundaret in corpus ad hoc quod miſterium noſtræ redemptionis ſua paſsione impleret, & id per acto hoc myſterio paſsionis, & mortis Chriſti anima in corpus in reſurrectione reſumptum,ſuam gloriam deriuauit, & ita factum eſt corpus illud glorioſum, non obſt. quod manducauerit, & biberit poſt reſurrectionem cum diſcipulis ſuis, vt habetur Luc. vlt. & Ioan. vlt. quod non pertinet ad corpus glorioſum, quod eſt ſpirituale non autem animalę 1.Cor.15. Nã reſp.

vt in-

vt inquit Bed. super Luc.c.vlt.ibi, habetis aliquid vt manducetur aliter absorbet aquam terra sitiens, aliter solis radius calens, illa indigentia iste potentia: Manducauit ergo post resurrectionem, non quasi cibo indigens, sed vt eo modo naturam corporis resurgentis astrueret: Et propter hoc non sequitur quod fuerit eius corpus animale, quod est indigens cibo S. Thom. 3. p. q. 54. art. 3. & ad tertium.

Resurrexit quoque Christus cum cicatricibus suis, vt habetur Ioan. 20. infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus sed fidelis, & hoc pluribus ex causis, Primo quidem propter gloriam ipsius Christi, vt dicit Beda c. 97. super Luc. vlt. non ex in potentia curandi cicatrices seruauit, sed vt in perpetuum victoriæ suæ circumferat triumphum: secundo ad confirmandum corda discipulorum circa fidem suę resurrectionis. Tertio vt Patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pro homine pertulerit semper ostendat: quarto vt sua morte redemptis quàm misericorditer sit adiuti; propositis eiusdem mortis iudicijs insinuet; vltimo in iudicio quàm iuste damnentur ibidem denunciet S.Thom.3.p.q.54.art.4.

Non tamen resurrectio Christi debuit omnibus immediate manifestari pro vt manifestata fuit mors; eorum enim quę cognoscũtur, quædam cognoscuntur communi lege naturæ, quædam verò ex speciali munere gratiæ, sicuti ea quæ diuinitus reuelantur, quorum quidem vt Dion. dicit in 4. Cœl. Hierar. hæc est diuinitus instituta, vt à Deo immediate superioribus reuelentur, quibus mediãtibus deferantur ad inferiores, sicuti patet in ordine celestium spirituum; ea verò quæ pertinent ad futuram gloriam communem hominum cognitionem excedunt, secundum illud Isa. 64. Oculus non vidit Deus absque te, quæ pręparasti diligentibus te: Et ideo ab homine non cognoscuntur, nisi diuinitus reuelata, vt 1. Cor. 2. nobis reuelauit Deus per spiritum suum quia igitur Christus resurrexit gloriosa resurrectione, ideo eius resurrectio non omni populo manifestata est, sed quibusdam quorum testimonio deferretur in aliorum notitiam, non sic in passione Christi, quæ peracta est in corpore ad hoc habente naturam passibilem, quæ communi lege nota est omnibus, & ideo passio ipsius omni populo immediate manifestari potuit, resurrectio autem eius facta est in gloriam patris, vt ad Rom. 6. & ideo immediate manifestata est non omnibus, sed quibusdam; vnde Act. 10. quẽ Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus pręordinatis à Deo; & primo mulieribus apparuit, vt mulier quæ primo nuntium mortis ad hominem detulit, primo etiam vitam resurgentis Christi

sti in gloria nuntiaret S. Thom. 3. p. q. 55. art. 1. & ad tertium.

Non autem conueniens fuit, vt ab aliquo videretur resurgere quoniam ordo diuinitus dicitur institutus, vt ea quę supra homines sunt hominibus per angelos reuelētur, vt dicit Dio. in 4. cœles. Hyer. Christus autem resurgens non rediit ad vitam communiter hominibus notam, sed ad vitam quandam immortalem, & Deo conformem, vt ad Rom. 6. quod enim viuit, viuit Deo; & ideo ipsa Christi resurrectio non debuit immediate ab hominibus videri, sed eis ab angelis nuntiari, vnde Hilar. super Mat. vlt. ideo Angelus prior resurrectionis est index, vt quodam famulatu paternę voluntatis resurrectio nuntiaretur.

Post resurrectionem autem continue non conuersabatur cum discipulis, ne videretur ad talem vitam resurrexisse, qualem prius habuerat, qui quandoque aliquibus apparuit non in propria, sed in alia effigie, vnde Greg. in Homil. 23. in Euang. talem se exhibuit eis in corpore, qualis apud illos erat in mente; quia enim ad huc in eorum cordibus peregrinus erat à fide ire se longius finxit; scilicet ac si esset peregrinus, veritatem tamen resurrectionis multis argumentis declarauit, vt dicitur Act. 1. quod apparuit discipulis Christus per dies quadraginta in multis argumentis loquens de regno Dei, & hoc propter duo; Primo quia non erant corda eorum disposita ad huc quod de facili fidem resurrectionis acciperent, vnde ipse dicit eis Luc. vlt. ò stulti & tardi corde ad credendum, & Marc. vlt. exprobrauit illis incredulitatem eorum & duritiam cordis, secundo per huiusmodi signa eis ostensa, efficacius eorum testimonium redderetur, vt 1. Ioan. 1. quod vidimus, & audiuimus, & manus nostræ contrectauerunt, hoc testamur.

Argumēta verò quibus resurrectio Christi manifestata fuit sufficientia dicuntur: nam primum fuit testimonium Angelorum, de quo testantur omnes Euangelistæ, secundum authoritas scripturæ, quas ipse proposuit ad ostensionem suæ resurrectionis, vt dicitur Luc. vlt. Tertium fuit ostensio corporis dum ostendit esse corpus verum, & solidū dum dicitur Luc. Palpate, & videte: & dum ostendit veram eius effigiem, quam oculi intuerentur, & idem numero ostendēdo eis vulnerum cicatrices, vt Luc. vlt. videte manus meas, meas, & pedes meos, quia ego ipse sum. Quartum ostensio animæ iterato corpori vnitæ, & hoc per opera triplicis vitæ nutritiuę, scilicet mādūcando cum Discipulis. Luc. vlt. Sensitiuę in hoc quod ad interrogata Discipulis respondebat, intellectiuę in hoc quod differebat de scripturis. Quintum ostendendo se habere diuinam naturam, per miraculum quod fecit in piscibus capiendis, & per hoc quod eis videntibus ascēdit in cœlum, vt dicetur inferius. Sextum

xtum ostendendo gloriam suæ resurrectionis per hoc quod ad eos ianuis claosis intrauit & ab oculis eorum subito euanuit, vt dicitur Luc. vlt. S. Thom. 3. p. q. 55. art. 1. & seq. Quia per hoc ostendebatur, quòd in potestate eius erat videri, & non videri, quod pertinet ad conditionem corporis gloriosi.

Vltimò notandum est, circa resurrectionẽ Christi, quod ipsa fuit causa resurrectionis nostræ animæ, scilicet & corporis; vnde super illud 1. Cor. 15. Si Christus prædicatur, quod resurrexit à mortuis, dicit gl. qui est causa sufficiens resurrectionis nostræ, & ad Rom. 4. Resurrexit propter iustificationẽ nostram, quæ nihil aliud est quã resurrectio animarum, & gl. super illud ad vesperam demorabitur fletus, dicit quod resurrectio Christi est causa resurrectionis nostræ, & animæ in præsenti, & corporis in futuro. Resurrectio enim eius agit in virtute diuinitatis, quæ quidem se extendit, non solum ad resurrectionem corporum, sed etiam ad resurrectionem animarum, à Deo enim est, & quod anima viuat per gratiam, & quod corpus viuat per animam: & ideo resurrectio Christi habet instrumentaliter virtutem effectiuam, non solum respectu resurrectionis corporum, sed etiam animarum; omnes tamen resuscitant secundum corpus, sed non secundum animam; vnde Ioan. 5. Sicut pater suscitat mortuos, & viuificat, sic & filius quos vult viuificat. S. Tho. 3. p. q. 56. art. 1. & 2. ad tertium.

Octauo ostendit eius diuinitatem per miraculum ascensionis in cœlum, per hoc quod videntibus Discipulis ascendit in cœlum, secundum S. Tho. in 3. p. q. 55. art. 6. Conueniens enim fuit Christum cœlum ascendere, vnde dicitur Ioan. 20. Ascendo ad patrem meũ, & patrem vestrum; locus enim debet esse proportionatus locato. Christus autem post resurrectionem, vitam immortalem, & incorruptibilem inchoauit; locus autem in quo nos habitamus est locus generationis, & corruptionis; sed locus cœlestis, est locus incorruptionis. Et ideo non fuit conueniens quod Christus post resurrectionem remaneret in terris, sed conueniens fuit, quod ascenderet in cœlum. Primo quidem propter fidei augumentum, quę est de nõ visis, iuxta illud. Beati qui non viderunt, & crediderunt. Secundo ad spei subleuationem, vt dicitur Ioan. 14. Si abiero, & præparauero vobis locum; iterum veniam, & accipiam vos ad me ipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis; & Mich. 2. Ascendit pandens iter ante eos. Tertio ad erigendum charitatis affectum ad cœlestia; vnde ad Colos. 3. Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram; vt enim dicitur Matt. 6. Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Et quia Spiritus sanctus est amor, nos in cœlestia rapiens; ideo Dominus dicit

Ioan.16. Expedit vobis vt ego vadam: si enim non abiero, paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero mittam eum ad vos.

Ascensio autem ipsius fuit, non secundum diuinam naturam, quę nunquam cœlum deseruit, sed secundum quod homo virtute diuinitatis penetrauit cœlos; vnde super illud 4. ad Ephes. Quod autē ascendit quid est, nisi quia & descendit, dicit gl. constat quod secundum humanitatem Christus descendit, & ascendit: & Aug. in serm. 176. de ascensione. De nostro fuit quod filius Dei pependit in cruce, sed de suo quod ascendit. Ascendit autem propria virtute, primo quidem virtute diuina, secundo virtute animæ glorificatæ mouentis corpus, prout vult; vnde Isa. 63. Iste formosus in stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suæ, & Greg. in Homil. 29. Redemptor autem noster non curru, non Angelis subleuatus legitur, quia qui fecerat omnia, super omnia sua virtute ferebatur. Præterea Christus ascendit super omnes cœlos, vt adimpleret omnia, cum enim corpus eius gloriosum perfectissimo modo diuinā participauerit bonitatem decuit, vt super omnes cœlos eleuaretur, vnde super illud ad Ephes. 4. Ascendens in altum, dicit gl. loco, & dignitate: ascendit quoque super omnem creaturam spiritualē, vt dicitur ad Ephe. 1. Constituit illum supra omnem principatum, & potestatem, & supra omne nomen quod nominatur, siue in hoc seculo, siue in futuro, tanto enim alicui rei debetur altior locus, quanto est nobilior, siue debeatur ei locus per modum contactus spiritualis, sicut spiritualibus substantijs, siue corporalis, sicut corporibus: corpus autem Christi licet considerando conditiones naturæ corporeæ, sit infra spirituales substantias, cōsiderando tamen dignitatem vnionis, qua est personaliter Deo coniunctum excellit dignitatem omnium spiritualium substantiarum; & ideo secundum prędictę congruentię rationem debetur sibi locus altior supra omnem creaturam spiritualem.

Vltimo notādum est circa ascensionem Domini, quod ipsius ascensio fuit causa nostræ salutis; vt dicit Ioan. 16. Expedit vobis vt ego vadam, idest vt recedam à vobis per ascensionem. Primo quia per hoc reuerentia nostra augetur ad ipsum, dum iam non existimamus eum, sicut hominem terrenum, sed sicut Deum cœlestem, vt dicitur 2. Cor. 5. Secundo quia nobis præparauit viam ascendendi in cœlum Ioan. 14. Vado vobis parare locum: & Mich. 2. Ascendit pandens iter ante eos; quia enim ipse est caput nostrum oportet illuc sequi membra, quo caput præcessit, vnde Ioan. 14. Vt vbi ego sum, & vos sitis, & in huius signum animas Sanctorum, quas de inferno eduxerat in cœlum traduxit, secundum illud Psal. Ascendens Christum in altum, captiuam duxit captiuitem. Tertio, quia sicut

Ponti-

Pontifex in veteri testamento intrabat sanctuarium, vt assisteret Deo pro populo, ita Christus intrauit cęlum ad interpellandũ pro nobis, vt dicitur Heb. 7. Quarto vt in cœlorum sede quasi Deus, & Dominus constitutus, exinde diuina dona hominibus mitteret, sicut dicitur ad Ephes. 4. Ascẽdit super omnes cęlos, vt adimpleret omnia, scilicet donis suis, secundum gl. S. Th. 3. p. q. 57. art. 1. & seq.

Vltimo apparebit diuinitas Christi ex signis, & miraculis, quæ præcedent aduentum eius ad iudicãdum, iudiciara enim potestas Christo specialiter tribuenda est, vt dicitur Act. 10. de Christo, Hic est qui cõstitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorũ, filius enim est sapientia genita, & veritas à patre procedens, & ipsum perfecte representans, & ideo talis potestas attribuitur filio, iudicium enim formatur secundum sapientiam, vnde dicitur Eccl. 10. iudex sapiens iudicabit populum suum, & licet talis potestas dicatur cõuenire Christo secundum quod est homo, vt dicitur Ioan. 5. Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est, quam adeptus est ex meritis passionis ipsius, vt dicitur Iob. 36. causa tua quasi impij iudicata est, iudicium causamque recipiens & Aug. in lib. de verbis Domini serm. vlt. sedebit Iudex, qui stetit sub iudice damnauit verò reos, qui falso factus est reus, nihilominus quia nihil prohibet vnũ & idem deberi alicui ex causis diuersis: sicuti gloria corporis resurgentis debita fuit Christo, non solum propter congruentiam diuinitatis, & propter gloriam animæ, sed etiam ex merito passionis, idem dicendum est quod iudiciaria potestas homini Christo competit, & propter capitis dignitatem, & propter plenitudinem gratię habitualis, & ex merito, vt scilicet secundum Dei iustitiam Iudex esset, qui pro Dei iustitia pugnauit & vicit, & iuste iudicatus est, vnde Apoc. 3. Ego vici & sedi in trono patris mei; in trono autem intelligitur iudiciaria potestas, secundum illud Psal. sedes super tronum qui iudicas iustitiam, quæ potestas extenditur non solum ad omnes res humanas, vt dicitur Ioan. 5. Pater omne iudicium dedit filio, sed etiam ad Angelos vt dicitur 1. Cor. 6. An nescitis quia Angelos iudicabimus, sancti enim non iudicabunt nisi auctoritate Christi, ideo multo magis Christus habebit hanc potestatem, non solum quantum ad diuinam naturam, pro vt est verbum Dei, sed etiam ratione humanæ naturæ S. Tho. 3. p. q. 59. art. 1. & seq.

Signa autem præcedent aduentum Domini ad iudicandum; iuxta illud Luc. 21. Erunt signa in sole & luna, & stellis; Hieron. verò ponit quindecim signa præcedentia iudicium dicens; quod primo die maria omnia exaltabuntur quindecim cubitis super montes: secundum omnia æquora prosternentur in profundum, quod vix

videri poterunt. Tertio redigentur in statum antiquum, quarto beluę omnes, & alia quæ mouentur in aquis congregabuntur, & leuabunt capita super pelagus more contentionis inuicem mugiẽtes. Quinto omnia volatilia cœli congregabuntur in campis inuicem plorantes non gustantes aliquid neque bibentes, sexto fulmina ignea surgent contra firmamentum ab occasu solis, vsque ad ortum corruentia, septimo omnia sidera errantia, & fixa ex se spargent igneas comas sicut cometę. Octauo erit magnus terremotus, vt omnia animalia prosternantur. Nono omnes plantę sanguineum dabunt rorem. Decimo omnes lapides, & magni diuidentur in quatuor partes, vnaquaque aliam collidente. Vndecimo omnes colles & montes, & ædificia in puluerem redigentur. Duodecimo omnia iumenta venient ad campos de siluis, & montibus rugientia & nihil gustantia. Decimo tertio omnia sepulchra ab ortu solis vsque ad occasum patebunt cadaueribus ad resurgendum. Decimo quarto omnes homines de habitaculis recedent, non intelligentes neq; loquentes neq; discernẽtes; Decimo quinto omnes morientur, & resurgent cum mortuis longe ante defunctis, Præterea dicitur Mat.24. stelle cadent de cœlo & virtutes cœlorũ cõmouebuntur, quæ intelliguntur oẽs angeli de quibus Iob. 26. columnæ cœli contremiscunt, & pauent adnutum eius, & tunc dicuntur moueri propter admirationem nouitatis, quę in mundo erit, vel intelligi possunt virtutes pro vt est proprium nomen ordinis; & tunc ordo ille dicetur moueri præalijs ratione effectus, quia illi ordini secundum Gregorium, attribuitur miracula facere, quę maxime circa illud tempus fient; & hęc erunt quia Christus ad iudicandum veniens, in forma gloriosa apparebit, propter auctoritatem quę iudici debetur; Ad dignitatem autem iudiciarię potestatis pertinet habere aliqua iudicia, quę ad reuerentiam, & subiectionem inducant, & ideo aduentum Christi ad iudicium veniẽtis multa signa pręcedent, vt corda hominum ad subiectionẽ venturi Iudicis adducantur, & ad iudicium pręparentur huiusmodi signis pręmoniti S.Tho. in 4. sent. Dist. 48. q. 1. art. 4. quod est in supplemento summæ 3.p.q.73.art.1. & seq.

Et quoniam Dominus non solum signa fecit per se ipsum iuxta illud Mat.11. Euntes renunciate Ioanni quæ audistis, & vidistis, cęci vident, Claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt pauperes euangelizantur, & Luc.7. in ipsa autem hora multos curauit à languoribus suis, & plagis, & spiritibus immũdis, & cęcis multis donauit visum: sed etiã per seruos suos signa fecit, iuxta illud Ioan.14. Amen Amen dico vobis, qui credit in me opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet,

vnde Marc. 16. signa autem eorum qui crediderint, hæc sequentur in nomine meo dæmonia eijcient linguis loquentur nouis, serpentes tollent; & si mortiferum quid biberint non eis nocebit, super ęgros manus imponent, & bene habebunt: Ideo in sequenti libro dicemus de signis non solum quę fecit Dominus immediate, sed de his, quę per Angelos & seruos suos ostendit: Notandum tamen est quod dicit Greg. in Homil. num quid autē quia signa ista non facimus, minime credimus, sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt, vt enim fides cresceret credentium miraculis fuit nutrienda, quia & nos cum arbusta plantamus, tandiu eis aquam fundimus quousque ea in terra conualuisse videamus: & si semel radicem fixerint à rigando cessamus: Habemus de his signis atque virtutibus, quæ ad huc subtilius considerare debemus sancta quippe Ecclesia quotidie spiritualiter facit, quod tunc per apostolos corporaliter faciebat. Nā sacerdotes eius cum per exorcismi gratiam manum credentibus imponunt, habitare malignos spiritus in eorum mentibus contradicunt, quid aliud faciunt, nisi dæmonia eiiciunt? & fideles quique qui iam secularia verba derelinquunt, sancta autem mysteria insonant, linguis loquuntur nouis, qui dum bonis suis exortationibus malitiam de alienis cordibus auferuntur, serpentes tollunt, & dum pestiferas suasiones audiunt, sed tamen ad operationem prauam minime pertrahuntur, mortiferum est quod bibunt, sed non eis nocebit, qui quoties proximos suos in bono opere infirmari conspiciunt, dum exemplo suę operationis illorum vitam roborant, super ægros manus imponūt vt bene habeant: quæ miracula tanto maiora sunt, quanto spiritualia, & quanto per hæc non corpora, sed animæ suscitantur.

Finis Libri Primi.

TRA-

TRACTATVS SEBASTIANI MEDICIS, DE MIRABILIBVS OPERIBVS DEI, LIBER SECVNDVS.



ICTVM est ſupra de miraculis in generali, ſequitur modo videre, de ſingulis miraculorũ ſpecialibus. Et quia miracula facta ſunt circa ſpirituales ſubſtantias, circa corpora cœleſtia, nec non circa homines & circa creaturas irrationales; de ſingulis ſpeciebus ordine iam præpoſito dicemus.

Primo dicendum erit de ijs, quæ facta ſunt, circa ſpirituales ſubſtantias, & in his erit quoque duplex inſpectio.

Nam primo dicemus de quibuſdam miraculis factis circa Angelos bonos, ipſisq. mediantibus.

Secundo de miraculis factis circa dæmones.

1 Gen.19. c PRimum igitur habetur ibi: Et ecce miſerunt manum viri, & introduxerunt ad ſe loth, clauſeruntq. oſtium, & eos qui foris erant percuſſerunt cecitate à minimo vſque ad maximum, ita vt oſtium inuenire non poſſent.

Gloſ. interlin. & ecce miſerunt manum viri. &c. Quia cum caſtitas penè vſque ad lapſum impetitur, ſæpe bonorum adiutorio intra conſcientiæ clauſtra inuiolata ſeruatur. Et introduxerunt ad ſe Loth, clauſeruntque oſtium. &c. Quia aditus cordis contra prauos motus ratione munitur. Et eos qui foris erant percuſſerũt cæcitate &c. Auidentia. Ita vt oſtium inuenire non poſſent. &c. Cętera videbant.

Gloſ. ordin. & introduxerunt ad ſe loth, &c. Greg. Moral. Malis aduerſantibus intra domum loth, reducitur, & munitur quòd quiſque iuſtus prauorum inſidias ſuſtinens, ad mentem reuertitur, & & manet interitus. Sodomitæ in domum loth, hoſtium inuenire nequeunt, quia corruptores mentium contra vitam iuſti nullum reprehenſionis aditum inueniunt, percuſsi cæcitate, quaſi domum circum eunt, quod inuidentes facta, & dicta perſcrutantur, ſed quia de vita Iuſti fortis, & laudabilis actio vbique obuiat errantes parietem palpant. Percuſſerunt cæcitate &c. Aug. Grece acriſia ideſt auidentia, ſi poſsit dici; quæ faciat non videri; non omnia

nia, sed quod non est opus; quomodo enim deficerent quęrendo hostium si cæcitate percusfi essent, vt nihil viderent, sua enim calamitate turbati nihil vlterius requirerent. Hac acrisia percusfi erant, qui Eliseum quærebant, & qui Christum post resurrectionem cum ipso ambulantes non cognoscebant. 4.Reg.6

Nicol. de Lyra. Et ecce miserunt manum viri &c. Idest Angeli, quia tempus erat vt ostenderet potestatem Angelicam. Et introduxerunt ad se Loth. &c. Malis gradibus omnium, qui erant circa domum. Et eos qui foris erant percusserunt cœcitate. &c. Non taliter quod nihil viderent, sed quod non videbant ea, quæ quærebant, & volebant videre.

Moraliter: quia mali nolunt acquiescere verbis bonorum: ideo percutiuntur primo cæcitate per obstinationem; & secundo igne, & sulphore per æternam damnationem.

SEcundum habetur ibi. Et ecce Angelus Domini de cœlo clamauit dicens: Abraam, Abraam. Qui respōdit adsum. Dixitq; ei. Nō extendas manum tuam super puerum, nec facias illis quicquā; nunc cognoui quod timeas Deum, & non peperceris filio tuo vnigenito propter me. Leuauit Abraam oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem adsumens obtulit holocaustum pro filio. 2 Gen.22. B.

Glos. interl. Et ecce Angelus Domini de cœlo clamauit &c. Prophetia prænuncians cuncta quæ de Christo ventura. Dixitquè ei, non extendas manum tuam &c. Quia caro potuit crucifigi, diuinitas non potuit tangi. Nunc cognoui quod timeas Deum &c. Cognoscere feci te, similiter in sequētibus dicitur vocauit nomen loci illius; Dominus videt, idest videri fecit; significans per efficiētem id quod efficitur, vt frigus pigrum, quos pigros facit. Et non peperceris filio tuo propter me &c. Idest obedientiam meā. Viditque post tergum arietem inter vepres hærentem &c. Quia longe post veritas huius vmbræ declaranda. Arietem &c. Tanquam ouis ad occisionem ductus. Inter vepres &c. Inter duo brachia crucis suspensus.

Glos. ordin. Non peperceris filio tuo. &c. Aug. Num quid non pepercit Abraam filio suo propter Angelum, sed in Angelo figuratus est Dominus, qui Deus est, & magni consilij Angelus; erat enim in Angelo Deus, & ex eius persona loquebatur. Arietem &c. Alcuin. Aries, qui pro Isaac immolatus est, non putatiuus, sed verus est, ideo magis putatur Angelum eum aliunde attulisse, quam ibi de terra post sex dierum opera Dominum procreasse. Quod figuratum est per Isaac translatum est ad Arietem, qui Christus ouis.

Ipse enim filius qui natus, aries qui immolatur. In vepribus hęret aries, crux cornua habet: si enim duo ligna compinguntur, crucis
Abac. 3. a species redditur, vnde cornua in manibus eius. Cornibus ergo hærens aries Christus crucifixus est: vepres autem spinæ. Spinæ iniqui, qui Dominum suspenderunt. Inter spinas enim peccatorum
Hier. 38. d suorum circumdedit me populus hic. Alij hunc arietem in vepribus ligatum, Christum ante immolationem spinis coronatum intelligunt.

Nicol. de Lir. Et ecce Angelus Domini, &c. Hic constat præcepti reuocatio, quia factum erat ad declarationem obedientiæ Abraę, & ideo ipsa declarata reuocatur, ideo subditur. Non extendas manum tuam, &c. Licet enim esset 35. annorum, tamen vocatur puer, quia ad huc erat sub cura patris. In sacra enim scriptura subditi, & famuli, licet sint ætatis prouectę, frequenter tamen vocātur pueri. Nunc cognoui &c. Idest alios cognoscere feci. Viditque post tergum arietem &c. Dicunt Hebræi quod ibi fuit paratus à principio creationis mundi, scilicet sexta die in qua formauit Deus animalia: sed hoc nec scriptura habet apparentiam, & ideo reputandum est fictitium, propter quod dicendum est, quod ibi fuerit adductus mynisterio Angelorum. Quem assumens &c. Orabat enim Abraam in immolatione arietis, quod Dominus acceptaret, ita ac si filius eius propter Deum fuisset immolatus.

Moraliter. Et ecce Angelus &c.

Per Angelum Domini loquentem cum Abraam intelligitur charitas, quę induxit Deum patrem, scilicet quòd Christus per passionem suam meruit suam exaltationem, & populi Christiani multiplicationem.

3 Num. 22 d TErtium miraculum habetur, ibi stetitque Angelus Domini in via contra Balaam, qui sedebat asinæ, & duos pueros habebat secum cernens asina angelum stantē in via euaginato gladio euertit se de itinere, & ibat per agrum: quam cum verberaret Balaam, & vellet ad semitam reducere stetit angelus in angustijs duarum maceriarum, quibus vineę cingebantur; quem videns asina, iunxit se pariter, & attriuit sedentis pedem. At ille iterum verberauit eam, & nihilominus angelus ad locum angustum transiens, vbi nec ad dexteram, nec ad sinistram poterat deuiari, obuius stetit. Cumq; vidisset asina stantem angelum cecidit sub pedibus sedentis. Qui iratus vehementius cedebat fuste latera eius. Aperuitq; Dominus os asinę, & locuta est, quid feci tibi? cur percutis me, ecce iam tertio? Respondit Balaam, quia commeruisti, & illusisti mihi, vtinam haberem gladium, vt te percuterem; dixit asina. Nonne animal

tuum

tuum sum, cui supersedere consueuisti vsque in præsentem diem? dic qnid simile vnquam fecerim tibi? At ille ait Numquam protinus, aperuit Domus oculos Balaam, & vidit Angelum stantem in via enaginato gladio; adorauitquè eum protinus in terram. Cui Angelus cur inquit tertio verberas asinam tuam: Ego veni, vt aduersarer tibi, quia peruersa est via tua, mihique contraria; & nisi asina declinasset de via, dans locum resistenti, te occidissem, & illa viueret &c.

Glos. interlin. stetitq; Angelus &c. Missus à Domino; Et ibat per agrum &c. Qui erat extra macerias vinearum. Cur inquit tertio verberas asinam &c. Fideles scilicet stultos innocentes:

Glos.ordin.stetitq. Angelus Domini &c. Qui aderat scilicet filijs Israel, de quo scriptum est. Angelus meus ibit mecum, cernens Asina Angelum &c. Magus dæmones videt, asina angelum, non quod sit digna videre, sicut nec loqui, sed vt confutetur Balaam, vnde mutum Animal arguit Prophetæ dementiam. Aperuitque Dominus &c. Vt arguatur per eam Balaam; & mutę pecudis vocibus confutetur, qui diuinus videbatur & sapiens. Et locuta est. &c. Isidor. Allegor. Asina cui Balaam sedet angelum videt & loquitur; Idest Bruta gentilitas, quam quondam Balaam idest, seductor Idolatriæ quasi brutum animal, & nulla ratione renitens quo voluit errore substrauit, sed iusta angelum vidit quem homo videre non potuit, & vidit & detulit, & locuta est asina, vt agnosceremus sub aduentu magni Angeli, illam gentilem plebem mutata duricie stolidatisque natura solutis Deo linguis locuturam &c. Origen. allegorice: asina cui Balaam sedebat (quod scriptura dicit) homines & iumenta saluabis Domine, pars credentium, potest intelligi, quæ pro stultitia, vel innocentia animalibus comparatur; vnde non multi sapientes, non multi potentes, non multi nobiles, sed quę stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes &c. Respondit Balaam &c. Nimirum tanta cupiditate plenus ferebatur, vt nec tanti monstri miraculo terreretur; & respóderit, quasi ad hominem loquens cum deus non asinę animam, irrationalem naturā vertisset: sed quod illi placuerat ex illa sonare fecisset ad illius vesaniam cohibendam, illud forte figurans: quia stulta mundi elegit Deus, vt confunderet sapientes pro spiritali & vero Israel. 1. Cor. 12. d

Nicol. de lyra: stetitque angelus Domini. Hic ponitur ipsius Balaam reprehensio; quia ibat intentione peruersa, quæ non potest abscondi à Deo licet ab hominibus abscondatur. Cernens asina angelum stantem &c. Apparebat enim in specie humana, quam Balaam tamèn nō videbat; quia in potestate angeli sic apparentis, est facere quod sic videatur ab vno & non ab alio: Hoc autem fa-

ctum eſt, vt præſumptio Balaam confutaretur etiam per animal brutum ſecundum quod dicit B.Pet.2.Can.2.ſubiugale mutum hominis voce loquens prohibuit Prophetæ inſipientiam. Auertit ſe deitinere &c. Timore angeli. Attriuit ſedentis pedem &c. Declinando quantum poterat ab angelo qui ſtabat aduerſus partem alterius muri. Cecidit ſub pedibus ſedentis &c. Timore angeli quem non poterat delinare. Aperuitque Dominus os aſinæ &c. Non eſt intelligendum quod aſina illa verba intelligeret, vel formaret, quod verba rationabilia non intelliguntur, vel formantur, niſi ab habente intellectum; & ideo illa verba fuerunt formata virtute angeli mouentis linguam aſinæ ad prolationem verborum in confuſionem ipſius Balaam. Reſpondit Balaam &c. Erat enim aſſuetus videre dæmones ſibi apparentes in ſpecie animalium, & ſecum loquentes, & ideo ad vocem aſinę non expauit nec ad miratus fuit.

Moraliter Cernens aſina angelum ſtantem in via. &c.

Per hoc autem quod aſina, quæ eſt animal ſtolidum vidit angelum, quem Balaam reputatus ſapiens non videbat ſignificatur, ꝙ diuina ſecreta frequenter hominibus de ſeculari ſapientia pręſumentibus abſconduntur, & illiteratis atque ſimplicibus reuelantur, vnde confitebor tibi Domine cœli & terræ; quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea Paruulis: Mat. 11. d

4 Iud. 6. d

QVartum habetur Miraculum ibi, & ille ſi inueni inquit gratiam coram te, da mihi ſignum quod tu ſis qui loqueris ad me: Ne recedas hinc donec reuertar ad te portans ſacrificium, & offerens tibi; qui reſpondit. Ego præſtolabor aduentum tuum. Ingreſſus eſt itaque Gedeon, & coxit hædum, & de farinæ modio azimos panes carneſque ponens in caniſtro, & ius carnium mittens in ollam tulit omnia ſub quęrcu, & obtulit ei, cui dixit angelus: tolle carnes & azimos panes, & pone ſupra petram illam; & ius deſuper funde cumque feciſſet ita, extendit angelus Domini ſummitatem virgæ, quam tenebat in manu, & tetigit carnes & panes azimos aſcendique ignis de petra & carnes azimoſq; panes cõſumpſit; angelus autem Domini euanuit ex oculis eius: &c.

Gloſ.Interl.Da mihi ſignum quod tu ſis &c.Quia diabolus transfigurat ſe in angelum lucis. Coxit hedum &c. Omnem ſcilicet carnis appetitum. Et ius carnium mittens &c. Carnales cogitationes Obtulit ei &c. Vt miniſtro: Pone ſupra petram illam &c. Chriſtum cuius imitatione corpus noſtrum cruciamus: Aſcenditque ignis de petra &c. Afflatus ſcilicet à redemptore ſpiritus: Iſidor. Quia in carne Chriſti tot[illegible]s mundi delata ſunt peccata; vir-

ga scilicet percussa idest,crucifixa nec solum facta, sed etiam cupiditates purgauit,caro enim hœdi culpā facti, Ius significat illecebras cupiditates: exijt ignis de Petra,quia caro Christi diuinọ spiritu repleta oīa peccata exussit;vnde ignem veni mittere in terrā.

Glos.ordin. Da mihi signum &c. Gedeon discutit angelicam visionem diuersitate,& mutatione signorum. Portans sacrificiū &c. Aug. Aduertendum est quod Gedeon non ait angelo offeram tibi sacrificium,sed offeram sacrificium meum, & ponam in conspectu tuo,vt intelligendum est non eum angelo, sed per angelum sacrificium obtulisse, ipse enim angelus in sacrificio officium ministrantis impleuit. Ignem enim homo minister, vt homo sine miraculo subiecisset, quem mirabiliter vt angelus ipse subiecit. Ingressus est itaque Gedeon &c. Gregor. qui occidi hædum præcipit.i. omnem appetitum carnis nostræ immolari, carnesque supra petram poni, & ius carnium superfundi: Petra significat Christum de quo dicitur. Petra autem erat Christus. Carnes supra petram ponimus cum corpus nostrum Christi imitatione cruciamus. Ius etiam carnium superfudit, qui in conuersatione Christi ipsas etiam cogitationes carnales exinaniuit, quasi enim ius ex carne liquatum in petra funditur, quando mens à cogitationum carnalium fluxu vacuatur:quod angelus virga tetigit,qui in tentationem nostram potestas diuini adiutorij non deserit: de petra ignis exit, & ius, carnesq; consumit, qui afflatus à Redemptore spiritus tanta cor nostrum flāma compuntionis cremat; vt omne quod in eo illicitum operis,& cogitationis exurat; perfecta enim mens solerter inuigilat,vt non solum peruersa agere renuat, sed omne etiam quod in se per cogitationes turpiter ligatur tergat. Et obtulit ei &c. Aug. De petra ignis memoratur exisse, quo sacrificium consumeretur, siue enim per aquam quam percussa petra effudit in Eremo, siue per ignem donum Spiritus sanctus significatur, quod ditissime super nos effudit Christus: vnde si quis sitit veniat,& bibat, qui credit in me flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: & alibi visæ sunt illis linguæ diuisæ velut ignis: & ipse Dominus ait. Ignem veni mittere in terram.

[1. Cor. 10. a] [Ioan. 7. f] [Act. 2 a] [Luc. 2. f]

Nicola, de Lyra. Da mihi signum quod tu sis &c. Scilicet ex parte Dei missus. Tulit omnia sub quercu &c. Non tanquam ei sacrificans,sed vt per eū offeretur Deo sacrificiū. Ascenditq; ignis &c. In signum diuinæ acceptationis.

QVintum habetur miraculum ibi. Tulit itaque Manue hædum de capris,& libamenta,& posuit supra petram offerens Domi no, 5 [Iud. 13. d]

no,qui facit mirabilia magna solus; ipse autem & vxor eius intuebantur: cumque ascenderet flamma altaris in cęlum,angelus Domini pariter in flamma ascendit. Quod cum vidisset Manue, & vxor eius proni ceciderunt in terram,& vltra eis non apparuit angelus Domini.

Glos.ordin. Quod cum vidisset &c. Greg. Quid est quod ad visionem angeli vir est timidus; mulier audax? nisi quando nobis cœlestia monstrantur, spiritus quidem se pauore concutit, sed tamen spes præsumit. Inde enim spes ad maiora videnda se erigit, vnde turbatur spiritus, qui ea quæ superna sunt prior videt; qui cum altiora secretorum cęlestium sic leuata mens conspicit,cuncta humanarum virium soliditas contremiscit.

Nicol.de Lyra. Tulit itaque Manue hędum de capris,& libamenta &c. Idest liquida quæ cum carnibus holocaustorum offerri solent prout habetur. Et posuit super petram &c. Vtens ea pro altari. Cumque ascenderet flamma altaris &c. Ex hoc videtur quod ex illo lapide processit ignis consumens holocaustum in signum diuinæ acceptationis. angelus autem Domini pariter in flammam ascendit &c. Volens ostendere quod ipse esset verè Dei angelus ad certificationem verbi eius.

Num. 15 o

6 SExtum miraculum habetur ibi. Percussit autem cor Dauid eũ postquam connumeratus est populus,& dixit Dauid ad Dominum. Peccaui valde in hoc facto,sed pręcor Domine, vt transferas iniquitatem serui tui,quia stulte egi nimis. Surrexit itaque Dauid mane, & sermo Domini factus est ad Gad Prophetam, & videntem Dauid dicens: vade & loquere ad Dauid. Hæc dicit Dominus: triũ tibi datur optio, elige vnum quod volueris ex his, vt faciam tibi. Cumque venisset Gad ad Dauid, nunciauit ei dicens. Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua;aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos,& illi te persequentur; aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua, nunc ergo delibera, & vide quem respondeam ei, qui me misit sermonẽ. Dixit autem Dauid ad Gad,coartor vndiq; nimis: sed melius est vt incidam in manus Domini (multæ enim misericordiæ eius sunt) quam in manibus hominum: Immisitq; Dominus pestilentiam in Israel de mane vsque ad tempus constitutum, & mortui sunt ex populo ad Dan vsque ad Bersabee septuaginta millia virorum. Cumq; extendisset manum suam angelus Domini super Israel, vt disperderet eam misertus est Dominus super afflictionem,& ait angelo percutiẽti populum: sufficit nunc contine manum tuam. Erat autem angelus Domini iuxta aream Areuna Iebusei: dixitq; Dauid ad Dominum cum vidisset angelum

2. Reg. 24.B

cęden-

cędentem populum. Ego ſum qui peccaui &c.

Gloſ.ordin. Sermo Domini factus eſt &c. Cogitans Rex quia ſi famem eligeret,contra alios hoc facere videretur, cum ipſe multa frumenta haberet, nec inopiam ſuſtineret, reliquis verò anguſtia eſſet. Si verò eligeret trium menſium victoriam hoſtium; ipſe habens circa ſe viros fortiſsimos, & cuſtodes, nihil timeret, ſed neci exercitus ſubiaceret: communem potius paſsionem, & omnibus æqualem elegit,dicens. Multo melius eſt in Dei quam hoſtium manus incidere. Quod Propheta renunciauit Domino: qui morbum, & interitum miſit in exercitū Hebræorum. Moriebantur non vno modo,vt languor poſſet facere agnoſci, ſed mors quidem in omnibus,alius ſuper alium moriebatur,alij ſuper ſepelliendis moriebantur, & latenter imminens malum velociter afferebat interitum incipiente peſtifero languore ab hora matutina vſque ad horā prandij conſumpta ſunt ſeptuaginta millia. Aut ſeptem annis &c. Et videtur quod qui pane verbi Dei per gratiam ſeptiformis ſpiritus non paſcuntur,ſeptem annis famem ſuſtinent,& qui in nomine Trinitatis regenerati non ſunt,hoſtibus,ideſt dæmonibus reſiſtere non valent,ſed peſtilentia impietatis increduli moriuntur.

Nicol.de Lyra. Percuſsit autem cor Dauid &c. Ideſt conſcientia eum reprehendit. Primo ponitur determinatio pœnæ; ſecundo executio iuſtitiæ diuinæ; tertio placatio offenſæ. Peccaui valde &c. Peccato ſuperbię,& ex mandati diuini transgreſsione,volebat enim Dominus quod numeratio generalis populi qualē præcepit Dauid fieri,fieret per capita.

Moraliter. Percuſsit autem cor Dauid &c. Per contritionem, Exo.30. ſed quia non ſufficit contritio, niſi confeſsio ſequatur habita opportunitate, ideo ſubditur. Et dixit Dauid ad Dominum; Peccaui valde &c. Et dicitur in hoc facto,nam in confeſsione vera peccata ſunt particulariter exprimenda: & quoniam poſt confeſsionem requiritur ſatisfactio per pœnam, ideo ſubditur. Trium tibi datur optio &c. Aut ſeptem annis veniet tibi &c. Per hoc autem quod Dauid prælegit peſtilentiam trium dierum perſecutioni trium menſium, & fami ſeptem annorum, ſignificatur quod pœna pro peccatis ſuſtinenda eſt in vita præſenti magis, & eligenda, & acceptanda, quam in Purgatorio, quæ longior eſt, aut in inferno, quæ à parte poſt eſt ęterna; per hoc autem quod Dauid dixit. Ego ſum qui peccaui &c. Oſtenditur quod Princeps perfectus in bonitate paratus eſt exponere ſe morti pro populi ſui ſaluatione; exemplum huius dedit nobis Dominus noſter Ieſus Chriſtus dicens:Ego Ioan.10. c ſum paſtor bonus,& animam pono pro ouibus mei &c.

Septimum

7 SEptimum habetur miraculum ibi: Et ecce Angelus Domini tetigit eum,& dixit illi: Surge, & comede. Respexit & ecce ad caput suum subceneritius panis, & vas aquæ: comedit ergo & bibit,& rursum obdormiuit. Reuersusq; est Angelus Domini secundo,& tetigit eum, dixitq; illi. Surge & comede: grandis enim tibi restat via. Qui cum surrexisset comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi ipsius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus,vsque ad montem Dei Horeb.&c.

3. Reg. 19. A

Glos. ordin. Et ecce Angelus &c. Rab. Angelus qui Eliam pauit magni consilij Angelũ significat, cuius opera tam in corporali, quàm in spirituali natura subsistimus. Et ecce ad caput suũ &c. Rab. Helias bis pastus exprimit nostrę naturæ infirmitatem, quibus non sufficit simplex pastus, sed duplex, quatenus ad superna valeamus ascendere; sicut enim corpus sine alimento corporali subsistere nequit, ita nec anima viuere potest sine verbo Dei. Qui cum surrexisset &c.Rab.Sic & nos dũ inertię somnũ nobis excutimus necesse est, vt diuino solatio confortati,gressu bonorũ operũ per omne tẽpus vitæ pręsenti summopere festinemus ascendere in montẽ Dei,& in locum sanctum eius,vt ibi requiem inueniamus æternam.

Nicol. de lyra: & ecce angelus Domini &c. Hic consequenter circa Heliam ponitur angelica prouisio, videlicet de cibo, quia famelicus erat, & lassatus. Et ambulauit in fortitudine cibi &c. Et hoc videtur scriptura attribuere iter Heliæ ieiunanti quadraginta noctibus virtute cibi illius, propter quod, dicit Aug. in libro de mirabilibus sacræ scripturæ: quod ille cibus angelicis manibus præparatus habuit talem virtutem quod potuit diu seruare naturam corporis à consumptione calidi naturalis, propter quam requiritur sumptio cibi ad reficiendum id quod consumptum est, vt habetur primo de generatione. Vsque ad montem Dei Horeb.&c. Vbi Deus dedit legem, & ideo ibi voluit apparere Heliæ, qui fuit maximus zelator legis diuinæ.

Moraliter, Et ecce angelus Domini.&c.Nã angelus custos hominis eum excitat ad bonum exercitium, dicens surge per mentis vigilantiam. Comedit ergo &c. Sacram eucharistiam. Grandis enim tibi restat via &c. Ipsa enim est tibi viaticum ducens ad patriam. Et ambulauit in fortitudine. &c. Per hanc ambulationem Heliæ significatur processus de bono in melius vsque ad perfectionem vitæ, quæ est peruentio vsque ad patriam in spe, tamen quæ est certa expectatio futuræ beatitudinis ex gratia & meritis proueniens, per quadraginta verò dies naturales qui consurgunt ex ducto denarij per quaternarium significatur obseruatio decalogi in fide Christi descripta in libris quatuor Euangeliorum.

OCtauo colligitur Miraculũ ibi factum est igitur in nocte illa 8
venit angelus Domini & percussit in castris assiriorũ centum 4. Reg.
octuaginta quinque millia, cumque diluculo surrexisset vidit om- 19. c g
nia corpora mortuorum & recedens abijt.

Glos. ord. factum est igitur in nocte illa &c. Rab. tot ab vno angelo vna nocte ceduntur, & absque vulneribus mors sæua discurrit, 2. Paral. 32. a super quo in Paralip. legitur: & misit Dominus angelum qui percussit omnem virum robustum & bellatorem principemque exercitus Regis assiorum. Reuersusque est cum ignominia in terram suam, qui seruatus est, vt fieret testis maiestatis illius, quem contempserat.

Nichol. de lyra: Venit angelus &c. Executor Dei iustitię. Et percussit in castris Assyriorum &c. Scilicet omnes robustos, bellatores, & principales exercitus. Cumq; diluculo surrexisset. &c. Scilicet Senacherib, vt iret ad obsidiendum Hyerusalem. Vidit omnia corpora mortuorum. &c. Dicunt hæbrei quod corpora fuerunt incinerata subarmis, ac vestibus intactis, ita quod populus ezechiæ potuit spolia facile colligere, & sine cadauerũ fetore.

Moraliter factum est igitur &c. Per hoc significatur vindicta diuina, quæ aliquando de persecutoribus Ecclesiæ datur manifeste.

NOnum habetur miraculum ibi. Dixitque Raphael ad Tobiã, 9 Tobiæ. 4. b
At vbi introieris domum tuam, statim adora Dominũ Deum tuum, & gratias agens ei accede ad Patrem tuum & osculare eum, statimque lini super oculos eius ex felle isto piscis, quod portas tecum: scias enim quod mox aperientur oculi eius, & videbit pater tuus lumen cœli, & in aspectu tuo gaudebit, tunc præcurrit canis qui simul fuerat in via, & quasi nuntius adveniens, blandimento suæ caudæ gaudebat, & consurgens cæcus pater eius cœpit offendens pedibus currere, & data manu puero occurrit obuiam filio suo. Et suscipiens osculatus est eum cum vxore sua, & cœperunt ambo flere prægaudio cumque adorassent Deum, & gratias egissent, consederunt. Tunc sumens Tobias de felle piscis liniuit oculos patris sui; & sustinuit dimidiam fere horam, cœpit albugo ex oculis eius quasi membrana oui egredi, quam apprehendens Tobias traxit ab oculis eius, statimque visum recepit, & glorificabat Deum ipse videlicet, & vxor eius, & omnes qui sciebant eum, dicebatque Tobias Benedico te Domine Deus Israel, quia tu castigasti me, & saluasti me, & ecce ego video Tobiam filium meum.

Glos. Interlin. Tunc pręcurrit. &c. Quia salutis donum pręnunciat, & sic Dominus corda illuminat: Canis qui similiter fuerat.

rat &c. Doctores Ecclesię, qui hęreticos quasi lupos à summi pastoris ouili fugant. Blandimento suę caudę &c. Cauda finis corporis perfectionem significat, vel mercedem, quę in fine tribuitur. Et data manu &c. Assensu. Puero occurrit &c. Ei qui veritatis lumen cognouit. Occurrit obuiam filio suo &c. Christo. Et cœperunt flere &c. Quia sero. Cumque adorassent Deum &c. Quia credunt in Christo. Et sustinuit quasi dimidiam fere horam &c. Iudęorum populus postquam amarissimam antiqui hostis malitiā cognouerit amissam recipiet lucem. Et cœpit albugo ex oculis eius quasi membrana oui &c. In quo spes significatur; quod non dum viuit, & animatum est, sed speratur, si autem quod videmus speramus, per patientiam expectamus. Euangelica quoque parabola sub nomine panis, & vini, & oui tres summas virtutes exprimit: charitatem scilicet fidem, & spem.

Glos.ord.quasi nuncius adueniens blandimento &c. Beda: Canis gaudebat dum tecta Dominorum diu inuisa reuiseret: gaudent doctores cum de effectu sui operis cum Iudeam à Domino recolligēdam intelligant, Gaudent de pręmio vitę ęternæ, & cunctis electis eodem præmio corda ex hilaranda prædicunt, & statim aduenturam gratiā sancti Spiritus edunt. Et consurgens cœcus Pater.&c. Audito à doctoribus vero salutis exurgit populus Iudeorū de perfidię suę cecitate longa, & amore currit ad Dominum, sed ostendēs gressibus operum donec renatus & instructus in Christo fidei, & operationis lumen percipiat: Tunc sumens Tobias de Felle. &c. Beda Dominus credentibus aperte reuelat quanta sit antiqui hostis malitia, quę ipsum in passione deuorare gestiuit, scilicet per hoc occisus membra sua, idest eos quos ante tenebat amisit. Et cœpit albugo &c. Beda habet ad huc populus Iudęorum velamen ante faciem cordis, vt non intelligat gratiam Christi: Habet albuginem, quia candidus & iustus sibi videtur, quasi membranum oui, quod cecitatem sustinet mentis sub spe stultissima Christi ad huc nascituri Iudęos liberaturi, & imperium magnum daturi. Cum autem velamen ablatum fuerit agnoscent quod Christus iam venit, & mundum sanguine redemit; vnde sequitur quod viso recepto glorificabant Deum Tobias cum vxore sua.

Nicol.de lyra At vbi introieris &c. Ex hoc loco habetur exemplum quod homines de negociationibus, seu peregrinationibus reuertentes prius debent gratias agere de diuina protectione, quā se ponant ad narrandum rumores, & trufas.

Moraliter, Tunc sumens Tobias de felle piscis liniuit. &c. Per hanc linitionem significatur Charismatū in vnctio quando Iudæus aliquis Baptizatur à fideli & tunc exit albugo deoculis mētalibus

bapti-

baptizati, quando velamen quod est super oculos Iudæorum aufertur ab eo per illuminationem fidei Christianæ: vnde & ab oculis Pauli exierunt albugines tanquam squamę,& ad hanc illuminationem sequitur laus diuina.

10 Decimum colligitur miraculum ibi. Tunc Rex præcepit,& adduxerunt Danielem, & miserunt eum in lacum Leonum. Dixitq; Rex Danieli. Deus tuus quem colis semper, ipse liberabit te. Allatusq; est lapis vnus, & positus est super os laci, quem obsignauit Rex anulo suo,& anulo optimatum suorum, ne quid fieret contra Danielem: Et abijt Rex in domum suam, & dormiuit incenatus, cibiq; non sunt allati coram eo, insuper & somnus recessit ab eo. Tunc Rex primo diluculo consurgens festinus ad locum Leonũ perrexit appropinquansq; lacui, Danielem voce lacrimabili inclamauit,& affatus est eum: Daniel serue Dei viuentis, Deus tuus cui tu seruis semper putas ne valuit te liberare à leonibus? Et Daniel Regi respondens ait: Rex in æternum viue, Deus meus misit Angelum suum,& conclusit ora leonum,& non nocuerunt mihi, quia coram eo iustitia inuenta est in me, sed & coram te Rex, delictum nõ feci. Tunc vehementer Rex gauisus est super eo, & Danielem præcepit educi de lacu; reductusq; est Daniel de lacu, & nulla læsio inuenta est in eo, quia credidit in Deo suo. Iubente autem Rege adducti sunt viri illi, qui accusauerunt Danielem,& in lacum leonum missi sunt ipsi,& filij,& vxores eorum,& non peruenerunt vsque ad pauimentum laci, donec arriperent eos leones, & omnia ossa eorũ comminuerunt. Tunc Darius Rex scripsit vniuersis populis,& tribubus, & linguis habitantibus in vniuersa terra: Pax vobis multiplicetur. Ad me constitutum est decretum, vt in vniuerso imperio, & regno meo tremiscant, & paueant Deum Danielis: ipse enim est Deus viuens,& æternus in secula,& regnum eius non dissipabitur, & potestas eius vsq; in æternum: ipse liberator est, atque saluator faciens signa,& mirabilia in cœlo,& in terra, qui liberauit Danielem de lacu leonum. Dan.6. f

Glos. interl. Quem obsignauit Rex &c. Credit eum potentiæ Dei. Et anulo optimatuũ suorum &c. Ne quid suspicionis contra eos habere videretur, & quasi non confidens de Dei potentia pro amico aliquid machinaretur, & vt clarius eluceat virtus liberantis. Tunc Rex primo diluculo &c. Quia credidit eum viuere, quem Deo viuo crediderat. Consurgens festinus ad lacum leonum perrexit &c. Depressam in alto foueam, vel arentem cisternam, oblitus Regis factus, victor ad captiuum, Dominus currit ad seruũ. Daniel serue Dei viuentis &c. Ad differentiam deorum gentilium

qui ſunt ſimulacra hominum mortuorum. Rex in æternũ viue &c. Honorantem ſe honorat, & ei vitam æternam orat. Qui credidit Deo &c. Fides vincit mundum. Et in lacu leonum miſsi ſunt &c. Neq; enim lex æquior vlla eſt, quam necis artifices arte perire ſua. Donec arriperent eos &c. Vnde patet Danielem ſeruatũ eſſe Dei potentia, non leonum voluntate, vel ſegnicie. Ame ergo conſtitutum eſt etc. Vt pax vobis multiplicetur. Tremiſcant, et paueant Deum Daniel etc. Hic eſt miraculorũ fructus, vt nomen Dei exaltetur. Ipſe enim eſt Deus viuens, et æternus etc. Alij mortui, et tranſitorij. Faciens ſigna, et mirabilia etc. In quo probatur verus Deus.

Gloſ. ordin. Deus tuus quẽ colis etc. Cedit multitudini, et aduerſarijs conſentientibus non audet negare mortẽ amici, et ꝙ ipſe obtinere non potuit potentiæ Dei cõmittit: Non ambigue loquitur audacter affirmat. Deus tuus quem colis etc.] Audierat tres pueros quamuis inferiores flammas viciſſe babilonias, et Danieli fuiſſe multa reuelata. Ne quid fieret etc. Qui de leonibus ſecurus eſt, de hominibus pertimeſcit, ne quid contra Danielem moliantur inimici. Et abijt Rex in domum ſuam etc. Quanta beneuolentia, nec nocte, nec die cibum capit, nec dormit, cum Propheta periclitante, quaſi vno pendet affectu; nos ergo pro peccatis proprijs, quanto magis debemus vigilijs, et ieiunijs Deum ad miſericordiã flectere, cum Rex Deum neſciẽs pro eo quem vult à periculo liberare. Deus meus miſit Angelum ſuum etc. Idem dicat qui eruitur à faucibus inuiſibilium leonum, ideſt de lacu leonum inferni. Et concluſit ora leonum etc. Non mutata eſt feritas, aut rabies leonum, ſed ab Angelo concluſa, quia præceſſerant Prophetæ bona opera, vt non tam gratiæ, quam iuſtitiæ retributio in hac liberatione notetur.

Nicol. de Lyra. Tunc Rex præcepit etc. Hic deſcribitur miſeria hominis innocentis. Tunc Rex primo diluculo etc. Hic tria notantur, innocentia liberata, inuidia lacerata, et magnificentia Dei prędicata. Deus meus miſit Angelum ſuum etc. Qui opera mirabilia facit miniſterio Angelorum.

Aug. in lib. 2. cap. 32. de mirabilibus ſacrę ſcript. In hoc etiam tam inſigni facto non natura in leonibus, mutatur, ſed inſita à conditionis initio ſua parte per Angelum à Deo gubernatur.

11 Act. 5. c VNdecimum colligitur miraculum ibi; Permanns autem Apoſtolorum fiebant ſigna & prodigia multa in plebe. Et erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis. Ceterorum autem nemo audebat coniungere ſe illis, ſed magnificabat eos Populus. Magis

autem

autem augebatur credentium multitudo virorum, ac mulierum, ita vt in plateas eijcerent infirmos: & ponerent in lectulis, & grabatis; vt veniente Petro saltim vmbra eius obumbraret quæcumque illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus suis. Concurrebat autem multitudo vicinarum Ciuitatum Hyerusalem afferentes ægros, & vexatos à spiritibus in mundis, qui curabantur omnes. Exurgens autem Princeps sacerdotum, & omnes qui cum illo erant, quæ est hæresis saduceorum, repleti sunt zelo, & iniecerunt manus in Apostulos, & posuerunt eos in custodia publica: angelus autem Domini per noctem aperiens Ianuas carceris, & educens eos dixit. Ite & stantes loquimini in templo plebi, omnia verba vitæ huius &c.

Glos. interl. Per manus autem Apostolorum. &c. Non tamen per verba, vel vmbram sicut de Petro dictum est. Multitudo virorum, ac mulierum &c. Nullus sexus à Regno Dei excluditur. Vt veniente Petro &c. Quasi Principe. Repleti sunt zelo &c. Nunc factus zelus protulit, qui non modo incepit, sed illa hora ad plenitudinem malitię peruenit. Ite & stantes loquimini &c. Firmi & stabiles, vel manifesti.

Glos. ordin. Per manus autem Apostolorum &c. Non solius Petri, licet pro honore eius cæteri taceantur. Et erant vnanimiter &c. Rab. in hoc mirandi sunt, quod magnitudo gratiæ non fecerat sensus diuersitatem. Veniente Petro saltem vmbra &c. Beda tunc Petrus vmbra corporis sui visibiliter alleuiabat infirmos qui nunc inuisibili suæ intercessionis vmbraculo fideles infirmos roborat, & quia etiam Petrus figura est Ecclesię ipse rectus incedit, sed vmbra iacentes erigit, quæ Ecclesia cælestibus intendens quasi vmbratice transcurrit in terra, & hic sacramentis & figuris cœlestium reuocat, quos illic perpetuis donis remunerat. Angelus autem Domini &c. Beda: Non dubitat Thomas Christum carnem & ossa habuisse, quem ianuis clausis vidit intrasse, ecce hic cum socijs mortali ad huc carne vestitus clausis ianuis egreditur.

Nicol. de Lyra. Per manus autem &c. Ostenditur Apostolorum prædicatio virtuosa ex duobus scilicet ex miraculis eam confirmantibus, & ex muliplicatione credentium ad exhortationē Apostolorum. Veniente autem Petro saltem vmbra eius &c. In quo ponitur differentia Petri ad alios Apostulos in operatione Miraculorum. Nam alij Apostoli curabant infirmos per tactum manuum, Petrus autem, non solum per manus; sed etiam per vmbram, ad ostendendum quod erat principalis Apostulus. Angelus autem Domini &c. Hic ponitur Apostolorum mirabilis liberatio. Ioan. 20. e

Moraliter: Per manus autem &c. Ista signa & prodigia erant

O 2 sani-

ſanitates corporum virtute nominis Chriſti factę per quas ſignificantur ſanitates animarum, quæ fiunt per ſalubria conſilia, & hor tamenta prędicatorum Eccleſiæ. Et erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis &c. Salomon qui interpretatur pacificus, eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui per ſuum ſanguinem erga nos pacificauit Deum patrem, & in eius porticu, qui fides eſt Eccleſiæ debent omnes cattolici in ſimul habitare. Angelus autem Do-
Apoc. 1. d mini &c. Per quem poteſt intelligi bonus Epiſcopus, nã ipſi angeli dicuntnr, ſeptem ſtellæ angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum, ideſt Epiſcopi earum, & ſic angelus Ianuas aperit, quando bonus Epiſcopus impedimentum repellit.

12 Act. 12. A DVodecimum Miraculum habetur ibi: Eodem autem tempore miſit Herodes Rex manus vt affligeret quoſdam de Eccleſia, occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio, videns autẽ quia placeret Iudæis, appoſuit apprehendere, & Petrum: erant autem dies Azimorum quem cum apprehendiſſet, miſit in carcerem, tradenſque quatuor quaternionibus militum ad cuſtodiendum eum, volens poſt paſcha, producere eum populo, & Petrus quidem ſeruabaturin carcere. Oratio autem fiebat ſine intermiſsione ab Eccleſia ad Deum pro eo, cum autem producturus eum eſſet Herodes, in ipſa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, victus catenis duabus, & cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem: Et ecce angelus Domini aſtitit & lumen refulſit in habitaculo, percuſſoque latere Petri excitauit eum dicens, ſurge velociter: ceciderunt catenę de manibus eius, Dixit autem angelus ad eum præcingere, & calcea te caligas tuas; & fecit ſic. Et dixit illi circunda tibi veſtimentum tuum, & ſequere me, & exiens ſequebatur eum, & neſcieba, quia verum eſt quod fiebat per angelum, exiſtimabat autem ſe viſum videre, tranſeuntes autem primam & ſecundum cuſtodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem, quæ vltro aperta eſt eis, & exeuntes proceſſerunt vicum vnum; & continuo deceſsit angelus ab eo: & Petrus ad ſe reuerſus dixit; Nunc ſcio verè, quia miſit Dominus angelum ſuum, & eripuit me de manu Hęrodis: & de omni expectatione plebis Iudæorum.

Gloſ. Interl. Appoſuit apprehendere, & Petrum &c. Quod plus placeret vbi princeps occideretur: Oratio autem fiebat ſine intermiſsione &c. Exemplum orandi pro periclitandis, & maxime pro Eccleſię paſtoribus. Et continuo diſceſsit angelus &c. Vt ſciret verum eſſe quod fiebat, & non viſionem.

Gloſ. ordin. Volens poſt Paſcha producere eum populo &c. Am

plior

plior enim gratia esset si ipsi eum occiderent Iudæi; quia princeps erat. Inter duos milites vinctus &c. Quatuor difficultates cumulant custodia, milites, catenæ, carcer, custodes. Lumen refulsit in habitaculo &c. Signum præsentiæ angeli Dei, cuius præsentia soli Petro lumen præbebat, nec alij refulgebat. Percussoque latere Petri excitauit eum &c. Beda percussio lateris commemoratio est passionis Christi, de cuius latere salus nostra profluxit. Venerũt ad portam ferream &c. Beda. Angusta immo ferrea erat porta quæ ducit ad Hyerusalem cœlestem, sed Apostolorũm vestigijs est facta mea bilis, qui sanguine proprio ostium ferreum vicerunt. Ferrea enim ostia Petro cedunt custodi aulæ cœlestis, qui Ecclesiæ retinens cacumen infernum superat. Et Petrus ad se reuersus &c. A culmine contemplationis ad hoc reuersus est, quod in intellectu communi prius fuit.

Nicol. de Lyra. Quem cum apprehendisset &c. Primo ponitur incarceratio iniuriosa; secundo eius liberatio miraculosa; tertio cum suis associatio gratiosa. Oratio autem fiebat &c. Vt Christus suum Vicarium seruaret in vita. Cum autem producturus eũ esset &c. Hic describitur liberatio Petri miraculosa. Erat Petrus dormiens inter duos &c. Ita quod non patebat vlla euasio via humana, ideo subdit. Et ecce Angelus Domini &c.

Moraliter. Eodem autem tempore &c. Per Herodem significatur quilibet tyrannus persecutor fidei, per incarcerationem Petri, potest intelligi quælibet afflictio iusti, per custodes in malorũ executione ministrantes: per duas catenas, tyranni potentia, & eius nequitia significatur: per Angelum intelligi potest quilibet agens pro bonorum liberatione, nam in hoc est Dei minister. per hoc autem quòd Petrus liberatus ad alium locum transijt vbi poterat facere fructum animarum, significatur quod prædicator Euangelij in personali persecutione debet alibi, vbi proficere valeat se transferre &c.

QVoniam Deus in miraculis faciendis vsus est, non solum ministerio bonorum Angelorum, vt dictum est; verum etiam malorum, & circa eos miracula fecit, vt modo dicetur.

Ideo primo dicetur quãdo vsus sit opere diaboli ad hoc agendũ. Secũdo quomodo, & quãdo à dæmonibus obsessi fuerint liberati.

CIrca primum habetur ibi. Vir erat in terra Hus nomine Iob, 1
& erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens Iob. 1. A
à malo. Natiq; sunt ei septem filij, & tres filiæ, & fuit possessio eius septem millia ouium, & tria millia Camelorũ, quinquaginta quoque

que iuga bouum,& quingentæ asinæ, ac familia multa nimis. Eratque vir ille magnus inter omnes Orientales,& ibant filij eius,& faciebant conuiuia per domos vnusquisque in die suo. Et mittentes vocabant tres sorores suas, vt comederent, & biberent cum eis. Cumque in orbem transissent dies conuiuij mittebat ad eos Iob,& sanctificabat illos.Consurgensq; diluculo offerebat holocausta per singulos: dicebat enim. Ne forte peccauerint filij mei,& benedixerint Deo in cordibus suis,sic faciebat Iob cunctis diebus. Quadam autem die, cum venissent filij Dei, vt assisterent coram Domino affuit inter eos etiam Sathan. Cui dixit Dominus. Vnde venis? Qui respondens ait. Circuiui terram,& perambulaui eam.Dixitq; Dominus ad eum. Nunquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex,& rectus,ac timens Deum,& recedens à malo? Cui respondens Sathan ait. Nunquid Iob frustra timet Deum? nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamque substantiam eius per circuitum operibus manuum eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra? Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. Dixitque ergo Dominus ad Sathan ecce vniuersa quæ habet in manu tua sunt, tantum in eum non extendas manum tuam. Egressusq; est Sathan à facie Domini. Cum autem quidam Dei filij, & filiæ eius comederent, & biberent vinum in domo fratris sui primogeniti, nuncius venit ad Iob qui diceret: boues arabant,& asinę pascebantur iuxta eos, & irruerunt Sabei, tuleruntq; omnia, & pueros percusserunt gladio,& euasi ego solus,vt nunciarē tibi. Cumq; ad huc ille loqueretur, venit alter,& dixit.Ignis Dei cecidit de cęlo,& cunctas oues, puerosque consumpsit, & effugi ego solus, vt nunciarem tibi; sed adhuc illo loquente, venit alius, & dixit. Caldei fecerunt tres turmas, & inuaserunt Camelos, & tulerunt eos; necnon & pueros percusserunt gladio,& ego fugi solus, vt nunciarem tibi. Adhuc loquebatur ille,& ecce alius intrauit,& dixit filijs tuis, & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti repente ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus: quæ corruens oppressit liberos tuos,& mortui sunt,& effugi ego solus,vt nūciarem tibi. Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terrā adorauit,& dixit. Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc, Dominus dedit, Dominus abstulit, sic Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. In omnibus his non peccauit Iob labijs suis, neque stultum quid contra Deum locutus est.

Glos. Interl. Vir erat in terra Hus nomine Iob.&c. In terra gentilium

lium ad laudem Iob, qui bonus inter malos fuit inuentus, vt Loth, in sodomis, sicut lilium inter spinas sic amica mea interfilias. Ac timens Deum &c. Timere Deum est nulla quæ sunt facienda præterire. Ac recedens à malo &c. Quia malis mixta bona non sunt Deo accepta, qui nec fecit malum, nec consensit malo. Et fuit possessio eius &c. Quantusque tanta sine amore possedit, quod patuit cum sine dolore tanta perdidit; prius diuitias cordis exposuit post opes corporis, quę solent mentem in diuersa trahare. Et ibant filij eius &c. Maior substantia discordiam inter fratres generat, sed pater tam bene instituit, vt bona patris diuisuri concordes sint. Et sanctificabat illos &c. Quia scit sine culpa vix posse celebrari conuiuia, quia ferè semper epulas comitatur voluptas & loquacitas. Ne forte peccauerint filij mei &c. Non affirmat, quia temere iudicare de alienis cordibus non debemus. Sic faciebat Iob cunctis diebus &c. In sancto opere perseuerantia laudatur. Ciruiui terram & per ambulabam eam &c. Pauci enim sunt vbi non habeant locum eius vestigia. Num quid considerasti seruum meum &c. Quasi dicat talem constitui, in quo te oportet vinci. Num quid frustra Iob timet Deum &c. Diabolus, quia non inuenit mala, quæ accuset bona in malum vertit, quasi non bono animo fiant, item non sua virtute, sed tua à me defenditur, & ideo frustra timet. Sed extende paululum &c. Da potentiam. In manu tua sunt &c. Dat licentiam tentandi. Tantum in eum ne extendas manum tuam &c. Frenat hic Diabolum. Boues arabant &c. Callide damna nunciant vt memorato fructu operis crescat causa doloris. Irruerunt Sabei &c. Vicini quandoque solatium ferunt, sed isti persequuntur & quia aduersa magis feriunt si cum multa sunt etiam subita nunciantur, sic nunciari diabolus facit. Venit alter, & dixit ignis Dei cecidit de cœlo &c. Non modo rebus perditis, sed verbis nunciorum instigat, dum callide dicitur: Ignis Dei quasi vindictam Dei sustinens quem tot hostibus placabas, vt frustra seruisse se existimans in Deum superbiret. Tunc surrexit Iob &c. Qui prius stabat firmus stat omnibus amissis, & hoc est surgere Iob. Scidit vestimenta sua &c. Ecce quem dolorem flagelli sensit. Corruens in terram adorauit &c. Ecce quod in dolore contra Iudicium flagellantis non excessit, sed adorat. Dominus dedit &c. Non diabolus, scit enim ei nihil licere nisi Deo permittente, quid ergo mirum, si quæ dedit sua recipit. Dominus abstulit &c. Non diabolus, docet enim in flagellis gratias agere, vt ipse appropinquans passioni gratias egit. Sic Domino placuit &c. Vltima consolatio scit Deum iustum Iudicem, vnde nisi iustum scit placere illi.

Can. 2. a

Glos.

Glos.ord.Simplex & rectus &c. Necesse est vt simplicitatem columbæ astutia serpentis instruat,& astutiam simplicitas temperet. Vocabant tres sorores &c. Scilicet fidem , spem , & charitatem. Vnde venis &c. Non quærit à bonis, quia non quærimus,nisi quod nescimus & Dei nescire est reprobare.Ecce vniuersa quę habet&c. Idest bona eius exterius tentanda tribuo, sed intus mihi illum reseruo, non petitione diaboli prouocatus Deus vincitur, sed hosti concedit ad dolorem & deceptionem suam quod famulo prosit.Boues arabant, & asinæ pascebantur &c. Idest boni bene operantes, & asinæ simpliciter viuentes iuxta boues quia intelligentia eorum pascuntur. Vt nunciarem tibi &c. Nunciantur mala & multa, et subita vt super vulnus vulnere irrogato impatienter ferat, et callidus hostis, non tam iactura rerum, quam ordine nunciorum pertentat. Repente ventus etc. Latenter dicitur contra eum elementa mouisse ille, cuius nutu mota sunt, licet diabolo semel à Deo accepta potestate ad vsum nequitiæ suæ elementa concutere, vt et damnatis in metallo ad vsum ignis et aqua seruit.

Nichol.de Lyra.Vir simplex rectus et c.Idest sine plica dolositatis,et falsitatis,accipitur.n. hic simplicitas, non pro vt opponitur intellectus prospicacitati,sed dolositati,secundum ꝙ dicitur,volo

Rom.16. c vos esse sapientes in bono,et simplices in malo.Et rectus et c.Idest per lineam Iustitiæ procedens in suis actibus.Timens Deum. etc. Bene se habens erga Deum.Et recedens à malo etc.Bene se habens erga se ipsum. Natique sunt ei septem filij, et tres filiæ etc. Habere plures filios, quam filias hoc facit ad cumulum prosperitatis suæ. Vnusquisque die suo etc. Idest vna die hebdomadæ sicut erāt septem filij et sic in hebdomada secunda recipiebatur circulus. Cumque in orbem transissent dies etc. Idest in fine hebdomadæ: vt

1.Pet.5. b dictum est. Circuiui terram etc. Idest homines terrenos decipindo, vnde dicitur aduersarius vester diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens, quem deuoret. Quod non sit ei similis et c.Non quod esset sanctior Moyse, vel Abraam, secundum quod in aliquo sancto est aliqua prerogatiua specialis, propter quod de quolibet dicitur? Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi. Sed extende Paululum manum tuam &c. Quia dęmon nihil potest nocere hominibus,nisi secundum diuinam permissionē. Ignis Dei cecidit de cœlo &c. Idest à Deo missus, descenderat tamen operationie diaboli. Repente ventus vehemens &c.Ex diuina vindicta videtur esse factum,quia ventus tantæ vehementiæ non consueuit surgere virtute naturæ.

Moraliter. Boues arabant, & asinæ pascebantur &c. Per boues arantes significantur homines pro bono communi laborantes;per

asinas

asinas pastas iuxta eos homines pigri, & tardi ad bonum & viuentes de laboribus eorum.

SEcundum potest intelligi Miraculum ibi dixit ergo Dominus ad sathan; Ecce in manu tua est, veruntamen animam illius ser- Iob. 2. a
ua. Egressus igitur sathan à facie Domini percussit Iob vlcere pessimo à planta pedis, vsque ad verticem eius, qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio; dixit autem illi vxor sua: Adhuc permanes in simplicitate tua benedic Deo, & morere. Qui ait ad illam, quasi vna de stultis mulieribus locuta es, si bona suscepimus de manu Domini; mala quare non sustineamus?

Glos. in terl. Percussit Iob vlcere pessimo &c. Ecce quantitas, his duabus pensanda sunt flagella, leuiantur autem si multa sunt, & non grauia, vel si grauia, & non multa. Benedic Deo & morere &c. Morte fines hanc afflictionem, vel morere idest viues per contraria. Si bona suscepimus &c. Dona Dei temporalia, vel æterna.

Glos. ord. Ecce in manu tua est. &c. Potestatem per suos carnem Christi sathan habuit, item finit nos tentari, vt videamur infirmi, sed tamen nos custodit. A planta pedis &c. Ab exordio mundi mẽbris eius dura intulit, & vsque ad caput ipsorum idest Christũ seuiendo peruenit. Qui testa saniem radebat &c. Testa in manu Christi caro ex luto nostræ substantiæ, quæ igne passionis decocta robustior surrexit quam saniem idest peccata deleuit. Dixit autem illi vxor sua &c. Reseruat diabolus vxorem, vt saltem per eam, vincat, qui per vxorem vicit primum hominem; Item diabolus duobus modis impugnat, tribulatione, vt frangat persuasione vt molliat. Quasi vna de stultis mulieribus &c. Quia sensus non sexus in vitio est, non ait vna de mulieribus, sed de stultis mulieribus, quod prauum sapit accidentis stultitiæ est, non conditionis naturæ. Si bona suscepimus &c. Magna consolatio est in malis bono- Eccl. 11.
rum reminisci, vnde in die bonorum ne sit immemor malorum, & c
in die malorum ne sit immemor bonorum.

Nichol. de Lyra. Dixerat autem illi vxor sua &c. Ad hoc à diabolo instigatá. Quasi vna de stultis &c. Vir sanctus quàm vis afflictiones proprias patienter sustinuerit, tamen iniuriam Dei absque reprehensione sustinere non potuit, quia iniuriæ propriæ sunt tolerandæ, diuinæ autem vindicandæ.

Moraliter. Dixit autem illi vxor sua &c. Per quam intelligitur sensualitas, quæ secundum Aug. per mulierem significatur, & malum suggerit rationi, sed debet per rationem ei responderi. Quasi vna de stultis mulieribus locuta es &c. Suggestionem malam de

impatientia repellendo, & subditur ratio. Si bona suscepimus &c. Gaudenter. Mala quare. &c. Scilicet patienter.

S. Th. 3. p. q. 43. art. 1. Circa secundum autem iam prĕmissum; Habentur plures obsessi à demone liberati diuina virtute, & hoc inter miracula collocatur, vt dictum supra fuit in primo lib.

Mat. 8. B Marc. 1. D Luc. 4. f Isa. 55. B Vnde dicitur. Vespere autē facto obtulerunt ei multos dĕmonia habentes, et eijciebat spiritus verbo, & omnes male habentes curauit; vt adimpleretur quod dictū est per Isaiā Prophetā dicētē. Ipse infirmitates nostras accepit, & ĕgrotationes nostras portauit &c.

Glos. ordin. Vespere autem facto &c. Occasus solis mors est Christi, per quam plures sanauit dæmoniacos, quàm ante viuens in carne ægrotos.

Nicol. de Lyra. Vespere autem facto &c. Hic ponuntur ad cōfirmationem legis Euangelicæ multa miracula in generali, & sic adimpleta est illa prophetia: Verè lāgueres nostros ipse tulit, & do-
Isa. 53. lores nostros ipse portauit. Ipse infirmitates nostras accepit &c. Scilicet quantum ad illos defectus, quos assumpsit in propria persona. Et ægrotationes nostras portauit &c. Scilicet quantum ad illos defectus humanæ naturæ, quos patienter supportauit, & potenter curauit, non tamen in propria persona assumpsit.

Cat. aur. Chris. Vespere autem &c. Intende autem quantam multitudinem curatā transcurrunt Euangelistæ, non vnum quemq; curatum enarrantes, sed vno verbo pelagus ineffabile miraculorū inducentes. Ipse infirmitates nostras &c. Rab. Non vt sibi haberet, sed vt nobis auferret.

In speciali autem plura leguntur, facta miracula circa ciectionem dæmoniorum.

Mat. 8. d Marc. 5. a Luc. 8. d Quorum primum habetur ibi. Et cum venisset Iesus transfretū in regione Gerazenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes sæui nimis; ita vt nemo transire posset per viam illam: & ecce clamauerunt dicentes. Quid nobis, & tibi Iesu fili Dei, venisti huc ante tempus torquere nos? Erat autē non longe ab illis grex multorum porcorum pascens. Dĕmones autem rogabāt eum dicentes. Si eijcis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum: & ait illis. Ite. At illi exeuntes habierunt in porcos. Et ecce magno impetu abijt totus grex per preces in mare, & mortui sunt in aquis. Pastores autem fugerunt, & venientes in ciuitatem, nunciauerunt hæc omnia, & de his qui dæmonia habuerunt. Et ecce tota Ciuitas exijt obuiam Iesu; & viso eo rogabant eum vt transiret à finibus eorum;

Glos.

Glos. interl. Et ecce clamauerunt dicentes &c. Non est voluntatis confesio, sed necessitatis extorsio, quia timent eius præsentiam. Quid nobis & tibi &c. Nobiscum nihil tibi est commune; ne quis ergo dicat, quod in principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Erat autem non longe ab illo grex &c. Significat irrationales, & immundos homines. Pascens &c. In monte superbiæ. Si eijcis nos hinc. Scilicet de electis. Mitte nos in gregem porcorum &c. Significat irrationales, & immundos homines. Et ait illis ite &c. Permittit vt sit occasio salutis hominum per interfectionem porcorum.

Glos.ordin. Et cum venisset &c. Hæc est gentilitas, quæ diabolum à se eiecit. Occurrerunt ei duo habentes &c. Marcus, & Lucas dicunt vnum, quia eorũ vnus fuit clarior, & famosior. Exeuntes de monumentis sæui nimis &c. Marcus dicit, quod nullus iam dæmoniacum poterat ligare. Lucas ruptis catenis in deserto agi, quia gentes nullo legis vinculo poterãt cohiberi, vnde deterius sæuiebat in se, vel in alijs in monumentis manebant, idest in operibus mortuis. Iesu fili Dauid &c. Hilar. Magis suspicati, quam nosse credendi sunt. Amb. Tantum eis innotuit quantum voluit: tantũ voluit quantum oportuit. Venisti huc ante tempus &c. Sciebant enim sibi futuram in die iudicij damnationem. Torquere nos &c. Præsentia Christi tortura est dæmoni, refectio est Angelis. Mitte nos &c. Nota multo minus eos sua potestate nocere hominibus, quia nec pecoribus possunt.

Nicol. de Lyra. Et cum venisset &c. Hic ponitur miraculum in creatura spirituali in dæmonum eiectione. Sęui nimis &c. Non quod dęmoniaci posint, nisi quantum permittit eis Deus. Pastores autem fugerunt &c. Hic ponitur miraculi diuulgatio.

Cat. aurea. Et ait illis, ite &c. Chris. Non hoc fecit Iesus quasi à dęmonibus persuasus, sed vt vbi nullus eum cognouerat, fulgere faciebat miracula, vt eos in suę diuinitatis cognitionem trahat. Hier. Non vt concederet dęmonibus, quod petebant dixit ite, sed vt per interfectionem porcorum hominibus salutis occasio prębeatur.

SEcundum autem habetur miraculum ibi. Tunc oblatus est ei 2
dęmonium habens cœcus, & mutus, & curauit eum, ita vt loque Matt.12.
retur, vt videret: & stupebant omnes turbę, & dicebant. Nunquid b
hic est filius Dauid &c. Luc. 11. b

Glos.interl. Et stupebant omnes turbę &c. Mirantur minus eru diti, & ob misericordiam, & beneficium filium Dauid pręd icant.

Glos.ordin. Et curauit eum &c. Tria signa simul facta sunt, quę

quotidie in expulſione hominum fiunt, vt expulſo dęmone lumen fidei videant,& Deum laudent.

Nicol. de Lyra. Tunc oblatus eſt &c. Ponitur euidens miraculũ de eiectione dęmonis cœci, et muti, non quod talia ſint in dęmone formaliter,ſed effectiuè,quia hominem quem obſederat, cęcum,et mutum effecerat, et ideo ipſo eiecto homo loquebatur. Et ſtupebant omnes etc. Admirantes diuinam virtutem in Chriſto.

Moraliter. Poſſeſſus à Dęmone per peccatum mortale cœcus eſt in his,quę pertinent ad ſuam ſalutem,et mutus ad pronunciandum laudem diuinam.

3 Mat. 15. c Marc. 7. c

TErtium colligitur miraculum ibi. Et egreſſus inde Ieſus, ſeceſsit in partes Tyri,et Sidonis: et ecce mulier Cananea à finibus illis egreſſa clamauit, dicens ei. Miſerere mei Domine fili Dauid,filia mea male à dęmonio vexatur: Qui nõ reſpondit ei verbum.Et accedentes Diſcipuli eius,rogabant eum dicentes. Dimitte eam,quia clamat poſt nos. Ipſe autem reſpondens ait. Non ſum miſſus niſi ad oues quę perierunt domus Iſrael. At illa venit,et adorauit eum dicens. Domine adiuua me. Qui reſpondens ait. Non eſt bonum ſumere panem filiorum, et mittere canibus. At illa dixit. Etiam Domine. Nam et catelli edunt de micis, quę cadunt de menſa dominorum ſuorum. Tunc reſpondens Ieſus ait illi. O mulier magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis. Et ſanata eſt filia eius ex illa hora.

Gloſ.Interl. Ecce mulier Cananea &c. Eccleſia de gentilibus. A finibus illis egreſſa &c. A priſtina conuerſatione. Clamauit dicens ei &c. Per fidem. Qui non reſpondit &c. Vt probaret patientiam, & longanimitatem. Et accedentes diſcipuli eius &c. Myſterij ignari, vel miſericordia moti, vel importunitate eius carere cupientes. Dimitte eam &c. Quam tenes non exaudiendo.Non ſum miſſus niſi ad oues &c. A corporali miſsione.Adorauit eũ &c. Vt Deum. Etiam Domine &c. Verum eſt non mereor panem,vel ſedere ad menſam, ſed contenta ſum reliquijs, quas iudei vilipendebant, nam iudeis primo loco fuit appoſita ſcriptura.

Gloſ. ord. Et egreſſus inde Ieſus &c. Relictis calumniatoribus intrat finis Tyri, & Sidonis,vt filiam liberaret,& per fidem gentilis fœminæ perfidiam ſcribarum argueret. Clamauit dicens ei. &c. Chriſti in carnationem confidens. Non ſum miſſus &c.Prius oportet me ſacramentum mei aduentus complere in Iudęis. Panem filiorum &c. Verbum ſalutis, quod prius debetur Iudæis iam promiſſum. Etiam Domine etc. Sub perſona Mulieris; mira fides Eccleſiæ,et patientia,et humilitas prędicatur. Fides quia credit poſ-

ſe ſa-

se sanari filiam: Patientia quia toties despecta in precibus persistat. Humilitas quia se non canibus, sed catellis comparat.

Nicol.de Lyra. Domine adiuua me etc. Infirmitatem enim filię suę reputabat suam, et per consequens sanationem. Non est bonum sumere panem et c. Doctrinam et miracula promissa Iudęis tanquam spiritualibus filijs propter cultum vnius Dei.

Cat.Area.Non sum missus.etc.Hier.Non autē hoc dicit quin ad gentes non missus sit, sed quod primum ad Israel missus est, vt illis non recipientibus euangelium iusta fieret ad gentes trāsmigratio. At illa venit et adorauit. etc. Hyer. Nota quod ista Cananea perseueranter primum filium Dauid, deinde Dominum vocat, et ad extremum Deum adorauit. O Mulier magna est fides tua et c. Chris. Ac si dicat. Fides tua maiora his audire potest, verum interim fiat sicut vis; Hęc autem Christi vox similis est illi voci, quę dixit fiat firmamentum et factum est. Et sanata est filia eius ex illa ora et c. Chris. Intende autem qualiter apostolis non impetrantibus imperat ipsa, tam magnum quid est instantia operationis; etenim pro nostris noxis à nobis vult magis rogari, quam ab alijs pro nobis. Aug.de quęst.Euang. Quod est puerum Centurionis, et filiam Cananeę mulieris non veniens ad domus eorum sanat, significat gentes, ad quas non venit, saluans fore per verbum suum.

QVartum Colligitur Miraculum in hoc genere ibi. Et cum venisset ad turbam, accessit ad eum homo genibns prouolutus, 4 Matt. 17. c
ante eum dicens: Domine miserere filio meo, quia lunaticus est, et male patitur, nam sępe cadit in ignem et crebro in aquam, et obtuli eum discipulis tuis, et non potuerunt curare eum. Respondens autem Iesus, ait: O generatio incredula, et peruersa, quousque ero vobiscum vsquequo patiar vos, afferte huc illum ad me, et increpauit illum Iesus, et exijt ab eo dæmoniū, et curatus est puer ex illa hora. Tunc accesserunt Discipuli ad Iesum secretò et dixerunt. Quare nos nō potuimus eijcere illum? Dixit illis Iesus. Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granū synapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, et transibit, et nihil impossibile erit vobis. Hoc autem genus non eijcitur, nisi per orationem, et ieiunium. Mar. 9. c Luc. 9. e

Glos.interl. Nam sępe etc. Deprecans exponit omnia incommoda ęgroti. Et increpauit illum etc. Per ipsum Iudęos arguit, et puerum non dæmonem, vt ostenderet traditum esse immundo spiritui propter peccatum suum, vel parētum. Et curatus est puer &c. Quia tibi nullus morbus pręualet vbi omnipotentis interuenit manus. Si habueritis fidem sicut granum synapis &c. Quod minimū

contra

contra montem; vnde alibi quęcumque in nomine meo petieritis. credite quod accipietis. Dicetis monti huic &c. Superbo diabolo. Transi hinc &c. Ab obsesso corpore in altũ maris, idest in profundum inferni. Et nihil imposibile &c. Nulla incommoditas insanabilis.

Glos.ordin. Qnia lunaticus est &c. Non quod Luna dæmonibus seruiat, sed dæmon Lunæ cursum obseruans, corripit homines, vt per creaturam infamet creatorem: lunaticus est, qui per horarum momēta mutatur in vitia, nec perstat in incepto, sed crescit, & decrescit, & nunc in ignem libidinis, vel iræ fertur, nunc in aquas cupiditatis, quæ non valent extinguere charitatem. Et obtuli eum Discipulis tuis &c. Latenter accusat Discipulos, cum sępe imposibilitas curandi, non ex vitio curantium, sed eorum qui curandi sunt proueniat. Respondens autem Iesus &c. Non tedio superatus, qui mitis est in verba prorumpit, sed sicut medicus ægroto cōtra sua pręcepta agenti. Et increpauit illum &c. Quia iratus est, non homini, sed vitio. Propter incredulitatem vestram &c. Ecce quod non exaudimur, non est imposibilitas præstantis, sed culpa deprecantis. Sicut granum synapis &c Fidem perfectam grano synapis comparat, quæ sit in facie hominis, & in pectore feruens. Hoc autem genus &c. Ieiunium est ab omnibus vitijs abstinere: oratio verò gerere se in omnibus in obsequium Dei.

Nicol.de Lyra. Nam sępe cadit in ignē &c. Quia diabolus volebat eum cōburere, vel submergere, si Deus permisisset. Sicut granũ synapis &c. Quod est modicũ in quantitate, & maximũ in virtute.

Moraliter. Lunaticus &c. Quia stultus, vt luna mutatur. Hoc autem genus &c. Per ieiunium enim curantur pestes corporis, & per orationem pestes mentis.

Cat.aurea. Et exijt ab eo &c. Rab. Quia nulla remanet ibi infirmitas vbi omnipotens salutem præstat. Propter incredulitatem vestrã &c. Hier. Quoties nō accipimus, non præstantis est imposibilitas, sed poscentium culpa. Chris. Sciendum tamen, quod sicut multoties accedentis fides accipere sufficit effectum miraculi, ita multoties facientium miracula sufficit virtus, etiã non credentibus illis, qui experierint miracula operari. Et nihil imposibile erit vobis &c. Rab. Sic enim fides mentem nostram capacem donis cœlestibus facit, vt quæcunque volumus facillime à fideli domino impetrare posimus. Aug.de Conc.Euang. Ne Discipuli in miraculis faciendis extollerentur in superbiam admoniti sunt potius per humilitatem fidei, quasi per synapis granum elationem terrenam, quæ montis nomine signant curare transferre.

Quintum

QVintum miraculum colligitur ibi. Et erat in Synagoga eorum homo in ſpiritu immundo,& clamauit dicens. Quid nobis, & tibi Ieſu Nazarene,veniſti perdere nos ? Scio quod ſis ſanctus Dei : & comminatus eſt ei Ieſus dicens . Obmuteſce, & exi de homine : & diſcerpens eum ſpiritus immundus , & exclamans voce magna, exijt ab eo : & mirati ſunt omnes ; ita vt conquererent inter ſe dicentes. Quid nam eſt hoc, quæ nam doctrina hæc noua, quia in poteſtate,ſpiritibus immundis imperat, & obediunt ei ? Et proceſsit rumor eius ſtatim in omnem regionem Galileæ. 5 Marc.1.c Luc.4. f

Gloſ.interl. Quid nobis &c. Cõmune. Veniſti perdere nos &c. Præſentia Ieſu tormenta ſunt dæmonũ . Et mirati ſunt omnes &c. Quod exiens ei non plus nocuiſſet. Quia in poteſtate &c. Propria alij inaccepta etiam ſpiritibus immundis,vt Deus imperat.

Gloſ.ord.quid nobis, & tibi Ieſum &c.

Beda. Non eſt hic voluntatis confeſsio , ſed neceſsitatis extorſio , ſicut ſeruus fugitiuus viſum Dominum timet , & de verberibus deprecatur, virum quoque à dæmonio liberatum,animũ ab immunda cogitatione purgatum intelligimus . Quid nam eſt hoc &c. Dominus ſigna fecit , & diſcipulis facere dedit , vt per hoc Euangelio certius credatur,dum quæ cœleſtia promittũt terrenis,cœleſtia,& diuina opera operentur in terris .

Nichol.de Lyra. Obmuteſce &c. Et hoc ne veris falſa miſceret, & ne videretur quærere teſtimonium ab ipſo .

Cat.Aurea.Ieſu Nazareno &c. Aug.Clarum eſt is verbis in eis, & ſcientia erat, & charitas non erat . Pœnam quippe ſuam formidabant ab illo , non in illo iuſtitiam diligebant: Tantum enim eis innotuit quantum voluit; tantum autem voluit quantũ oportuit .

SExtum Miraculum in hoc genere habetur ibi . Erat autem docens in ſynagoga eorum ſabbatis : Et ecce mulier quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis decem & octo : Et erat inclinata , nec omnino poterat ſurſum reſpicere ; Quam cum cum vidiſſet Ieſus , vocauit eam ad ſe , & ait illi , Mulier dimiſſa es ab infirmitate tua. Et impoſuit illi manus; & confeſtim erecta eſt,& glorificabat Deũ. Reſpondens autem Archiſinagogus indignans , quia ſabbato curaſſet Ieſus , dicebat turbæ : Sex dies ſunt , in quibus oportet operari ; in his ergo venite & curamini, & non in die ſabbathi Reſpondens autem ad illum Dominus , dixit Hyppocritæ vnuſquiſque veſtrum ſabbato non ſoluit bouem ſuum aut aſinam à præſepio,& ducit ad aquare . Hanc autem filiam Abraę , quam alligauit ſathanas, ecce decem & octo annis,non oportuit ſolui à vinculo iſto die ſabbati ? Et cum hæc diceret erubeſcebant omnes auerſarij eius,& 6 Luc. 13. c

omnis

omnis populus gaudebat in vniuerſis, quæ glorioſe fiebant ab eo.

Gloſ. interl. Habebat ſpiritum infirmitatis &c. Amorem terrenum. Et erat inclinata &c. Arectitudine mentis. Surſum reſpicere &c. Quia ſemper videt, quod ſemper cogitat. Quam cum vidiſſet &c. Prædeſtinando per gratiam. Vocauit ad ſe &c. Illuſtrando per doctrinam. Et impoſuit illi manus &c. Spiritualibus donis adiuuando. Et confeſtim erecta eſt &c. Ad glorificandum Deum vſque in finem perſeuerando in bonis operibus.

Gloſ. ord. Et ecce Mulier &c. Hęc mulier ſignificat humanam naturam, quæ erigi non poteſt niſi prius impleuerit legem, quę de-

Rom.8.f cem præceptis continetur. Vocauit ad ſe ait illi &c. Quos prædeſtinauit hos & vocaui, & quos vocauit, hos iuſtificauit, quos autem iuſtificauit, illos & magnificauit. Quia ſabbato curaſſet &c. Lex enim in ſabbato non hominem curare, ſed ſeruilia opera facere, ideſt peccatis grauari prohibuit. Non ſoluit Bouem ſuum, aut

Iſa.1.a aſinum &c. Myſtice. Bos qui cognouit poſſeſsiorem ſuum, & aſinus qui cognouit præſepe Domini ſui Iudaicum & gentilem populũ ſignificant; qui vterque peccati vinculis abſolutus, ſitim æſtuſque huiuſmodi per auſtum dominici fontis depoſuit, in his ergo duobus animalibus vocationem duorum populorum aduerſantibus Iudæis prænunciat Dominus. Hanc autem filiam Abraæ &c. Quæque fidelis anima; & Eccleſia de vtroque populo ad fidem collecta. Et omnis populus gaudebat de vniuerſis &c. Simplices, humiles verba veritatis & miracula amantes.

Nic. de Lyra. Erat autem &c. In quo apparet infirmitatis grauitas, & deformitas vt miraculum maius oſtendatur. Et confeſtim erecta eſt &c. Licet enim per naturam poſſent aliquæ infirmitates curari; non tamen in inſtanti. Sex dięs ſunt in quibus oportet operari &c. Hoc intelligitur de operibus ſeruilibus, ſed operatio miraculorum, quę ordinantur ad gloriam Dei, & videntium deuotionem excitandam poterat fieri in die ſabbati. Et cum hæc diceret erubeſcebant &c. Chriſtus enim aliquando confundebat aduerſarios ſuos exemplis, aliqando miraculis, aliquando ſcripturis, aliquando rationibus, aliquando teſtimonijs.

Moraliter. Et ecce mulier quæ habebat &c. Per quam ſignificatur peccatrix perſona, quę longo tempore diabolo procurante ſic ad inordinatũ amorem terreſtrium fuit incuruata, quod propter longam conſuetudinem aſpicere non poteſt ſuperna.

Cat: aurea. Habebat ſpiritum infirmitatis &c. Chriſ. Dicit autem ſpiritum infirmitatis, quia mulier hæc patiebatur atrocitate diaboli derelicta à Deo propter propria crimina vel propter trãſgreſsionem Adæ, ob quam humana corpora infirmitatem & mor-

tem incurrerunt. Dat autem super hoc Deus diabolo potestatem, vt homines mole aduersitatis depressi velint ad meliora transire. Et omnis populus gaudebat &c. Ciril. Nam claritas operum quęstionem soluebat apud eos, qui non quęrebant mentibus peruersis.

Septimum miraculum habetur ibi. Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puellam quandam habentem spiritum py- 7
thonem obuiare nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis diuinando. Hæc subsecuta Paulum & nos, clamabat dicens. Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annunciant vobis viam salutis. Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem paulus, & conuersus, spiritui dixit. Præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea, & exijt eadem hora. Act. 16. d

Glos. interl. Isti homines serui Dei &c. Quamuis sint humiles: tamen excelsus est eorum Deus. Hoc autem faciebat multis diebus &c. Idest clamabat, aut per bonum naturæ, aut Deo cogente per spiritum pythonicum. Dolens autem Paulus &c. Illam à diabolo possideri. Præcipio tibi &c. Potestate, non adiuro oratione In nomine Iesu Christi &c. Non meo.

Glos. ord. Habentem spiritum pythonem &c. Rab. Python nomen maligni spiritus, per quem phytonissę hoc agunt, vt mortuus ad locutionem, diuinationem, incantationem suscitent. Isti homines &c. Beda. Non est voluntatis ista confessio, sed timore Spiritus sancti cogente vera spiritus mendax loquitur, non ausus luce præsente suas tenebras celare.

Postquam vidimus supra de speciebus miraculorum factorum circa spirituales substantias, sequitur modo videre sequuto ordine iam præposito de his, quæ facta sunt circa cœlestia corpora.

Quorum primum habetur ibi. Dixit autem Dominus ad Moysem. Extende manum tuam in cœlum, & sint tenebræ super terram Ægypti tam densæ, vt palpari queant. Extenditq; Moyses manum in cœlū, & factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti: tribus diebus nemo vidit fratrē suum, nec mouit se de loco in quo erat. Vbicunque autem habitabant filij Israel lux erat. 1 Exo. 10. f

Glos. interl. Sint tenebræ &c. Arguentes cæcitatem mentis, vel ostendentes diuinæ dispensationis, & prouidentiæ obscurissimas esse rationes. Tam densæ vt palpari queant &c. Hyperbolice. Tenebræ enim palpari non possunt, sed magnitudinem tenebrarum significat. Nec mouit se de loco in quo erat &c. Non quod penitus non moueretur, sed quia de loco in locum migrare non poterant.

Q Glos.

Glos.ord. Extende manum tuam &c. Origen. Posuit Deus tenebras latibulum suum, quas illis audacter, & temere perscrutantes, & alia ex alijs asserentes in crassas, & palpabiles errorum tenebras deuoluti sunt.

Nicol. de Lyra. Sint tenebræ &c. Dicunt aliqui, quod aer fuit ita ingrossatus vaporibus humidis, & grossis, quod cum tactu poterant percipi, quia tenebra ipsa cum sit priuatio lucis, non est tactu perceptibilis.

Moraliter. Et sint tenebrę &c. Per quas significantur illę tene-
Mat. 8.b bræ, de quibus dicitur eijcientur in tenebras exteriores, scilicet illi qui vitam Ægyptiorum sequuntur errores.

2 SEcundum miraculũ habetur ibi. Postquã cuncta perfecta sunt, operuit nubes tabernaculũ testimonij, & gloria Domini imple-
Exo. 40. d uit illud. Nec poterat Moyses ingredi tectũ fœderis, nube operiẽte omnia, & maiestate Domini coruscante, quia contra nubes operuerat si quãdo nubes tabernaculũ deferebat, proficiscebantur filij Israel per turmas suas, si pendebat desuper manebãt in eodẽ loco. Nubes quippe Domini incũbebat per diem tabernaculo, & ignis in nocte, videntibus cũctis populis Israel per cunctas mansiones suas.

Glos. interl. Ingredi tectum &c. Secreta scripturarum. Nube operiente omnia &c. Profunditate scripturæ.

Glos. ord. Nec poterat Moyses ingredi &c. Idest Iudaicus popolus nunquam sacramenta scripturæ voluit penetrare.

Nic. de Lyra. Nubes tabernaculum operuit &c. In signum diuinæ acceptationis, & præsentiæ ipsius. Et gloria Domini impleuit illud &c. Idest nubes gloriosa, quæ erat signum præsentiæ eius: Vt dicitur quod non poterant sacerdotes stare, & ministrare propter nebulam, non quod obscuraret eorum aspectum; sed quia erat diui-
3. Reg. 8.a næ præsentiæ signum. Nubes quippe incumbebat per diem &c. Ad refrigerium æstus solis. Et ignis in nocte &c. Ad præstandum beneficium lucis.

Iof. 10.c TErtium habetur miraculum circa cœlestia corpora, ibi Dominus misit super eos lapides magnos de cœlo vsque ad Azecha, & mortui sunt plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filij Israel. Tunc locutus est Iosue Domino in die qua tradidit Amorreorum in conspectu filiorum Israel, dixitq; coram eis. Sol contra Gabaon ne moueatur, & Luna cõtra vallem Aialon. Steteruntque Sol, & Luna donec vlcisceretur se gens de inimicis suis. Nonne scriptum est hoc in libro iustorum? Stetit itaque sol in medio cœli, & non festinauit occumbere spacio vnius diei. Non

fuit

fuit antea, & postea, tam longa dies obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israel.

Glos. interl. Steterunt sol &c. Iustitiæ, qui nescit occasum. Et luna &c. Ecclesiæ claritas. De inimicis suis &c. Visibilibus, & inuisibilibus. Stetit itaque sol &c. Christus lumen veritatis infundens. In medio cœli &c. Idest Ecclesiæ. Non festinauit occumbere &c. Quia semper oritur fidelibus. Pugnante pro Israel &c. Sic dum contra dæmones pugnamus assistit nobis sol iustitiæ, qui ait ego vobiscum sum vsque ad consumationem seculi.

Glos. ord. Misit super eos lapides magnos &c. Scilicet grandinis insolitæ magnitudinis, ita quod possent armatos interficere, ideo subditur, & mortui sunt multo plures lapidibus, quod factum est ne filij Israel sibi victoriam adscriberent. Tunc locutus est Iosue Domino &c. Gratias agendo. Dixitque coram eis &c. Videns enim primum signum à Deo datũ de cœlo aureo, ex hoc confidens petiuit secundum de cœlo sydereo dicens. Sol contra Gabaon ne mouearis &c. Erant enim in tali dispositione, quod vterq; apparebat super terram, quod frequenter contingit in plenilunio, quia tunc tantum distant per diametrum cœli. Hoc autem petiuit Iosue, vt haberet tempus aduersarios persequendi, ideo subditur. Steteruntque sol, & luna donec &c.

Nic. de Lyra. Obediente Domino. &c. Idest condescendente, quia obedientia proprie loquendo est inferioris ad superiorem, condescendentia vero è contra superioris ad inferiorem.

Moraliter. Steterunt sol & luna &c. Per assistentiam solis intelligitur adiutorium Christi; Per assistentiam verò lunę intelligitur adiutorium Virginis Mariæ.

August. De Mirabil. sacræ script. lib. 2. cap. 4. Steterunt sol, & luna. &c. Quod factum est: Nam sol duos dies in vno conclusit & luna diei spatio non occurrit, in qua iussione non humani imperij authoritate luminaria requescunt, sed Domini imperantis, vt staret iussui obediunt. Nihil enim propter iubentis hominis verbum Dei creaturæ faciunt, sed quod Dominus serui sui ordinationi obediens præcipit hoc faciunt: sic enim perhibetur, sol stetit contra Gabaon, & luna ad vallem Hailon, obediente Domino voci hominis; ex quo intelligitur Deum seruorum suorum precibus obedire, & ad eorum necessitates creaturas suas opportune gubernare. Hæc luminarium mora nihil nouum in natura commisit, & si ministerio aliquid nouum aliquando natum ostendit, sed & illa varietas nihil in anni cursu, & reliquorum dierum commouit dum pariter sol & luna vnumquodque in suo ordine requieuit, si enim vnum luminare curreret, dum alterum interim requiesceret,

dierum & menſium, & annorum aſſuetum curſum conturbaret. Dum autem vtrumque moram hanc habuit, quaſi poſt conſuetum diem in occaſus ſui limitem perrexit: Non enim quod ad belli illuminationem luna tũc in præſentia ſolis proficeret, ſtare imperatur, ſed ne quid in congrue luminarium meatu per vnius quietem, & alterius curſum deſtrueretur.

4 3. Reg. 18.g QVartum habetur miraculum ibi. Ecce nubecula parua quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari qui ait. Aſcende & dic Acab, iunge currum tuum, & deſcende, ne occupet te pluuia; Cumque ſe verteret huc, atque illuc, ecce cœli contenebrati ſunt & nubes, ventus, & facta eſt pluuia grandis &c.

Moraliter. Per hoc quod Helias ſuis præcibus pluuiam imperat, ſignificatur, quod per orationes deuoti paſtoris vel prædicatoris impetratur gratia ſaluatoris.

5 1. Reg. 7.c QVintum habetur miraculum ibi. Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa ſuper Philiſtijm, exterruit eos, & cœci ſunt à filijs Iſrael. &c.

. Gloſ. ordin. Intonuit autem &c. Raba. Cum per prædicatores Dominus intonat & ſpirituales hoſtes in fugam conuertuntur coram Iſrael, ideſt Populo Dei, & perſequuntur eos vſque in domum agnitionis, vſque quo ſcilicet omnis error expurgetur, & Deus verè cognoſcatur.

Nic. de Lyra: intonuit autem Dominus &c. Nam per diuinum auxilium dæmones territi fugiunt à tentationibus fidelium populorum.

Aug. de Mirab. Sacræ ſcrip. lib. 2. c. 8.

Infinita Philiſtinorum agmina, quaſi arenæ maris innumerabilia per plana ſe terræ Iſrael effuderunt, quę Dominus ſamuele orante à facie filiorum Iſrael in genti cœli fragore per terrebat, quatenus per hoc, & Iſrael, non propria virtute viciſſe intelligerent, & hoſtes Dei protectionem, & auxilium erga hunc eſſe populum ſcirent.

6 4. Reg. 7.d Iſa. 38. A SExtum miraculum habetur ibi. Dixerant autem Ezechias ad Iſaiam, quod erit ſignum, quia Dominus me ſanabit, & quia aſcenſurus ſum die tertia templum Domini, cui ait Iſaias, Hoc erit ſignum à Domino, quod facturus ſit Dominus ſermonem quem locutus eſt; vis vt aſcendat vmbra decem lineis, aut vt reuetatur totidem gridibus? Et ait Ezechias facile eſt vmbram creſcere decem lineis, nec hoc vt fiat volo, ſed vt reuertatur retrorſum decē

gra-

gradibus, in vocauit itaque Isaias propheta Dominum, & reduxit vmbram per lineas, quibus iam descenderat in horologio Acaz, retrorsum decem gradibus &c.

Glos. ordin. Vis vt ascendat vmbra? &c. Res maluit quod maioris poterat esse miraculi, si sol contrarium suo mori cursum ageret, quam; si consueto processu incedens tamen & si super terras elatus ad orientem, quasi secundi diei mane nulla interueniente nocte facturus ad volaret.

Nic. de Lyra. Quod erit signum &c. Hoc non petiuit ex incredulitate, vel diffidentia, sed magis ex confidentia diuina, & vt magis appareret eius gloria multiplicando mirabilia. Vis vt ascendat vmbra. &c. Idest procedat vltra, ex quo patet quod istud horologium erat ad solem ad cognoscendum horas diei per eius vmbram.

Moraliter; Sed ut reuertatur retrorsum decē gradibus &c. Istud mirabile signum præfiguratio fuit incarnationis diuinę, quod est factum mirabilissimum, per decem enim lineas, decem ordines significantur electorum; per hoc autem quod sol retro cessit, significatur descensus filij dei, qui est sol iustitię.

Aug. de Mirab. sacrę scr. lib. 2. cap. 28.

In hac reuersione conuenit solem non mutasse, sed suo conditori in omnibus naturaliter præcepto obedire, sicuti enim lucere, & calere naturæ suæ insitum sol possidet; ita quicquid præciperet dominicæ iussioni, seu currere, seu stare, se recurrere naturaliter habet: Conuenienter autem tale signum Regi in mortis expectatione posito aptissimum euenit, quod Dominus per solem fieri taliter, per solem congra dispensatione disposuit, quoniam sicut sol in procincto occasus sui positus in diei initium reducitur, sic Rex in mortis expectatione constitutus, quasi ad incipientis vitæ gaudia reuocatur.

SEptimum habetur miraculum ibi. Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris: iamq; aduenerat dies tertius, & mane inclaruerat; & ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perstrepebat, & timuit populus qui erat in castris. Cumq; eduxisset eos Moyses in occursum Dei de loco castrorum, steterintq; ad radices montis. Totus autem mons Synai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in ignē, & ascenderet fumus ex eo, quasi de fornace, eratq; mons omnis terribilis, & sonitus buccinæ paulatim crescebat in maius, & prolixius tenebatur. 7 Exo. 19. c

Glos. interl. Estote parati in diem tertium &c. Fidem sanctæ Trini-

Trinitatis. Ne appropinquetis vxoribus vestris &c. Cuilibet carnali voluptati, vel mundanæ solicitudini. Iamq; aduenerat dies tertius &c. Quo fideles sanctæ Trinitatis illucescerent. Et mane inclaruerat &c. Principium lucis. Et ecce cœperunt audiri tonitrua &c. Sonitus prædicationis. Ac mirare fulgura &c. Miracula. Et timuit populus &c. Initium sapientiæ est timor Domini: Qui erat in castris &c. Militiæ Dei. Cumq; andiuisset &c. Promouendo ad meliora, occurruit Deus occurrenti sibi, per liberum enim arbitrium ad Deum mouemur, sed non promouemur, nisi misericordia eius perueniat, & sequatur. Totus autem mons Synai fumabat &c. Quia lex obscura in fidelibus. Eo quod descendisset Dominus super eum in ignem &c. Tanquam lumen iustis, vel quod ignea lex.

Glos.ord. Totus autem mons &c. Greg. Legem daturam Dominus in igne, fumoque descendit, quia humiles per claritatem suæ ostensionis illuminat, & superbos per caliginem erroris obscurat, prius igitur mens ab appetitu gloriæ temporalis, & ab omni concupiscentia carnali tergenda est, & tunc ad aciem contemplationis erigenda.

Nicol. de Lyra. Et ne appropinquetis vxoribus vestris &c. Licet enim actus matrimonialis sit licitus, tamen habet annexam quandam turpitudinem, quam oportet excusari propter bona matrimonij. Et timuit populus &c. Lex vetus fuit lex timoris, noua autem lex amoris Aug. Breuis differentia legis, & Euangelij timoris, & amoris. Totus autem mons Synai &c. Facta fuit huiusmodi apparitio, in nube, & igne quæ non habet figuram stabilem, ne populus ad idolatriã pronus haberet occasionem faciendi sibi imagines. Nec est intelligendum, quòd Dominus descenderit ibi secundum naturã suam, quæ vbique est de necessitate, & per consequens non potest ascendere, nec descendere, se in effectu ipsum representante.

Dictum est de miraculis factis circa cœlestia corpora: sequitur modo videre de his, quę facta sunt circa creaturas rationales, quæ poni possunt in multiplici differentia.

Nam alia miracula facta sunt circa conseruationem vitæ: alia circa restaurationem sanitatis: alia circa resurrectionem mortuorum: alia circa damnum corpori, rebusq; illatum: alia circa dona concessa: & primo de conseruatione vitæ dicemus.

1 Circa primum habetur primũ miraculũ ibi. Porrò Enoch vixit

Gen.5.c sexaginta quinque annis, & genuit Mathusalem: & ambulauit

Enoch

Enoch cum Deo,& vixit Enoch postquam genuit Mathusalem tercetis annis,& genuit filios,& filias. Et facti sunt omnes dies Enoch trecenti sexaginta quinque anni,ambulauitq; cum Deo,& non apparuit,quia tulit eum Deus.

Glos. ord. Ambulauitq; cum Deo &c. Isid. Enoch septimus ab Adam placens Deo,qui & translatus est,septimam requiem significat, ad quam transfertur, qui tanquam sexta die, idest sexta ætate seculi per Christi aduentum formatur. Alcuin. Enoch tanto tempore seruatur,in quo ostenditur quod homo semper viueret, si non peccasset.

Nicol.de Lyra. Et non apparuit &c. Catholici Doctores dicũt, quod propter excellentiam suæ virtutis assumptus fuit à Deo, & positus in paradiso terrestri, vbi vt Helias postea raptus est, vt dicetur in seq. mirac. & inde exituri sunt ad prædicandum contra perfidiam Antichristi.

Aug.lib.1.c.3.de mirabilibus sacræ scrip.

Primus Abel totius humanæ iustitiæ princeps, & post secundus hunc Enoch insignissimus ante diluuium eligitur, quibus summa iustitię in initio ipso mundi,& fine committitur. Vnus enim statim iniustitiæ suæ initio, in ipso etiam mundi principio,sanguinis sui trepudio coronatus martyrio arripitur. Alter adhuc sine morte in testimonium nouissimi corporis reseruatur: sed licet longo seruatus tempore adhuc viuat, mortis tamen debitum, quod omnes in Adam sumpsimus vitare non poterit; quod autem eius vita tam longo tempore distendatur, in hoc non noua natura vni hominis gignitur, sed pristina, & generalis omnium hominum gubernatur.

SEcundum habetur miraculum ibi. Illi autem ambo stabant super Iordanem. Tulitq; Helias pallium suum,& inuoluit illud,& 2
percussit aquas, quę diuisæ sunt in vtramq; partem, & transierunt 4 Reg.2
ambo per siccum. Cumq; transijssent,Helias dixit ad Eliseum: postula quod vis vt faciam tibi antequam recedant à te. Dixit Eliseus. Obsecro vt fiat in me duplex spiritus tuus. Qui respondit. Rem difficilem postulasti; attamen si videris me quando tollar à te,erit tibi quod petisti; si autem non videris, non erit. Cumque pergerent, & incedentes sermocinarentur; ecce currus igneus, & equi ignei diuiserunt vtrumque, & ascendit Helias per turbinem in cœlum. Eliseus autem videbat,& clamabat: Pater mi,pater mi: Currus Israel,& auriga eius, & non vidit eum amplius: apprehenditq; vestimenta sua, & scidit illas in duas partes; & leuauit palliũ Heliæ quod ceciderat ei. Reuersusq; stetit super ripam Iordanis, & pallio Heliç quod ceciderat ei,percussit aquas,& non sunt diui-

sę:

se: Et dixit vbi est Deus Heliæ etiam nunc? Percussitq; aquas, & diuisæ sunt huc atque illuc: Et transijt Heliseus.

Glos. interl. Cumque transisset Helias &c. Christum caput nostrum ad Ecclesiam caput suum. Postula quod vis &c. Petite & accipietis.

Glos. ordin. Subleuatio Heliç ascensionem Domini significat Helias in curru ascendit, quia homo purus adiutorio egebat alieno. Redemptor noster non curru; quia qui omnia fecerat; super omnia sua virtute ferebatur, curpus igneus quo raptus dicitur angelicæ sunt virtutes, quarum operatione subleuatus est, & positus vbi in magna quiete quousque in fine mundi mortis debitum soluat, in designatione autem ascensionis suç Dominus prçnuncios, & testes habuit; vnum ante legem, alterum sub lege, vt quandocumque veniret ipse, qui veraciter penetraret cœlos, qui credentibus quoque carnis munditiam largiretur; & sub eo per incremẽtia temporum virtus castitatis excresceret. Translatus namque est Enoc, per coitum generãs, & genitus: Raptus Helias, tantũ per coitũ genitus. Assumptus est Dominus per coitum, nec genitus nec generãs. Fiat in me duplex spiritus &c. Helias spiritu prophetali & operatione miraculorum excellenter pollebat: geminam ergo gratiam quam Heliseus in magistri vigore cognoscebat, sibi tribui rogauit, vnde patet quod non esse discipulus supra magistrum po-
Matt. 10. c stulauit. Rab. Fiducia petendi accepta à Domino Ecclesia postulat duplicem spiritum Christi, & quia remissione peccatorum indiget, quç non eguit Christus: & munera virtutum, quas explenitudine sua per Spiritum sanctum tribuit. Si videris me quando tollar. &c. Idest si oculos fidei aperueris, & cum passione & resurrectione etiam ascensionem meam fideliter credideris petitionis tuç effectum consequaris. Et leuauit Pallium Heliæ &c. Incarnatio est, per quam leti fluuium dirupit, nobisque transitum ad vitã prçparauit; hoc Heliseus post transitum Heliç retinuit, qui fidem incarnationis Ecclesia post ascensionem Christi reserauit.

Nic. de Lyra. Quç diuisç sunt &c. Non per aliquã virtutem quæ esset in pallio sed virtute diuina, quç voluit ostendere meritũ Heliç, sicut ad declarandum merita sanctorũ aliquando dantur à Deo sanitates ad tactũ vestimentorũ suorũ. Ecce currus igneus &c. Ista fuerunt formata virtute diuina, vel angelica ad ostendendũ ꝙ Helias nõ ascendebat in cœlũ virtute propria, sicut Christus. Et ascendit Helias per currum in cœlum &c. Non sydereum, vel impireum sed aereum tantum, vt Helias portaretur per aerem ad locum distantem; locus autem fuit Paradisus terrestris, vbi Henoc fuerat translatus, & inde circa finem mundi ambo processuri sunt, ad prçdi-

prędicandum contra perfidiam Antichristi. Currus Israel, & Auriga eius.&c. Currus enim supportat, & auriga dirigit. Et leuauit Pallium Helię quod ceciderat ei &c. Non casu cecidit, sed ex diuina ordinatione, vt Eliseus ipso operiretur in signum quod spiritus Helię requiescebat super eum, & quod erat substitutus loco eius, Percussit aquas, & non sunt diuisę &c. Quod à Deo factum est, vt non minus eleuaretur de essecutione spiritus Helię. Vbi est Deus Heliæ &c. Nunc ad hanc exclamationem diuisæ sunt aquæ vt ostenderetur, quod non proprijs meritis assecutus fuerat gratiam prophetandi, & miracula faciendi, sed ex diuina liberalitate, & meritis Heliæ.

Tertiũ habetur miraculũ ibi. Hæc dicit Dominus Deus Dauid 3
Patris tui. Audiui orationem tuam, & vidi lacrymam tuam, 4. Reg.
& ecce sanaui. Die tertio ascendit in templum Domini, & addã 20 A.
diebus tuis quindecim annos: sed & de manu regis assiriorum liberabo te, & ciuitatem hanc, & protegam vrbem istam propter me & propter Dauid seruum meum; Dixitque Isaias afferte massam ficorum, quam cum attulissent, & posuissent super vlcus eius curatus est.

Glos.interl. Audiui orationem tuam &c. Quoniam ambulauerat coram Domino, in veritate, & corde perfecto. Quindecim annos &c. Quos non postulauerat. De manu Regis assiriorum liberabo &c. Cum vita regni securitas promittitur.

Glos. ord. Afferte massam ficorum &c. Dei ergo potentia monstratur, dum per res noxias sanitas restituitur,

Nic.de Lyra. Et addam diebus suis quindecim annos &c. Istud denunciauit Propheta secundum ordinem causæ primæ, videlicet pro vt erat ordinatum in diuina mente,

Moraliter. Et addam diebus tuis &c. Per quam additionem significatur cumulatio meritorum.

Quartum habetur miraculum ibi. Et factum est verbum Domi 4
ni ad eum dicens. Recede hinc, & vade contra Orientem, & 3. Reg.
abscondere in torrente Carith, qui est contra Iordanem, & ibi de 17.a
torrente bibes, coruisq; præcepi vt pascant te ibi. Abijt ergo, & fecit iuxta verbũ Domini. Cũq; abijsset sedit in torrente Carith, qui est contra Iordanem, corui quoq; deferebant ei panẽ, & carnes mane, similiter panes & carnes vesperi, & bibebat de torrente &c.

Glos.ord. Abscondere in torrente &c. Absconditus est Helias noster Iesus in torrente Carith, qui interpretatur caluus, cum in Caluarie loco, vbi abscõdita est fortitudo eius de torrente nostrę mor-

 talita-

talitatis guſtauit. Coruiq; deferebant ei panem. Corui paſcebāt Heliam deferentes ei panes,& carnes cum gentilitas de nigredine peccatorum veniens Chriſto ſalutem noſtram exurienti panem fidei,& carnes ideſt ſpem reſurrectionis per gratiam illius offert mane,ſcilicet initio Euangelicæ prædicationis. Item veſperi, cū eandem fidem,vſque ad finem mundi ſeruans incontaminatam cū carnis reſurrectione venienti iudici præſentat. Panis, & carnes ex quibus Helias coruis miniſtrantibus paſtus eſt, ſunt opera pietatis,& obſequium, quod Domino à fidelibus ex Iudæis exhibitū eſt.

Nicol. de Lyra. Corui quoque deferebant &c. Ex quo oſtenditur mirabilis diuina prouidentia, & quod non eſt diffidendum de ea, quia magis prouidet Heliæ per aues, quam per homines; nam poſtea pauit eum per viduā pane, & aqua,vt dicetur in ſeq.mirac.

5 3. Reg. 17.c QVintum habetur miraculum ibi. Ad quam Helias ait: Noli timere,ſed vade,& fac ſicut dixiſti: verumtamen mihi primum fac de ipſa farinula ſubcinericium panem paruulum, & affer ad me; tibi autem & filio tuo facies poſtea. Hæc autē dicit Dominus Deus Iſrael: Hydria farinæ nō deficiet,nec lechitus olei minuetur vſque ad diem in qua Dominus daturus eſt pluuiam ſuper faciem terræ. Quæ abijt, & fecit iuxta verbum Helię, & comedit ipſe, & illa, & domus eius, & ex illa die hydria farinæ non defecit; & lechitus olei non eſt imminutus iuxta verbum Domini,quod locutus fuerat in manu Heliç.

Gloſ.ord.Vidua quam Dominus nō frumenti,ſed verbi pane paſcit,ea eſt quæ mortuo viro,cui vult nubat, ideſt excuſſo ſeruitutis iugo ſubit Chriſti iugum ſuaue,& onus leue.

Nicol. de Lyra. Verumtamen mihi primum fac &c. Erat enim fatigatus itinere,& ieiunio, & ideo accelerari debet refectio eius.

Aug. in lib.2.cap.16.de mirab.ſac.ſcrip.

Hoc accidit,nō quod inualida manus Domini eſſet, vt etiā poſtquam torrentis vnda defeciſſet aquam,illi cum panibus aliunde,& carne donaret,ſed vt per illum bona,& fidelis vidua paſceretur,cęterum hoc ſigno non noua à Domino, ſed condita natura immodicā,non modica ſubſtantia gubernatur.

Aug.lib.2.cap.15.de mirab.ſac.ſcrip.

A coruis quoque miniſtrari Prophetis pręcipitur, vt dictum eſt in pręc. mirac. vt ſcilicet culpam quam in diluuio commiſerat in terra purgare auis videretur illa, dum vt fidelis miniſter efficitur Heliç,qui negligens,& fallax erat ante Noe.Pręterea quoq; in hoc miniſterio illud etiam oſtenditur, qualiter homo ſi non peccaſſet, etiam infructuoſorum animalium,nunc miniſterijs vteretur; vnde

verò eas carnes, & panes ille coruus detulerit, ipse viderit, qui tale officium committebat.

SExtum habetur ibi miraculum circa conseruationem vitę. Fecit ergo ibi cum Domino Moyses quadraginta dies, & quadraginginta noctes panem non comedit, & aquam non bibit, & scripsit in tabulis verba fœderis decem &c. 6 Exo. 34. d

Glos. interl. Panem non comedit &c. Corporalem scilicet; nomine autem panis omnem cibum significat à parte totum, sicut & nomine aquę omnem potum.

Glos. ord. Fuit igitur cū Domino Moyses quadraginta dies &c. Isid. Moyses quadraginta diebus ieiunauit, & Helias, & ipse Dominus: Pręcipitur enim nobis ex lege, ex Prophetis, & Euangelio, quod testimonium ex his habet; vnde in monte inter vtramq; personam medius Saluator effulsit, vt ab omnibus mundi illecebrius auiditatem nostram tanquam ieiunio temperantię refrenemus, quamdiu perfectio decalogi, per quatuor eiusdem mundi partes, toto orbe predicatur, vt decem quater ducta quadragenarium numerum signent.

Aug. de mirab. sac. scrip. lib. 1. cap. 26.

Per hoc tempus contra consuetudinem humani moris, nullo fatigatus inediæ laboris, nullam terrenæ conuersationis escam manducauit, quoniam diuini sermonis consortio fultus, tam longam inediam sine esurie sustinere potuit.

Idem August. in lib. 2. cap. 29. de mirab. sacræ scripturæ.

Dum loquitur de ieiunio Heliæ, de quo habetur 3. Reg. 19. B. de quo locuti sumus supra dicit de isto verò pane, et aqua Angelico officio ministratis, quorum fortitudo pastum famis labore Prophetam quadraginta diebus peruixit, dici potest quòd Angelico opere de quacunq; terrena materia factus in terra degentis animam hominis pastum validiorem hominem pane efficit, sed hic panis, et si propriam occultādo naturam solicitum lectorem facit, de quadraginta tamen dierum ieiunio, quomodo illud tempus ieiunus Propheta pertulerit, securum reddit, dum per vnius virtutem nullo egens cibo tanto tempore vixit.

SEptimum habetur miraculum ibi. Ecce ego pluam vobis panes de cœlo & infra. 7 Exo. 16 a

Et ait Moyses dabit Dominus vobis vespere carnes edere, & mane panes in saturitate & infra.

Et ecce gloria Domini apparuit in nube, locutus est autem Dominus ad Moysem dicens. Audiui murmurationem filiorū Israel,

loquere ad eos, veſpere comedetis carnes, & mane ſaturabimini panibus, ſcietisquè quod ego ſum Dominus Deus veſter.

Factum eſt ergo veſpere, & aſcendens coturnix operuit caſtra, mane quoque ros iacuit per circuitum caſtrorum. Cumque cooperuiſſet ſuperficiem terræ apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum in ſimilitudine pruinæ ſuper terram. Quod cum vidiſſent filij Iſrael, dixerunt adinuicem, Manhu, quod ſignificat (quid eſt hoc?) Ignorabant .n. quid eſſet; quibus Moyſes ait. Iſte eſt panis quem dedit vobis Dominus ad veſcendū. Hic eſt ſermo quem præcepit vobis Dominus. Colligatq; vnuſquiſque ex eo quantū ſufficit ad veſcendum gomor per ſingula capita, iuxta numerū animarum veſtrarum, quę habitant in tabernaculo ſic tolletis. Feceruntque ita filij Iſrael, & collegerunt alius plus, alius minus, & menſi ſunt ad menſurā gomor. Nec qui plus collegerat habuit amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus, ſed ſinguli iuxta id quod edere poterant, congregarunt. Dixitq; Moyſes ad eos. Nullus relinquat ex eo in mane. Qui non audiuerunt eū, ſed dimiſerunt quidam ex eis vſque mane, & ſcatere cœpit vermibus, atque computruit, & iratus eſt contra eos Moyſes. Colligebant autem mane ſinguli quantum ſufficere poterat ad veſcendum: cumque incaluiſſet Sol liquefiebat. In die autē ſexta collegerunt cibos duplices, ideſt duo gomor per ſingulos homines. Venerunt autem omnes Principes multitudinis, & narrauerunt Moyſi; qui ait eis: hoc eſt quod locutus eſt Dominus. Requies ſabbati ſanctificata eſt Domino: cras quodcunq; operandum eſt facite, & quę coquenda ſunt coquite: quicquid autem reliquū fuerit, reponite vſq; mane: Feceruntq; ita vt pręceperat Moyſes, & non computruit, neque vermis inuentus eſt in eo: dixitq; Moyſes. Comedite illud hodie, quia ſabbatum eſt Domino. Non inuenietur hodie in agro, ſex diebus colligite: In die autem ſeptimo ſabbatum eſt Domini, idcirco non inuenietur. Venitq; ſeptima dies, & egreſsi de populo, vt colligerent non inuenerunt: dixit autem Dominus ad Moyſen. Vſque quo nō vultis cuſtodire mandata mea, & legem meam; videte quod Dominus dederit vobis ſabbatum, & propter hoc tribuerit vobis die ſexto cibos duplices. Maneat vnuſquiſque apud ſemetipſum, & nullus egrediatur de loco ſuo die ſeptimo. Appellauitq; domus Iſrael nomen eius man, quod erat quaſi ſemen coriandri album, guſtuſque eius quaſi ſimile cum melle: dixit autem Moyſes. Iſte eſt ſermo quē præcepit Dominus. Imple gomor ex eo, & cuſtodiatur in futuras retro generationes, vt nouerint panem quo alui vos in ſolitudine, quando educti eſtis de terra Ægypti: dixitq; Moyſes ad Aaron. Sume vas vnum, & mitte ibi man quātum poteſt capere gomor, & re-

pone

pone coram Domino ad seruandum in generationes vestras; sicut præceperat Dominus Moysi. Posuitque illud Aaron in tabernaculo reseruādum. Filij autem Israel manducauerunt man quadraginta annis donec venirent in terrā habitabilem. Hoc cibo aliti sunt vsquequo tangerent fines terræ Canaam. Gomor autem decima pars est ephi.

Glos. interl. Ecce ego pluā vobis panes &c. Verbum Dei panem qui de cœlo descendit. Et ait Moyses: dabit Dominus vobis vespere &c. Mundi quō verbum caro factū est. Et mane panes &c. Verbū Dei. In saturitate &c. Animæ. Et ecce gloria Domini apparuit in nube &c. Carne assumpta. Audiui murmurationes &c. Cognoui. Vespere comedetis carnes &c. A vespere enim Christus mortuus est, et sepultus. Et mane saturabimini &c. Quia mane surrexit. Mane quoque vos &c. Manna scilicet panis promissus. Apparuit in solitudine minutum &c. Subtile, quia humanis sensibus incognitum incarnationis mysterium. In similitudine pruinę super terram &c. Quia corpus Christi à feruore vitiorum refrigerat. Iste est panis &c. Viuus qui de cœlo descendit. Gomoq per singula capita &c. Mensura quinque sextariorum, quam Iosephus assarium vocat. Et collegerunt alius plus alius minus &c. Pro capacitate intelligentiæ. Sed singuli iuxta id quod edere poterant etc. Quia vnicuique captus intelligentiæ si maneat in fide, sufficit ad salutem intelligere. Et scatere cœpit vermibus etc. Malum auaritiæ notatur; cui qui studet vermibus consumendus traditur. Et iratus est contra eos Moyses etc. Christus, vel lex, quæ hoc prohibet dicens: Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. Colligebant autem mane singuli etc. Studiose, sicut studiosus operatur mane incipit operari. Cumque incaluisset sol etc. In die iudicij manifestius apparens Christus. Collegerunt cibos duplices etc. Vt alterum seruetur in sabbato. Et quæ coquenda etc. A sui corporali, vel spirituali præparanda. Reponite vsq; in mane etc. Vnde viuatis in sabbato, scilicet quoniam non licet operari. Non inuenietur hodie in agro etc. Quia non licet post hanc vitam operari. Sex diebus colligite etc. Tota pręsenti vita. Cibos duplices etc. Pręsentis vitę, et futurę. Maneat vnusquisque etc. Idest quiescat, nec egrediatur ad opus. Quod erat quasi semen etc. Quia verbum Dei habet aliquod oleris vnde infirmitas nutritur. Quasi semen coriandri album etc. Quia verbum Dei, quod caro factum est, purum, et lucidum manet. Alui vos in solitudine etc. Pręsenti vitę deserto. De terra Ægypti etc. De seruitute diaboli. Posuitq; illud Aaron in tabernaculo reseruadū etc. Sacerdotes posuerunt in Ecclesia in memoriam ęternam. Mandu-

Ioa. 6. d

Matt. 6. c

cauerunt

cauerunt mannam quadraginta annis donec venirent in terrã etc. Toto tempore pręſentis vitę, quo ſecundum nouum, et vetus teſtamentum viuimus, quater enim decem quadraginta fiunt. Donec venirent in terram etc. Viuentium vbi inquiete habitant Sancti transmiſſo deſerto huius ſeculi.

Gloſ.ord. Veſpere comedetis carnes, & mane ſaturabimini panibus &c. Orig. Vnicuique noſtrum mane eſt initiũ diei tempus quo primum illuminamur, & ad lucem fidei accendimur, in quo tempore carnes verbi non poſſumus edere, ideſt perfectæ doctrinæ capaces non dum ſumus, ſed poſt longa exercitia, poſt profectum plurimum, cum iam proximi ſumus ad veſperam, ideſt perfectionis fidem, tunc ſolidioris cibi capaces efficimur. Coturnix operuit caſtra &c. Iſid. Per volucrum eſcam figuratur prædicatio diuinitus miſſa; quæ tranſcurrit per verba ſonantia, quaſi per aerem volatilia pennata, quibus per fidem paſcuntur, qui ad patriam cœleſtem proficiſcuntur. Quaſi pilo tuſum &c. Sicut enim frumentum in mortariolo pilo teritur, & foliculis exuitur, ſic corpus Chriſti per tribulationem paſsionis, & pilo crucis mortalitate exutum eſt. Cibos duplices &c. Neceſſaria ſcilicet animæ, & corpori, nam in ſeptima quæ mortuorum ætas intelligitur, ſcilicet nullus erit operandi locus. Manducauerunt Man. &c. Corpus Chriſti, ſcilicet verbum Dei, quod percipimus nunc in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.

Nicol. de Lyra. Audiuit enim Murmur &c. Ne credatis quod facta veſtra abſcondita lateant ipſum. Et iratus eſt contra eos Moyſes &c. Scilicet ira quæ eſt per zelum, & non vitium. Venerunt autem omnes principes &c. Ex miraculo enim facto de nouo moti fuerunt ad veniendum, & narrandum Moyſi quod acciderat. Maneat vnuſquiſque apud ſemetipſum &c. Cogitans de diuinis beneficijs, & gratias agens.

Moraliter. Hoc cibo aliti ſunt. &c. Per hoc figuratum fuit, quod Eucariſtiæ ſacramentum, cibus eſt ſpiritualis, quouſque veniant ad terram viuentium; Nam & illi qui ſunt in purgatorio reficiuntur hoc ſacramento.

Aug. lib. 1. cap. 23. de Mirab. ſacræ ſcrip.

In ſuperiore parte terræ, vbi grando, & nix gignitur naſcebatur Manna; & in cibum inferioris terræ partis hominibus per angelos adminiſtrabatur. Ex quo facile dignoſcitur, non aliunde extra naturam quæſiſſe; ſed de terra Deus victum præparaſſe; Non quod Deus quotidie illis panem illum communem, etiam in deſerto præſtare non poſſet, ſed vt homo paſtus de nubibus ſciret, quia non in ſolo pane viuit, ſed in omni verbo quod de Dei ore procedit

ſicut

ficut enim naturæ imperauit, vt homo faturaretur pane, ita etiam de omni quacumque re, si ita illi iusserit, quomodo habebat, & tunc de nubibus victum incolumem.

OCtauum habetur miraculum ibi proposuit autem Daniel in 8
corde suo, ne pollueretur de mensa regis, neque de vino po- Dan.1.c
tus eius, & rogauit præpositum Eunuchorum, ne contaminaretur, dedit autē Deus gratiam Danieli, & misericordiam in conspectu principis eunuchorum. Et ait princeps eunuch. ad Danielem. Timeo ego Dominum meum Regem; qui constituit vobis cibum, & potum, qui si viderit vultus vestros macilentiores præceteris adolescentibus coæuis vestris, condemnabitis caput meum Regi, & dixit Daniel ad Malasar, quem constituerat princeps eunuch. super Danielem, Ananiam, Missaelem, & Azariam: tenta nos obsecro seruos tuos diebus decem, & dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum, & contemplare vultus nostros, & vultus puerorum, qui vescuntur cibo Regio, & sicut videris, sic facias, cū seruis tuis; qui audito sermone huiuscemodi; tentauit eos diebus decem, post dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores, præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio, porrò Malassar tollebat cibaria, & vinum potus eorum, dabatque eis legumina. Pueris autem his dedit Deus sciētiam, & disciplinam in omni libro, & sapientiam; Danieli autem intelligentiam omnium visionum, & somniorum.

Glos. interl. Proposuit autem Daniel in corde &c. Intentio enim Præualet verbis. Condemnabitis caput meum &c. Reum capitis me facietis. Legumina ad vescendum &c. Quę lex nostra non prohibet. Apparuerunt vultus eorum &c. Quos panis satiabat, qui de cœlo descendit. Dedit Deus scientiam &c. De cœlestibus. Disciplinam &c. De terrenis.

Glos. ord. Dedit autem Deus &c. Si quando diliguntur sancti ab infidelibus, non eorum bonitas est, sed Dei misericordia.

Nicol. de Lyra. Proposuit autem Daniel &c. Erat enim consuetudo antiquorum quod de immolatis idolis ponebatur aliqua portio in mensa magnorum. Et dentur nobis legumina &c. Vnde qui Ro.14.a infirmus est, olus manducet; vbi loquitur de infirmitate consciētię illorum, qui timebant peccare comedendo idolatica. Prę omnibus Pueris &c. Hoc factum est diuina virtute, propter Iuuenum deuotionem.

NOnum habetur miraculum in hoc genere ibi: Mulier autem 9
quędam de vxoribus prophetarum clamabat ad Eliseum di- 4.Reg.4 a
cens,

cens; seruus tuus vir meus mortuus est; & tu nosti quia seruus tuus fuit timens Deum. Et ecce creditor venit, vt tollat duos filios meos ad seruiendum sibi, cui dixit Eliseus; Quid vis vt faciam tibi? Dic mihi quod habes in domo tua At illa Resp. Non habeo ancilla tua, quicquam in domo mea, nisi parum olei quo vngar, cui ait, vade pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca, & ingredere, & claude ostium tuum; cum intrinsecus fueris tu, & filij tui, & mitte inde in omnia vasa hæc, & cũ plena fuerint tolles. Iuit itaque mulier & clausit ostium super se, & super filios suos, illi offerebant vasa, & illa infundebat. Cumque plena fuissent vasa dixit ad filium suum; affer mihi ad huc vas. Et ille respondit, non habeo stetitque oleum venit autem illa; & indicauit homini Dei. Et illi vade inquit vende oleum, & redde creditori tuo. Tu autem & filij tui viuite de reliquo &c.

Glos. ord. Mulier autem &c. Sancta Ecclesia duorum populorum, idest iudaici, & gentilis est mater.

Nic. de Lyra. Ingredere, & claude ostium &c.

Cum enim fiunt miracula ad confirmationem multitudinis in fide, vel eius consolationem fiunt in palam, cum autem ad consolationem singularis personę fiunt, magis secretè fiunt: & hoc modo saluator noster filiam Archisinagogi suscitauit à morte, & non permisit ibi aliquem intrare, nisi Petrum & Ioannem, & patrem, & matrem Puellæ.

10 DEcimum habetur miraculum ibi. Erat autem fames in terra,
4 Reg 4 & filij prophetarũ habitabant coram eo, dixitque vni de pue
G ris suis. Pone ollam grandem, & coque pulmentum filijs prophetarum: & egressus est vnus in agrum, vt colligeret herbas agrestes, inuenitque quasi vitem syluestrem, & collegit ex ea coloquintidas agri, & impleuit pallium suum, & reuersus conscidit in ollam pulmenti, Nesciebat enim quid esset; Infunderunt ergo socijs vt comederent: Cumque gustassent de coctione clamauerunt dicentes, mors in olla vir Dei, & non potuerunt comedere; At ille afferte inquit farinam, cumque tulissent, misit in ollam, & ait infunde turbæ vt comedant: Et non fuit amplius quicquam amaritudinis in olla &c.

Vir autem quidam venit de Baal salisa deferens viro Dei panes primitiarũ & viginti panes hordeaceos, & frumentum nouum in pera sua; At ille dixit, da populo vt comedat, responditque ei minister eius quantum est hoc vt apponam coram centum viris? Rursus ille ait; da populo vt comedat; Hæc enim dicit Dominus, comedent & supererit, posuit itaque coram eis: qui comederunt, &

super-

super fuit iuxta verbum Domini.

Glos.interl. Erat autem fames in terra &c. Non vtique panis, sed audiendi verbum Dei.

Glos.ord. Et filij prophetarum &c. Idest prædicatorum, qui ambulant in lege Domini; & scrutantur testimonia eius in præsentia saluatoris semper viuunt. Concidit in ollam pulmenti &c. Farina in olla mittitur, cum scientia spiritualis, in tale condimentum intromittitur, vt exclusa amaritudine pastus fiat salubris. Vir autem quidam venit &c. Iubet Eliseus, ministris idest prædicatoribus, vt hæc fidelibus dispensent, & de thesauro suo proferant noua & vetera, quod misterium in Euangelio legimus, infractione quinque, & septem panum, vbi satiatis turbis collegerunt duodecim Cophanos, siue septem sportas fragmentorum, de quibus dicemus in seque mirac. Matt.14. B Ioa. 6.B

Nic.de Lyra. Erat autem fames in terra &c. Hic ponitur duplex mireculum ad consolationem congregationis famelicæ. Affer te inquit farinam &c. Non quod ex se haberet virtutem dulcorandi, sed hoc factum est meritis Elisei. Qui comederunt, & superfluit &c. Illi panes fuerunt miraculose mutiplicati propter meritum Helisei, Nam sicut Deus de nihilo ptoduxit materiam primam, ita de modica materia potest magnam facere.

VNdecimum miraculum habetur, & exiens vidit turbam multam; & misertus est eis, & curauit languidos eorum: vespere autem facto accesserunt ad eum discipuli eius dicentes, desertus est locus, & hora iam præterijt: dimitte turbas, vt euntes in castella, emant sibiescas: Iesus autem dixit eis. Non habent necesse ire date illis vos manducare; Responderunt ei. Non habemus hic nisi quinque panes, & duos pisces, qui ait eis, Afferte mihi illos huc: Et cum iussisset turbam discumbere super fenum acceptis quinque panibus, duobus piscibus aspiciens in cœlum benedixit & fregit, & dedit discipulis panes, discipuli autem turbis, & manducauerunt omnes, & saturati sunt, & tulerunt reliquias duodecim chopinos fragmentorum plenos; Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum exceptis mulieribus, & paruulis. 11 Matt.14. b Luc.9. b Mar. 6.d Ioa.6. a

Glos. interl. Et exiens vidit turbam &c. Amauit. Et curauit languidos &c. Magna retibutio laboris eorum. Dimitte turbas &c. A tanto tempore idolatræ fuerunt. Non habent necesse ire &c. Vt aliunde, quærant cum ego sim panis. Afferte mihi illos. &c, Legis intellectum ad me referte. Discumbere super fenum &c. Studio continentiæ calcata carne. Aspiciens in cœlum &c. Vt nos sursum ha-

bere corda doceret. Dedit discipulis suis &c. Qui prius Apostolis dederat sensum, vt intelligerēt scripturas, quæ per misterium Apostolorum alijs exponuntur.

i Glos. ord. Accesserunt ad eum discipuli eius &c. Carnales & de futuro miraculo refectionis ignari, quinque panes & duos pisces &c. Per quinque panes, & duos pisces totum vetus testamentum significatur, per quinque panes, quinque libri Moysi, qui ordeacei dicuntur, qui extra asperi sunt, intus autem latet medulla suauissimi sensus, per duos pisces prophetæ, & Psalmi. Acceptis quinque panibus &c. Non nouos creauit, quia veniēs in carne non alia quā quæ prædicta erant prædicauit, & opere impleuit. Benedixit, & fregit &c. Benedixit cum aperiens sensum, vt intelligeret scripturas, dono internæ suauitatis multiplicauit, fregit, cum misteria legis in medium protulit. Et tulerunt reliquias &c. Secretiora quæ à rudibus capi nequeunt, non sunt negligenter habenda, sed à duodecim Apostolis, qui per cophanos duodecim significātur, & ab eorum successoribus diligenter inquirenda. Fuit numerus quinque millia &c. Pro quinque sensibus corporis, hi sunt, qui in seculorum habitu exterioribus recte vti nouerūt. exceptis mulieribus &c. Sexus fragilis, & minor ætas numero sunt indigni, significat infirmos in fide, nō dū idoneos pugnę.

Nic. de Lyra. Et curauit languidos &c. In quo verbo miracula plura in cludit, quia nomine languoris intelligitur omnis infirmitas. Vespere autem facto &c. Ex quo patet deuotio populi ad Christum, qui nec propter noctem recedebant. Aspiciens in cœlum benedixit &c. In quo dedit exemplum ante commestionem ad laudem Dei benedicere cibum.

Moraliter. Per hoc quod Christus pauit eos corporaliter, significatur, quod prælati, & curati debent subditos pascere verbo, doctrinæ, & sacram. Eucharistiæ, vnde & Ioan. Euangelista describēs hoc miraculum præmittit, quod prope erat Pascha Iudæorum, in quo fideles pascuntur Eucharistia.

Cat. aurea. Vespere autem facto &c. Chris. Turbarum fidem ostendit, quod Dominum etiam famem patientis expectabant vsque ad vesperam. Disertus est locus &c. Cibaturus quidem eos Dominus, expectat rogari quasi vbique non insiliēs prior ad miracula, sed vocatus: Et quam vis desertus sit locus, tamen qui nutrit orbem terrarum adest, & si hora iam præterijt, tamen qui non erat horæ suppositus loquebatur. Hier. Date illis vos manducare &c. In quo prouocat Apostolos, ad fractionem panis, vt illis se non habere testantibus magnitudo miraculi notior fieret. Hier. Frangente autem Domino seminarium fit ciborum. Et dedit di-

ſcipulis &c. Chriſ. In quo quidem non ſolũ eos honorauit, ſed voluit, vt hoc miraculo facto non increduli fiant. Et manducauerunt omnes &c. Sed neque vſque ad hoc ſtetit miraculum, ſed & ſuper abundare fecit, non panes integros, ſed fragmenta. Hier. Hoc autem fecit Dominus, non mane, non meridie, ſed veſpere, quando ſol iuſtitiæ occubuit. Remig. Per veſperum enim mors Domini deſignatur, quia poſtquam ille verus ſol in ara Crucis occubuit, famelicos ſatiauit, vel per veſperum vltima ætas ſeculi deſignatur, in qua filius Dei veniens, turbas in ſe credentiũ refecit. Raban. Turbis autem eſurientibus nõ noua creata cibaria, ſed acceptis eis, quæ habebant Diſcipuli benedixit, quia veniens in carne, non alia qu amque prædicta ſunt prædicabat.

Aug. de mira.oper.ſacr.ſcr.lib.3.cap.9. Qua propter, & panem de paruo ſemine, iuxta inferiorem rationem in magnam ſegetem per longi temporis adminiſtrationem innumerabilium hominum paſtum procreat, quem ſecundum ſuperiorem rationem de materia modica in momento per benedictionem multiplicat, ſic & piſces per primam benedictionem multiplicat, quando dictum eſt: Creſcite, & multiplicamini, & replete aquas maris. Quorum nunc carnes per ſuperioris rationis cauſam ad turbarum ſaturitatem præſenti benedictione multiplicantur.

DVodecimum miraculum habetur ibi. Et cum tranſijſſet inde 12
Ieſus venit ſecus mare Galileæ, & aſcendens in montem ſedebat ibi, & acceſſerunt ad eum turbæ multæ habentes ſecum mutos, cœcos, claudos, debiles, & alios multos, & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos, ita vt turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, & claudos ambulantes, cœcos videntes, & magnificabant Deum Iſrael. Ieſus autem conuocatis Diſcipulis ſuis dixit. Miſereor turbæ, quia triduo iam perſeuerant mecũ, & non habent quod manducent, & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via: & dicunt ei Diſcipuli. Vnde ergo nobis in deſerto panes tantos, vt ſaturemus turbam tantam? Et ait illis Ieſus. Quot panes habetis. At illi dixerunt. Septem, & paucos piſciculos: & præcepit turbæ, vt diſcumberent ſuper terrã. Et accipiens ſeptem panes, & piſces, & gratias agens fregit, & dedit Diſcipulis ſuis, & Diſcipuli dederunt populo, & comederunt omnes, & ſaturati ſunt. Et quod ſuperfuit de fragmentis tulerunt ſeptem ſportas plenas. Erant autem qui manducauerunt quatuor millia hominũm, extra paruulos, & mulieres.

Mat. 15. D

Mar. 8. A

Gloſ. interl. Aſcendens in montem &c. Vt auditores erigat ad ſuperna. Sedebat ibi &c. Quia requies non niſi in cœleſtibus eſt quærenda. Et acceſſerunt &c. Mente deuota. Ad eum &c. Re-

gnantem in cœlo. Turbæ multæ &c. Fidelium quos ſecum ducũt, doctrina,& exemplo. Habentes ſecum mutos,claudos,cœcos, debiles &c. Mutos à confeſsione fidei,claudos per de via praui operis non rectè euntes,cœcos à lumine fidei,debiles ſarcina peccatorum. Et proiecerunt eos &c. Quia mediatori per humilem aductum curandos ſubijciuntur ſancti prædicatores, quaſi confitendo humanitatem Chriſti. Ita vt turbæ mirarentur &c. Quia fideles ineſtimabili gaudio exultant quando hæc vident. Videntes mutos loquentes &c. Chriſtum confitentes. Claudos ambulantes &c. Per bona opera. Cęcos videntes &c. Videndo. Et magnificabant Deum &c. Dicunt quis Deus magnus ſicut Deus noſter. Miſereor turbæ &c. Compatitur vt homo,paſcit vt Deus. Quia triduo iam perſeuerant &c. In fide Trinitatis lucidi pro ſuis,ſuorumq; peccatis inſtanter ſupplicant. Perſeuerant mecum &c. Procuratione ſuorum. Et non habent quod manducent &c. Pabulum ſcripturę. Et dimittere eos &c. Prius affert debilitatem, poſt cibos offert panis. Ieiunos &c. A ſacra admonitione vacuos. Ne deficiant in via &c. Perit qui ſine cœleſti pane ad patriam tendit. Et dicunt ei Diſcipuli &c. Rudes in fide, qui non recordantur quinque panibus quinque milia hominum ſatiata fuiſſe. Vnde ergo nobis in deſerto &c. Ipſi Apoſtoli deſertum,quia adhuc infœcundi. Et ait illis Ieſus &c. Non ignarus, ſed docendo reſponſurus. Et accipiens ſeptem panes &c. Primum complens in ſe præcepta, & ſanctorum vitam in ſe præfigurans. Gratias agens fregit &c. Sacramenta aperuit. Et dedit Diſcipulis ſuis &c. Quia myniſterio Apoſtolorum voluit Eccleſiæ diſtribui cibaria vitæ. Et comederunt omnes &c. Audiendo, & exempla intuendo. Et ſaturati ſunt &c. Memoriæ recondendo, & operando. Et quod ſuperfluit &c. Vt eſt,ſiuis perfectus eſſe vende omnia. Tulerunt ſeptem ſportas &c. Spiritualium ſumma perfectio. Quatuor millia hominum &c. Quatuor animi virtutibus exornati. Extra paruulos, & mulieres &c. Exceptis leuibus, & infirmis, qui in virum perfectum non creuerunt.

Gloſ.ord. Aſcendens in montem &c. Dominus in monte, verbũ in alto ſedet, quia in ſua maieſtate non poſſet intelligi. Mutos, claudos, cœcos &c. Cœci ſunt, qui non intelligunt, etiam ſi obediant iubentibus: ſurdi,qui non obediunt,etiam ſi intelligant. Ieſus autem conuocatis Diſcipulis &c. Conuocat Diſcipulos, vt doceat magiſtros cum minoribus communicare conſilia ſua, vel vt ex locutione intelligant ſigni magnitudinem. Quæ triduo iam perſeuerat &c. Turba triduo ſuſtinet dominum, qui fideles penitentes,ſe ad Dominum in opere,& ſermone, & cogitatione conuertunt.

tunt. Et acccipiens septem panes &c. Vt ostendat se congaudere de salute hominum.

Nic. de Lyra. Habentes secum mutos, Claudos, cæcos &c. Istę infirmitates erāt incurabiles via naturę, et medicinæ, & ideo propter curationem earum recurrebant homines ad Christum, cui nihil impossibile. Et alios multos &c. Ad includendum omnia infirmitatum genera. Et curauit eos &c. Solo scilicet uerbo. Ille solo verbo peterat curarare, qui solo verbo poterat mundum de nihilo creare. Quot panes habetis &c. Non petit ignorando; sed vt eorum responsione prouideat de modo.

Cat. Aurea. Et ascendens in montem &c. Rab. vt scilicet auditores erigat ad superna, & cœlestia meditanda, sedebatque ibi, vt demonstraret, non nisi in cœlestibus requiem esse quærendam. Hyer. Prius Christus infirmorum debilitates abstulerat postea verò sanatis offert cibos. Remig. In hac saturitate adest operatio diuinitatis, & humanitatis, dum miseretur turbis humanitatem demonstrat, in eo quod panes multiplicat ostendit diuinitatem. Glos. Notādum est ꝙ prius Dominus aufert debilitates, & postea cibat, quia prius sunt remouenda peccata, & postea anima verbis Dei nutrienda. Remig. Has turbas voluit Dominus dimittere ieiunas, ne deficiant in via, quia peccatores per pœnitentiā conuersi in cursu labentis seculi pereunt, si absque sacræ doctrinæ pabulo dimittantur. Glos. vtraque refectio in monte celebrata est, quia vtriusque testamenti scriptura, & altitudinem cœlestium præceptorum mandat, & præmium vtraque altitudinem Christi prædicat.

Decimum tertium habetur miraculum ibi. Et die tertia nu- 13
ptiæ factę sunt in Cana Galilea, & erat Mater Iesu ibi, voca- Ioan. 2. a
tus est autē et Iesus, & discipuli eius ad nuptias, & deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: vinum non habent, & dicit ei Iesus: quid mihi & tibi est mulier? non dum venit hora mea dicit mater eius ministris: quodcumque dixerit vobis facite. Erant autem ibi lapideæ hydrię sex positæ secundum purificationem Iudæorum capientes singulæ metretas binas, vel ternas: Dicit eis Iesus: Implete Hydrias aqua, & impleuerunt eas vsque ad summum: & dicit eis Iesus: Haurite nunc, & ferte Architriclino & tulerunt vt autem gustauit Architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat vnde esset, ministri autem sciebant, qui auserant aquam; vocat sponsum Architriclinus, & dicit ei, omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Tu autem seruasti bonum vinum vsque ad huc. Hoc fecit initium signo-

rum

rum Iesus in Cana Galileæ,& manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius.

Glos. interl. Erat mater Iesu &c. Mater est figura synagogæ. Quid mihi & tibi &c. Aug. Quid est commune deitati meæ, & tibi matri secundum carnem. Non dum venit hora &c. Idest opportunitas ostendendi naturam, quam ex te habeo, sed ostensa diuina per miracula ostendetur, & humana natura per passionem. Dicit mater eius &c. Et si videtur negare filius, scit mater pietatem eius, & ideo fiducialiter imperat ministris. Et impleuerunt eas &c. Quia nullum tempus fuit à salutari doctrina vacuum. Et non sciebat vnde esset &c. Vt Paulus, qui prius nesciuit spirtũ in littera. Ministri autem sciebant &c. Vt Isaias & cæteri. Omnis homo primum bonum vinum &c. Carnalis à veris ad falsa descendit. Et cum inebriati fuerint &c. Mundana prudentia prius docet homines blanda deinde subdit in vtilia, & in honesta. Tu autem seruasti bonum vinum &c. Quod olim bonum, & si in figuris quasi in aqua occultum, tunc verò in Euangelio manifestum. Manifestauit gloriam suam &c. Latentem deitatem.

Glos.ord. Et die tertia &c. Idest tempore gratiæ spiritus ad nũptias Ecclesiæ per carnem venit. Vocatus autem &c. In quo ostẽdit non despiciendas esse nuptias,& sacramentum nuptiarum insinuat. Deficiente vino &c. Maius virtus est increatione,& gubernatione cœli, & terræ, & quotidie aqua pluuia per vites in vinum vertitur, & quod ex paruo seminario fruges creantur: sed quia hæc naturaliter fiunt, iam ex vsu vilnerunt, & ideo quædam & si minora præter solitum naturę sibi Deus seruauit, per quæ virtus; quæ in maioribus etiam operatur ad memoriam reducitur. Quid mihi & tibi &c. In his non negat matrẽ, sed illa exigente miraculũ facturus non agnoscit eam. Et impleuerunt eas &c. Quia iussu eius impletę sunt Hydrę, significat ꝙ etiã illa scriptura à Domino est, sed dũ in ea subuelamine, idest ad operationẽ litterę latet Christus, sapit aquã insipidã; Cum autẽ aufertur velamen est vinũ inebrians, potuit quidẽ vacuas implere vino, qui cuncta creat ex nihilo; sed maluit de aqua vinũ facere, vt doceret se nõ soluere legẽ sed implere nec in Euangelio alia facere, vel docere, quàm quę prophetia prędixit. Aquam vinum factam &c. Per aquam Babptismus Ioannis, per vinum passio Christi, vnde, & vinum prius fertur Architriclino, idest Ioanni, qui ante bibit passionem, quam Christus. Hoc fecit initium signorum &c. Hyer. Initio signorum quia mortalis mortalibus erat daturus, aquam vertit in vinum, sicut iam immortalis discipulis aperuit sensum, vt in lege & prophetis intelligerent Christum, ita carnales mentes prius sapore sapientię im-

buit,

buit, postea resuscitatos maiori gloria completurus.

Nicol. de Lyra. Quoniam adesse sequitur operari, cum omnia sint determinata proprio opere, ideo postquam Euangelista ostendit diuinitatem Christi per æternam emanationē à patre: hic consequēter declarat eam in opere, scilicet per opera miraculosa, quæ sunt diuinæ virtutis manifestatiua, quæ transcendunt virtutem totius naturæ creatæ. Et crediderunt in eū discipuli eius &c. Quia aliqui de nouo crediderunt in eum, & illi qui prius crediderunt in eum, vt Andreas, & alij, per hoc in fide consolidati fuerunt.

Cat. aurea. Et impleuerunt eas &c. Chris. Quare antequam impleuissent hydras aqua non fecit signum, quod multo mirabilius esset, quia scilicet aliud est substantiam in aliam qualitatem transmutare, & ipsam substantiam ex nihilo facere, quod quidem mirabilius est, sed non ita videtur credibile multis, propterea multoties à miraculorum magnitudine abstinet, volens magis credibile esse, quod fiebat. Omnis homo primū bonum vinum &c. Chris. Nō simpliciter Christus vinum, sed vinum optimum facit. Talia enim sunt Christi miracula, vt multo his, quæ per naturam fiunt, speciosiora, & vtiliora fiant. Alcuinus. Optimum autem vinum Christus vsque adhuc seruauit, idest Euangelium vsque ad sextam ætatem distulit.

DEcimumquartum habetur miraculum, quo ad substentationē 14
humanæ vitæ ibi. Tulit autem Moyses Israel de mari Rubro, Exo. 15.
& egressi sunt in desertum Sur: ambulaueruntq; tribus diebus per D
solitudinem, & non inueniebāt aquam. Et venerunt in Marath, nec poterant bibere aquas de Marath, eo quod essent amaræ. Vnde & congruum loco nomen imposuit, vocans illud Mara, idest amaritudinem. Et murmurauit populus contra Moysen dicens: Quid bibemus? At ille clamauit ad Dominum, qui ostendit ei lignum: quod cum misisset in aquas in dulcedinem versæ sunt.

Glos. interl. Ambulauitq; tribus diebus &c. In fide, & cognitione Trinitatis ambulandum est. Per solitudinem &c. Desertum huius vitæ. Non inueniebant aquam &c. Doctrinam quæ reficeret animam. Nec poterant bibere aquas &c. Literam legis. Eo quod essent amaræ &c. Intolerabiles, vt circumcisio, & similia. Et murmurauit populus &c. Ad fidem veniens contra Doctores. Qui ostendit ei lignum &c. Crucis sapientiæ Christi. Quod cum misisset in aquas &c. Literam legis. In dulcedinem versę sunt &c. intelligentiæ spiritualis.

Glos. ord. Tulit autem Moyses &c. Baptizati per mundum quasi per desertum post transitum maris Rubri dicuntur, nondum habē-

tes

tes promissam patriam, sed sperantes, & expectantes per patientiam, dum laboriosa, & periculosa tentatione fatigantur. Et venerunt in Marath.&c. Si lex secundum litteram accipitur amara est, sed si Deus ostendet lignum, quod mittatur in hanc amaritudinem dulcis fit aqua legis, & potabilis, iuxta illud sapientia lignum vitę est omnibus amplectentibus eam; si quis ergo sine ligno vitę idest sine ministerio crucis, sine fide Christi, sine intelligentia spirituali biberit amaritudine morietur; vnde littera occidit idest aqua amara si bibatur non mutata, & indulcedinem versa. Qui ostendit ei lignum &c. Aug.Genus ligni erat istam habens vim: Inquolibet ligno id poterat facere Deus, qui tanta mirabilia faciebat.

Pro. 3. c
1.Cor.3. b

Nic.de Lyra. Et murmurauit populus &c. Idest vulgares homines; qui considerant nisi pręsentia, sapientes verò, qui considerabant Dei beneficia pręterita patienter portabant, sperantes de diuino auxilio. At ille clamauit &c. Ostendens quod boni rectores non debent omittere bona subditorum procurare propter eorum murmurationem.

Isa. 8. A Moraliter: Qui ostendit ei lignum &c. Per aquas amaras significantur tribulationes vitę pręsentis iuxta illud. Ecce adducet Dominus super eos aquas fluminis fortes, & multas Regem Assiriorum; per lignum autem intelligitur crux idest passio Christi, quod si mitatur per fidem charitate formatam in cor hominis repletum aquis tribulationis, vertit illam in dulcedinem, per virtutem patientię & spem tribulationis ęternę, vnde cum vos oderint homines, & separauerint, & persecuti vos fuerint & dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me, gaudete & exultate,

Mat. 5.a quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

Aug.lib.1.c.22.de Mirab. Sacrę script. ex hoc intelligitur, non tunc lignum contra naturam aquam effecisse dulcem, sed pręcepto conditoris, & naturę gubernatoris lympham mutauit in saporem, notandum tamen est, quod cumque per studium, quamuis longi temporis in re aliqua in venitur, non aliunde in eadem per industriam ex aliena natura conducitur, sed cum in naturę abdito recessu occultatur, prius hoc perplexi temporis industria; & alterius naturę adiumentum reddit, & quod per humanum, seu etiam rerũ effectum longo cultu efficitur, hoc Dei voluntate cum necesse hàbet ipsa natura operatur. Aquas igitur amaras vel etiam ipsas salsissimas in dulcem saporem verti posse, frequenter nautę comprobant, qui illas per humum optimę terræ infusas, & hoc artificio etiam indulcoratas, sæpe sitim temperant: Nubes quoque de marinis finibus vapores leuant salsi liquoris, sed easdem dulces quando

do pluunt terrenis vsibus ministrant, quoniam salsuginis vitium, quod in semetipsis aquæ insitum capiunt per infusionem terræ,aut nubium deponunt, similiter quoque & dulces aquæ cũ eas homines per marinorum olerũ cineres hauriũtur salsum, & plus quã oceani saporẽ reddunt: Hanc ergo immutationem insitam sibi naturaliter aquæ habent; sed celerius per præceptum conditoris illam, quam per efficaciã humanæ diligentiæ,& ipsarum rerum ministrationem exhibent: Per alterius enim rei adiumentum humana diligentia, vel ipsa cuiusque rei ministratio alicuius naturæ superficiem mutat .Ipse verò creaturarum conditor, & gubernator, naturam occultam, quæ per aliam rem manifestanda fieret in re ipsa sola denudat, sic & nunc amara aqua, vt dulcedinem, quam in occulto suæ naturæ continuerat, per humum, aut nubem ab amaritudine purgata ostenderet, ita iussu gubernatoris potentissimi naturam per se solam; absque alterius rei iuamine exhibet.

DEcimum quintum miraculum habetur ibi.Igitur profecta omnis multitudo filiorũ Israel de deserto Sin per mansiones suas 15 Exo. 17. a
Iuxta sermonẽ Domini castra mẽtati sunt in Raphidim,vbi nõ erat aqua ad bibendũ populo, qui iurgatus cõtra Moysem ait:Da nobis aquã ad bibendũ populo quibus respondit Moyses ait: qui iurgamini contra me? & cur tentatis Dominum; sitiuit ergo ibi populus præ aquæ penuria, & murmurauit contra Moysem, dicens cur fecisti nos exire de Ægypto,vt occideres nos, & liberos nostros ac iumenta siti? Clamauit autem Moyses ad Dominum dicens, quid faciam populo huic ad huc paululum lapidabit me. Et ait Dominus ad Moysem. Antecede populum, & sume tecum de senioribus Israel, & virgam qua percussisti fluuium tolle in manu tua,& vade. En ego stabo ibi coram te supra petram. Horeb. percutiesque petram et exibit ex ea aqua, vt bibat populus, fecit Moyses ita etc.

Glos.interl.Castramentati sunt in Raphidim etc. Sanitas Iudicij. Qui iurgatus contra Moysem etc. Contra legem. Sitiuit ergo ibi populus etc. Qui debet exurire, et sitire iustitiam. Et exibit ex ea aqua vt bibat populus etc. Aperto latere Christi exiuit Ioa.19.f sanguis,et aqua,bibebant autem de spirituali consequente eos petra,petra autem erat Christus. 1. Cor. 10.a

Glos. ord. Orig. percutiesque petram etc. Hic petra non dat aquas,nisi percussa; percussa verò fontes producit,percussus enim Christus, et in cruce mattatus noui testamenti fontes produxit.

Nic.de Lyra: et cur tentatis Deum etc. Quia experiri volebant vtrum ex suis meritis Deus deberet eis dare potum miraculose. Clamauit autem Dominus ad Moysem etc. In nullo retardatus de

bono procurando eis propter iniuriam eorum contra ipſum.

Moraliter. Percutieſque petram etc. Per hanc petram ſignificatur Chriſtus, qui in cruce lancea fuit percuſſus, et inde exiuit ſanguis et aqua, et virtus ſacram: Eccleſiæ.

Aug. de mirab. ſacr. ſcrip. lib. 1. c. 24.

In hoc naturæ inueſtigator in anguſtū redigitur, quomodo aquæ natura in lapide occultatur. De aqua verò in principio lapides factos qualiter ignorat, qui chriſtalli naturam niue per multum temporis congelatæ incommutabilem lapidis duritiam procedere nō ambigat. Præterea omne metallum quantecunq; duritiæ fuerit, quamuis lapideę eſſe naturæ pateat igne reſolutū liqueſcit. Dum ergo ex aquæ humore lapidum naturam gigni comprobatur, quid obſtat ſi Dei gubernatoris volūtate lapis in aquam verſa vice mutetur, dum natura ad ſuam originem redire feſtinat, cum Deus aquam de petra populo ſuo præberi iubet.

16 DEcimum ſextum habetur miraculum ibi. Et apparuit gloria
Nu. 20. b Domini ſuper eos: locutusq; eſt Dominus ad Moyſem dicens: Tolle virgam, & congrega populum tu, & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Cumq; eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo, & iumenta eius. Tulit igitur Moyſes virgam, quæ erat in conſpectu Domini, ſicut præceperat ei, congregata multitudine ante petrā: dixitq; eis. Audite rebelles, & increduli: Num de petra hac vobis aquam poterimus eijcere? Cumque eleuaſſet Moyſes manum percutiens virga bis ſilicem egreſſæ ſunt aquæ largiſsimæ, ita vt populus biberet, & iumenta &c.

Gloſ. interl. Percutiens virga bis ſilicem egreſſæ ſunt aquæ largiſsimę &c. Ideſt ligno crucis affigens bis propter duo ligna eiuſdem crucis, ſilicem ſcilicet Chriſtum. Egreſſæ ſunt aquę &c. Spiritualis gratiæ.

Gloſ. ord. Percutiens virga &c. Aug. Quod de petra aqua dedu
1. Cor. cta eſt Apoſtolus expoſuit dicens. Et omnes eundem potum ſpiri-
10. a talem biberunt. bibebant enim ſpiritali cōſequenti eos petra; petra autem erat Chriſtus: ſignificata ergo de Chriſto profluens gratia ſpiritalis, qua interior irrigatur ſitis, ſed quod virga petra percutitur. Crux Chriſti figuratur; ligno enim accedentē ad petram gratia manauit, & quod bis percutitur euidentius ſignificat crucem. Duo enim ligna ſunt crux.

Nicol. de Lyra. Et apparuit gloria Domini &c. Ideſt nubes, in qua Dominus ſolitus erat loqui cum Moyſe, quaſi paratus petitionem eorum audire. Percutiens virga bis ſilicem &c. Quia primo

ictu

ictu non exiuerunt aquæ propter dubitationem Moysi, secundo tamen ictu exierunt propter impletionem diuini promissi.

Aug. in lib. 1. cap. 32. de mirab. sac. script.

Semel in Oreb petra percutitur, vbi tantum populi infidelitas notatur. In cades autem deserti Sin; saxum bis cęsum pulsatur, ibi namque infidelitas in populo, & in duce dignoscitur.

DEcimũ septimũ miraculum habetur ibi. Inuentãq; maxillam, 17
idest mandibulã asini quæ iacebat arripiẽs interfecit in ea mil Iudic. 15
le viros, & ait. In maxilla asini in mãdibula pulli asinarũ deleui eos, D
& percussi mille viros. Cũq; hęc verba canens cõplesset, proiecit mandibulam de manu, & vocauit nomen loci illius ramathlechi, ꝙ interpretatur eleuatio maxillę: Sitiensq; valde, clamauit ad Dominum & ait. Tu dedisti in manu serui tui salutem hanc maximam, atque victoriam, & en siti morior, incidamq; in manus incircumcisorum. Aperuit itaq; Dominus molarem dentem in maxilla asini, et egressę sunt, ex eo aquę, quibus haustis refocillauit spiritum, et vires recepit. Idcirco appellatum est nomen loci illius fons inuocantis de maxilla, vsque in pręsentem diem.

Glos. interl. Inuentãq; maxillam &c. Pręedicatores simplices, & patientes. Et egressę sunt ex eo aquę &c. Quia postquam mortua sunt pręedicatorum corpora magna monstrauere miracula.

Glos. ord. In maxilla asini &c. Greg. Maxilla asini pręedicatores significant.

Nicol. de Lyra. Inuentaq; maxilla &c. Per hoc ostenditur victoria magis mirabilis, & à Deo facta, quod non fuit per arma ferrea. Interfecit in ea mille viros &c. Ex quo patet quod miraculosè seruabatur à confractione, in tot & tantis percussionibus virorum armatorum; quod autẽ hoc diuinitus fieret ostenditur per sequens miraculum, cũ dicitur. Aperuit itaq; Dominus molarẽ dentẽ &c.

DEcimum octauum miraculum habetur ibi. Dixerunt quoque 18
viri ciuitatis ad Eliseum. Ecce habitatio ciuitatis huius opti 4. Reg. 2
ma est, sicut tu ipse Dominę perspicis, sed aquæ pessimæ sunt, & D
terra sterilis: At ille ait. Afferte mihi vas nouum, & mittite in illud sal. Quod cum attulissent, egressus ad fontem aquarum misit in illud sal, & ait. Hæc dicit Dominus: Sanaui aquas has, & non erit vltra in eis mors, neque sterilitas. Sanatę sunt ergo aquę vsq; in diem hanc, iuxta verbum Elisei quod locutus est.

Glos. interl. Misit in illud sal &c. Verbum caro factum est.

Glos. ord. Mittite in illud sal &c. Isid. Idest sapientia in vase fictili, idest corpore humano posita aquas sanat, idest populos dul-

cedine dilectionis,& bonorum operum per Chriſti incarnationem fœcundat.

Nicol.de Lyra. Egreſſus ad fontem &c. Vt miraculum eſſet euidentius,quia appoſitio ſalis non meliorat aquas,de natura ſua,ſed magis peiorat: ex quo patet,quod hæc ſanatio aquę fuit facta diuina virtute,quę poteſt agere contra curſum naturę.

19 Deu.8.b DEcimum nonum miraculum factum fuit nedum pro cibo, & potu ad conſeruationem vitę hominis, ſed etiam circa veſtimenta,vnde dicitur ibi. Afflixit te penuria,& dedit tibi cibũ manna,quod ignorabas tu,& patres tui,vt oſtenderet tibi, quòd non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod egreditur ex ore Dei. Veſtimentum tuum quo operiebaris nequaquam vetuſtate defecit,& pes tuus non eſt ſubtritus &c.

Gloſ. interl. Sed in omni verbo &c. Verbum enim caro factum eſt. Veſtimentum tuum &c. Conuerſatio,& habitus virtutum,quē non vult vetuſtate Deus deficere. Pes tuus non eſt ſubtritus &c. Greſſus bonorum operum,vel fidei.

Gloſ. ordin. Non in ſolo pane viuit homo &c. Spiritualis cibus commendatur,vnde & animę in ęternum victurę ſatiantur. Manna de cœlo datum,carnem Chriſti ſignificat,qui ait. Ego ſum panis vitę: hic eſt panis,qui de cœlo deſcendit,qui manducat hanc carnem

Ioan.6.d habet vitam ęternam. Veſtimentum tuum &c. Ideo addit veſtimentum eius vetuſtate non deficere, quia noui hominis conuerſatio, in nouitate vitę debet permanere, cuius pes non eſt ſubtritus, quia greſſus operũ eius ſeruatur illęſus, quia nouit Dominus viam

Pſ.1. d iuſtorum,& iter impiorum peribit.

Nicol. de Lyra. Afflixit te penuria &c. Quod ceſsit ad bonum illorum, quia ex eo dulcior illis fuit abundantia potus, & cibi à Deo dati. Veſtimentum tuum &c. Dicunt autē quidam hic,quod veſtimenta puerorum creſcebant cum eis ſecundum augumentum ſuæ quantitatis.

Aug.de mirab.ſacr.ſcrip.lib.2.cap.2.

In hoc tam longo itinere admiratione dignũ accidit illud, quod per quadraginta annos nullius ex omni populo calciamentum,aut veſtis defecit; in quo Dominus non naturam nouam in calciamentis,& veſtibus condidit,ſed olim conditam conſeruauit.

20 Exo.2.a VIgeſimum habetur miraculum circa conſeruationem vitæ, nedum circa victum, & veſtitum, ſed etiam circa liberationem ab imminenti periculo,quod quis euadere non poterat abſque ſpeciali diuino auxilio, vt ibi. Egreſſus eſt poſt hæc vir de domo leui,

& ac-

& accepit vxorem ſtirpis ſuæ, quæ concepit, & peperit filium, & videns eum elegantem abſcondit tribus menſibus. Cumq; iam celare non poſſet, ſumpſit fiſcellam ſcirpeam, & liniuit eam bitumine, ac pice, poſuitq; intus infantulum, et expoſuit eum in caretto ripæ fluminis ſtante procul ſorore eius, et conſiderante euentum rei. Ecce autem deſcendebat filia Pharaonis, vt lauaretur in flumine, et puellæ eius egrediebantur per crepidinem aluei: quæ cū vidiſſet fiſcellam in Papyrione, miſit vnam ex famulabus ſuis, et allatam aperiens, cernensq; in ea paruulum vagientem, miſerta eius ait, de infantibus Hebræorum eſt hic. Cuius ſoror pueri vis inquit; vt vadam, et vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire poſsit infantulum. Reſpondit vade. Perrexit puella, et vocauit matrem ſuam. Ad quam locuta filia Pharaonis. Accipe ait, puerum iſtum; et nutri mihi, ego dabo tibi mercedem tuam. Suſcepit mulier, et nutriuit puerum; adultumque tradidit filiæ Pharaonis, quem illa adoptauit in locum filij ſui, vocauitq; nomen eius Moyſes dicens; quia de aqua tuli eum etc.

Gloſ.interl. De domo leui etc. Sanctorum additi Deo. Accepta vxore etc. Senſualitate rationi conueniente. Quæ concepit etc. De ratione. Peperit filium &c. Ideſt opus bonum. Videns eum elegantem &c. Quia datū Dei optimum. Abſcondit &c. Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua. Tribus menſibus in menſura fidei, ſcilicet Trinitatis. Filia Pharaonis vt lauaretur &c. Eccleſia de gentibus, vt baptizaretur. Miſit vnam ex famulabus ſuis &c. Primitiuas animas credentium. Cernensq; in ea paruulum vagiētem &c. Legem literali ſenſu paruulos ſibi lactantem. De infantibus Hebræorum eſt &c. Quia lex apud Iudæos nata, & nutrita eſt. Vocem tibi Hebræam &c. Ideſt Synagogam. Ego tibi dabo mercedem &c. Vt amplius Idola non colas. Adultumq; tradidit filiæ Pharaonis &c. Iam perfecto ſenſu validos paſcentem in primitiua Eccleſia. Quem illa adoptauit &c. Suſceptum in regalem aulam cordis. Quia de aqua tuli eum &c. Eccleſia de gentibus Chriſtum excipit ad fontem baptiſmi. Mat. 6.a

Gloſ.ord. Et videns eum elegantem &c. Origen. Pharaonis filia eſt Eccleſia de gentibus congregata, de qua dicitur: Obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui. Pſ. 44. c

Nicol. de Lyra. Ecce autem deſcendebat &c. Hic conſequenter deſcribitur pueri nati educatio, & valde mirabilis à filia eius, qui mortem illius, & omnium aliorum maſculorum quærebat. Egreſſus eſt vir, ideſt Spiritus ſanctus.

Moraliter. Accepta vxore ſtirpis ſuæ &c. Ideſt Virginem Mariam, quam ſibi deſponſauit per fidem. Quæ concepit filium &c.

Scili-

Scilicet Ieſum Chriſtum auctorem Euangelij, qui bene ſignificatur per hunc filium, qui fuit lator veteris teſtam. Abſcondit tribus menſibus. &c. Propter perſecutionem Pharaonis; Et ſimiliter Ieſus Chriſtus in Ægypto latuit propter perſecutionem Hærodis.

21 Exod. 14 e VIgeſimum primum miraculum habetur ibi. Tollenſque ſe Angelus Domini, qui præcedebat caſtra Iſrael abijt poſt eos, & cum eo pariter columna nubis priora dimittens, poſt tergum ſtetit inter caſtra Ægyptiorum, & caſtra Iſrael. & Erat nubes tenebroſa, & illuminans noctem; ita vt ad ſe inuicem, toto noctis tempore accedere non valerent, cumque extendiſſet Moyſes manum ſuper mare abſtulit illud Dominus flante vento vehementi, & vrente tota nocte, & vertit in ſiccum, diuiſaque eſt aqua, ingreſsi ſunt filij Iſrael per medium maris ſicci: erat enim aqua quaſi murus ad dexteram eorum, & leuam; perſequentesque Ægyptij ingreſsi ſunt poſt eos, & omnis æquitatus Pharaonis currus eius, & æquites per medium maris, iamque aduenerat vigilia matutina, & ecce reſpiſciēs Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam ignis, & nubis, interfecit exercitum eorum, & ſubuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum, dixerunt ergo Ægyptij fugiamus Iſraelē, Dominus enim pugnat pro eis contra nos: & ait Dominus ad Moyſem, extende manum tuam ſuper mare vt reuertātur aquæ ad Ægyptios ſuper currus, & æquites eorum: cumque extendiſſet Moyſes manum contra mare, reuerſum eſt primo diluculo ad priorem locū. Fugientibuſq; Ægyptijs occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus: Reuerſæq; ſunt aquæ, & operuerūt currus, & æquites cūcti exercitus Pharaonis, qui ſequētes ingreſsi fuerāt mare, nec vnus quidem ſuperfluit ex eis: Filij autem Iſrael pertexerunt per medium ſicci maris, & aquæ eis erant quaſi pro muro a dextris, & a ſiniſtris, liberauitque Dominus in die illa Iſrael, de manu Ægyptiorum, & viderunt Ægyptios mortuos, ſuper littus maris, & manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos: timuitque populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moyſi ſeruo eius.

Can. 6. d Gloſ. interl. Tollenſque ſe angelus &c. Doctores Eccleſiæ. Præcedebat caſtra &c. Docendo verbo, & exemplo Eccleſiam contra hoſtes munitam, vnde terribilis, vt caſtrorum acies ordinata, poſt eos ſe opponendo periculo. Et cum eo pariter columna &c. Scientia ſcripturæ, quæ eſt ſubſtentamentum Eccleſiæ Inter caſtra Ægiptiorum &c. Perſecutorum. Illuminans noctem &c. Erat tenebroſa hæbreis illuminans noctem præſentis vitæ, dum videmus, per ſpeculum in enigmate. Cumque extendiſſet Moyſes manum &c.

De-

Demonstrando in aquis effectum diuinæ potentiæ corrigendi, & conuincendi, contradictionem persecutorum. Vento vehementi & vrente & idest Spiritu sancto mundanā sapientiam exiccante. Tota Nocte &c. Aduersitatis, vel ignorantiæ præsentis. Persequentesque Ægyptij &c. Peccata. Omnis equitatus Pharaonis &c. Diaboli & reproborum. Iamque aduenerat vigilia matutina &c. Luce fidei clarescente, & Deo populum suum illuminante, transmissis tenebris ignorantiæ. Ecce respiciens Dominus &c. Respicere Deus dicitur, cum aliquod nouum, & insigne facit. Super castra Ægiptiorum &c. Spiritualium nequitiarum. Per columnā ignis &c. Quæ fulcit pios, obruit impios. Interfecit exercitum eorum &c. Vitia potentiam malorum. Nec vnus quidem superfluit &c. Quia omnia in baptismo peccata dimittuntur, & potētia diaboli submergitur. Pro muro à dextris, & à sinistris &c. Pro defensione, in prosperitate, & aduersitate. Liberauitque Dominus &c. Tempore baptismi, populum baptizatum, de potestate dæmonum. Viderunt Ægyptios mortuos &c. Deiectos potentia baptismi, amissa potentia diaboli. Et manum magnam &c. Potentiam ineffabilem viso miraculo. Timuit itaque populus Dominum &c. Initium sapientiæ timor Domini. Eccl.1.b

Glos.ord. Tollensq; se angelus &c. Qui nuncius significatur, significat doctores, qui nobis præcepta vitę annunciant, & cū nube scilicet sacra scriptura castra Israel, idest Ecclesiam præcedunt, quia cum scientia scripturarum præsident; Nubes verò tenebrosa erat Ægyptijs; lucida hæbreis. Tota nocte &c. Quia toto tempore huius vitæ, quam nox significat Spiritus sancti gratia aquas baptismi fidelibus meabiles facit; vt de spirituali Ægypto in terram promissionis transeat, hostium vero suffocat exercitum. Isid. Mare Rubrum baptismum Christi sanguine consecratum significat; hostes à tergo sequentes cum Rege moriuntur, quod peccata præterita in baptismo delentur, et diabolus suffocatur, præmunt Ægyptij vsque ad mare, & peccata vsque ad baptismum, post transitū maris rubri cantat populus submersus hostibus, & fideles delauacro ascendentes, extinctis peccatis Hymnum cantant dicentes; Cantemus Domino; gloriose enim.

Nic. de Lyra. Erat nubes tenebrosa illuminans &c. Erat tenebrosa ex parte Aegyptiorum, illuminans ex parte Hebræorum.

Moraliter. Tollēs se angelus &c. Per quē intelligitur Christus, qui dicitur magni consilij Angelus, nam ipse apponit de se diabolo et exercitui eius, iuxta illud, fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed facit cum tentatione prouentum, vt possitis substinere. Et cum eo pariter columna nubis etc. Per hanc

Isa.9.b
1. Cor. 10.e

hanc columnam nubis intelligitur humanitas Chriſti, in qua dedit fidelibus patientiæ exempla, ex quorum conſideratione accipit homo in tentationibus. & tribulationibus virtutem conſtantiæ, per columnā autem ignis diuinitas Chriſti illuminans hominem luce ſuæ gratiæ & ſic fideles ttanſeunt mare præſentis ſeculi ſine læſione mortalis peccati. Aquæ erant eis quaſi pro muro &c. Ideſt tribulationes erant eis materia gaudij. Et viderunt Aegyptios mortuos &c. Beati enim vident pœnas dæmonum, quæ dicitur mors gehennæ.

Aug.in lib.1.c.20.de mirab.ſacræ ſcripturæ. In hoc tam inſigni in Dei operibus miraculo, iſtud de præſenti actus noſtri intentione exigitur, quomodo in ſiccato & recedenti de lictoribus maris natura conſeruatur, ſed ipſum non tam difficulter Deo auxiliante nos inuenire credimus, qui congelantibus vndis ſtagnorum dorſa glacie ſuper ſtrata ſæpiſsime conſideremus; quod ergo venti & deſinente pluuiarum turbine aeris inferiores partes gelu obtinente in aquis ſæpiſsimè naturaliter efficitur, illud tunc Dei iuſſu per glacialem ventum ſubito vrgente pelago factum fuiſſe comprobatur, ſed ſicut repente mare ſiccum Domino imperante redditur, ita eodem iubente liquefactum, in fluuidas vndas de ſicco reſoluitur. De receſſu vero illius quotidiana ad miniſtratione, iam ante prædiximus, quia per oceani maris æſtuaria indeſinenter fieri videre ſolemus ex quo colligere poſſumus, quod mare naturaliter quotidie deſerit littora, non contra naturam, quam vis longe aliter diſsimili modo Deo tunc gubernante propria littora detexit.

22 Ioſue.3. c

VIgeſimum ſecundum miraculum habetur ibi. Igitur egreſſus eſt Populus de tabernaculis ſuis, vt tranſiret Iordanem, & ſacerdotes, qui portabant arcam fœderis pergebant ante eum, ingreſsisque eis iordanem, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis; iordanis autem ripas aluei ſui tempore meſsis impleuerat, ſteterunt aquæ, deſcendentes in loco vno, & iſtar montis intumeſcentes apparebant procul ab vrbe, quæ vocatur Edom, vſque ad locum ſartam, quæ autē inferiores erant in mare ſolitudinis (quod nunc vocatur mortuum) deſcenderunt vſque quo omnino deficerent, Populus autem incedebat contra iordanem, & ſacerdotes, qui portabant arcam fœderis Domini ſtabant ſuper ſiccum humū in medio iordanis accincti, omniſque populus per arentem alueum tranſibat.

Gloſ.interl. Sacerdotes, qui portaban arcam &c. Quia per ſacerdotum magiſteriū deducitur populus ad terram promiſsionis: & ſi quis eſt hodie in illo ordine dignus adſcribi, cedent ei ipſa fluē

ta iordanis, & ipsa elementa vorebuntur. Steterunt aquæ &c. Quia pars eorum qui baptizantur acceptam cœlestis gratiæ dulcedinē custodiunt. Quæ autem inferiores &c. Quia pars in peccatorum amaritudinē conuertitur. Vsque quo omnino deficerent &c. Aeterna morte perirent. Sacerdotes, qui portabant arcam &c. Qui docent populum de Aegypto exire, idest de erroribus mundi, & transire per eremum, idest tentationem seculi.

Glos.ord. Steterunt aquæ descendentes &c. Non absque misterij ratione arbitror scriptum quod pars aquarum iordanis mergatur in mare, & in amaritudinem fluat, pars autem indulcedine perseueret, si enim omnes qui baptizantur cœlestis gratiæ dulcedinem custodirent, nullus in amaritudinem peccatorū verteretur; sed sæpe suscepto baptismo ad secularia redeunt & auaritiæ salsum poculum bibunt, & in mare fluentes, salsis fluctibus pereunt. Et sacerdotes qui portabant arcam &c. Idem sacerdotalis ordo, & leuiticus arcę Domini assistit, in qua lex deportatur, hi enim sunt qui illuminant populum de mandatis Dei, vnde lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Ps.118.a

Nic.de Lyra. Quod autem hic interponitur de inundatione iordanis, hoc fuit ad declarationē maioris miraculi in siccatione alueі iordanis in transitu filiorum Israel, ideo subditur steterunt aquæ descendentes contra naturam cum sint fluuidæ. Quod nunc vocatur mortuum &c. Eo quia nullus piscis ibi viuere posit, nam sunt aquæ ita spissæ quod sunt quasi lutum propter quod vestimenta ibi proiecta magis sordidantur, quam lauentur, cuius aquæ sunt salsissimæ.

Moraliter. Steterunt aquæ &c. Per aquas significantur mundi tribulaiones, quæ non impediunt portationem Euangelij.

Aug. in lib.2.c.1.de mirab.fac.scrip.

In huius miraculi testimonio duodecim lapides quantos duodecim viri portare poterant de ima gloria iordanis portati sunt in loca castrorum, & totidem tanti ex his, quos terra sicca continuerat positi sunt in eorum locum, certe & hoc signo propositi operis nostri causa requiritur, qualiter arcam Domini fluuius naturaliter præterire non permittit, ita enim alia pars aquarū, quę ad mare perrexit, naturę suę cursum consuetum consequitur, dum altiora deferens per prona proprio more fluminis paulatim delabitur, At verò quod humana industria laborioso certamine potest (qua legimus alueos fluminum nudatos) hoc Deus potentię suę virtute facilius peregit; Hoc quoque humana diligentia sępe efficit, vt ab oppositis vallibus aquas in excelsum montare & ad fontes redire offensas compellit, quod autem homines veluti terreni

de terra crassa materia frequenter faciunt, quomodo Angeli, tunc quorum officijs hæc omnia mirabilia peraguntur, per aerem face re non potuerunt, cum sit naturale aeris opus, et proprium officiũ aquas retinere in nubibus, et vt docti, indoctiq; pariter norunt quotidiana administratione retinet, ita tunc Deo iubente, fluminis cursum prohibuit, vt per illius fluenta arca Dei, & sacerdotes transirent.

23 Jon.c.1. d & c.2. A VIgesimum tertium miraculum habetur ibi. Et dixit ad eos. Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis, scio enim ego, quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos, & remigabant viri, vt reuerterentur ad aridã, & non valebant, quia mare ibat, & intumescebat super eos; & clamauerunt ad Dominum, & dixerunt. Quæsumus Domine ne pereamus in anima viri istius, & ne des super nos sanguinem innocentem, quia tu Domine sicut voluisti fecisti. Et tulerunt Ionam, & miserunt in mare, & stetit mare à feruore suo. Et timuerunt viri timore magno Dominum, & immolauerunt hostias Domino, & vouerunt vota.

Cap.2. Et præparauit Dominus piscem grandem, vt degluteret Ionam, & erat Ionas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus: & orauit Ionas ad Dominum Deum suum de ventre piscis &c.

Et dixit Dominus pisci, & euomit Ionam in aridam &c.

Glos. interl. Tollite me &c. Me quęrit tempestas; me perdite, vt mea morte viuatis. Scio enim ego &c. Non ignoro in meam pœnam elementa turbari, si sensero tempestatẽ, vos recipietis tranquillitatem. Et clamauerunt ad Dominum &c. Scientes mortem peccati peiorem esse, quam vitæ, & ex magna fide pro anima alterius præcantur, cum ipsi periclitentur corpore. Et tulerunt Ionam &c. Non rapiunt, sed cum obsequio, & honore portant Christũm nõ repugnantem, sed manus per voluntatem Dei prębentem. Et stetit mare à feruore suo &c. Mar quod absente Iona irascitur iam desideratum apprehendens, tenet, & gaudet, & confouet, & ex gaudio tranquillitas reddit. Et præparauit Dominus piscem &c. Morti & inferno pręcipit, vt Prophetam suscipiat, sed quantũ gaudent in adoratione, tantũ lugent in vomitu. Et erat Ionas in ventre piscis &c. Sicut fuit Ionas tribus diebus, & tribus noctibus in vẽtre Ceti, sic erit filius hominis tribus diebus, & tribus noctibus. Et orauit Ionas ad Dominum &c. Postqnam se sospitem sensit in vtero Ceti conuertitur ad exorandum misericordiam Dei. Et dixit Dominus pisci &c. Pręcipitur Ceto abyssis, & inferno vt terris restituat Saluatorem, & mortuos secum plurimos educat, qui mortis vinculis tenebantur. Et euomit Ionam &c. Ex imis vitalibus

libus mortis victrix vita processit.

Glos. ordin. Tollite me, & mittite in mare etc. Tempestas, quæ propter me contra vos seuit me moriente sedabitur, non est vestrū mortem arripere, sed illa tam ab alio libenter suscipere, nisi vbi charitas periclitatur. Et remigabant viri etc. Remigant autem quod petant absque sacramento illius, qui passurus erat posse nauem de periculo liberari, cum Ionæ submersio sit nauis releuatio. Et clamauerunt ad Dominum etc. Ita Pilatus, mundus ego sum à sanguine istius nolunt gentes perire Christum, innocentem testantur, et Iudęi dicunt. Sanguis eius super nos, et super filios nostros. Et timuerunt viri etc. Ante pasionem timentes clamabāt ad Deos suos post timent Deum, venerando, et colendo. Et pręparauit &c. Vel ab initio, vel iuxta nauem fecit venire, vt pręcipitem susciperet. Et erat Ionas &c. Qui credit tres pueros, ita de incendio liberatos, vt nec vestimenta eorum ardor ignis attingeret, non debet dubitare de salute Ionę in ventre Ceti. Mat. 27. C Cap. 2.

Nicol. de Lyra. Tollite me, & mittite in mari &c. Magis enim voluit solus mori, quam quod cum eo alij morerentur occasione sui; volens etiam per mortem suam placare offensam Dei. Et timuerunt viri &c. Ex signis visis fuerunt conuersi ad colendum verum Deum, qui habet super omnem creaturam dominium, et hoc bonum elicuit Deus de malo Ionæ. Et præparauit Dominus piscem etc. Quia ei obedit omnis creatura ad nutum. Et erat Ionas in ventre piscis etc. Nec mirum si tamdiu vixit, quia hoc fuit diuina virtute, quæ potest vbi vult, et quomodo vult saluare. Et dixit Dominus pisci etc. Dei dicere, est suum facere, fecit enim piscem Ionam euomere in aridam. Hoc enim non potuisset facere piscis sine Dei speciali operatione, quia propter sui magnitudinem non potuisset tantum aridæ natando appropinquare. Cap. 2.

Vigesimum quartum miraculum habetur ibi. Et ascendente eo in nauiculam, secuti sunt eum Discipuli eius. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus; ipse verò dormiebat. Et accesserunt ad eum Discipuli eius, & suscitauerunt eum dicentes. Domine salua nos perimus: & dicit eis Iesus. Quid timidi estis modicę fidei? Tunc surgens imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna: porro homines mirati sunt dicentes. Qualis est hic, qui venti, & mare obediunt ei? 24 Mat. 8. d Mar. 4. d Luc. 8. d

Glos. interl. Secuti sunt eum &c. Infirmi, & spretores mundi. Et ecce motus magnus &c. Vt magna virtus liberatoris videatur. Ipse verò dormiebat &c. Hic homo ostenditur. Domine salua nos &c. Quia adhuc paruuli, & infirmi. Tunc surgens imperauit

venti &c. Hic Deus oſtenditur. Facta eſt tranquilitas magna &c. Magna poteſtas, quia de magna tempeſtate fit, magna trãquilitas. Porrò homines mirati ſunt &c. Non Diſcipuli, ſed nautę, & cęteri, qui erant in naui.

Gloſ. ord. Et aſcendente eo in nauiculam &c. Qui magna fecit in terra, tranſit ad mare, vt & ibi faciat, & Dominus terræ, & maris appareat. Et ecce motus &c. Non ex ſe orta eſt tempeſtas, ſed eius imperio, vt Diſcipuli magis timeant, & rogent, & rogantibus oſtendat potentiam. Ipſe verò dormiebat &c. Dormit in nobis Deus, ideſt fides Domini cum negligentius agimus, & ideo tempeſtas. Si verò fides reſurgit, imperat ventis, & fluctibus. Suſcitauerunt eum dicentes &c. Primum eſt Ieſus in tribulationibus orationibus excitandus, vt poſt increpationem ſurgens imperet ventis, & mari, & ſit tranquilitas magna. Quid timidi eſtis modicę fidei &c. Si nouiſtis potentiam in terra, cur non creditis etiam in mari? qui parum credit arguitur, qui nihil contemnitur. Imperauit ventis, & mari &c. Mare dicitur ęſtus ſeculi; Nauicula eſt crux Chriſti, in qua Chriſtus cum ſuis paſſus eſt. Vnde qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Dormit in ora mortis; ſuſcitant eum dum viſa morte reſurrectionem quęrunt. Suſcitatus increpat de parua fide. O ſtulti, & tardi corde ad credendum? Nonne ſic oportuit pati Chriſtum? Ventum, ideſt diaboli ſuperbiam ſtrauit. Aquam ſedat, ideſt rabiem Iudaici populi labefacit, vel nauicula eſt eccleſia, in qua Chriſtus cũ ſuis mare ſeculi tranſit.

Nicol. de Lyra. Ipſe verò dormiebat etc. Duplici de cauſa: prima, vt veritas humanę naturę in eo oſtenderetur: Secunda vt Diſcipuli in periculo poſiti ad ipſum recurrerent.

Cat. aurea. Secuti ſunt eum Diſcipuli eius etc. Chriſ. Vbi miraculorum oſtenſio erat, plebem permittit ad eſſe, vbi autem tentationum, et timorum arreptio athletas orbis terrarum, quos excitaturus erat hos ſolos aſſumit. Et ecce motus magnus etc. Orig. Hæc tempeſtas non ex ſe orta eſt, ſed poteſtati paruit imperãtis, qui educit ventos de theſauris ſuis. Ipſe verò dormiebat etc. Orig. Eſt autem res mirabilis, et ſtupenda, is qui nunquam dormit, neque dormitat, dormire dicitur: dormiebat quidem corpore, ſed vigilabat deitate. Domine ſalua nos etc. Hier. Huius ſigni typũ in Iona legimus, quando cæteris periclitantibus ipſe ſecurus eſt, et dormit, et ſuſcitatur. Orig. O veraces Diſcipuli Saluatorem vobiſcum habetis, et de periculo timetis? vita vobiſcũ eſt, et de morte ſoliciti eſtis. Modice fidei etc. Chriſ. Corrigit prius, et ſoluit turbationem aquarum. Imperauit ventis ętc. Hier. Ex hoc intelligi-

telligitur quod omnes creaturæ sentiunt creatorem: quibus enim imperatur sentiunt imperantem non errore hæreticorum, quæ omnia putant animantia sensibilia, sed maiestate conditoris, quę apud nos insensibilia sunt, illi sensibilia sunt. Et facta est tranquilitas magna &c. Chris. Quod de patre dictum est, dixit & stetit spiritus procellæ, hoc Chistus opere impleuit. Porrò homines mirati sunt &c. Orig. Sed qui homines mirati sunt? Non putes hic Apostolos significatos, nusquam enim inuenimus præter honorem cognominari Domini Discipulos, sed semper aut Apostoli, aut Discipuli nominantur. Mirabantur ergo homines, qui cum eo nauigabant, quorum erat nauicula.

25 Vigesimum quintum miraculum habetur ibi. Vespere autem facto solus erat ibi. Nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus, erat enim contrarius ventus. Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos ambulans super mare: & videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt dicentes, quia fantasma est; & præ timore clamauerunt. Statimq; Iesus locutus est eis, dicens. Habete fiduciam: ego sum, nolite timere. Respondens autem Petrus dixit. Domine si tu es, iube me ad te venire super aquas. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum. Videns verò ventum validum timuit, & cum cœpisset mergi, clamauit dicens. Domine saluum me fac. Et continuo Iesus extendens manum apprehendit eum, & ait illi. Modicæ fidei, quare dubitasti. Et cum ascendisset in nauiculã cessauit ventus. Qui autem in nauicula erant venerunt, & adorauerunt eum dicentes. Verè filius Dei es.

Matt. 14. c
Mar. 6. g
Ioan. 6. c

Glos. interl. Vespere autem facto &c. Nocte tribulationis appropinquante dissimulat opem ferre. Nauicula autem &c. Dum Iesus abierat. In medio mari &c. Significat labores Ecclesiæ in hoc seculo dum tendit ad patriã. Erat enim cõtrarius ventus &c. Malorum spirituum flatus. Ambulans super mare &c. Et si pondus carnis habens, comprimens pressuras seculi. Statimque Iesus locutus est &c. Qui propè est omnibus timentibus eum. Respondens autem Petrus &c. Qui vbiq; ardentissimæ fidei est in persona Ecclesiæ. Iube me ad te venire &c. Nam in tua iussione fient aquæ solidæ, & corpus leue contra naturam. Extendens manũ &c. Impendens auxilium quod non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis, & sic nullus prædestinatus perit. Modicæ fidei quare dubitasti &c. Ardebat fides, sed humana infirmitas in profundum trahit, & in hoc ei ostenditur, quod non Domino sit ęqualis.

Glos.

Glos.ord. Vespere autem &c. Merito dicitur hæc tempestas esse in vespere, quia dum Ecclesia in tribulatione est, dicitur esse quasi in nocte, & sol iustitiæ se abscondisse videtur. Nauicula autem &c. Nauis in medio mari, solus Iesus in terra; quia aliquando ita est Ecclesia non modo afflicta, sed & fœdata, vt prorsus videatur derelicta à Deo, sed Deus eam non relinquit. Ego sum nolite timere. Non supponit quis, quia ex voce sibi nota poterāt eum cognoscere, vel quia ipse est qui dixit quis est misit me ad vos. Ambulabat super aquam &c. Super mare ambulare fecit, vt ostendat diuinam potestatem; Mergi fecit ne infirmitatem obliuiscatur, ne putet se æqualem Deo & se superbiat. Cessauit ventus &c. In quocumque Deus per gratiam adest, mox vniuersa bella quiescūt Et adorauerunt eum &c. Viso signo filium Dei confitentur.

Exo.3.d

Nic. de Lyra. Nauicula in medio mari &c. Illi enim qui carent Christi societate exponuntur tentationibus. Dicentes quod Phātasma &c. Id est apparitio rei non existentis. Respondens autem Petrus &c. In hoc apparuit maius miraculum, quia non solū Christi virtute diuinitatis supra aquas ambulauit, sed etiam Petrus eadem virtute. Adorauerunt eum dicentes &c. Adoratione latriæ, dicententes vere, id est non Metaphorice nec per adoptionem sicut sancti, sed proprie eiusdem naturæ.

Catena Aur. Vespere autem &c. Hyer. Tamdiu imminens naufragium perseuerat, quamdiu Iesus veniat. Quarta autem vigilia noctis &c. Semper enim hoc Dominus facit, cum soluturus sit mala aliqua difficilia & terribilia inducit volens amplius eos lucrari, auget eorum certamen. Domine si tu es iube me &c. August. de verb. Domini. Non enim possum hoc in me, sed in te agnouit Petrus quod sibi esset à se quid ab illo cuius voluntatę se credidit posse, quod nulla humana infirmitas posset. Chris. Vide quatenus est feruor, quanta fides, non enim dixit, ora, & deprecare, sed iube, non enim solum credit quod potest Christus ambulare super mare, sed quod potest etiam alios inducere, & concupiscit velociter ad eum ire, vnde non dixit, iube me ire super aquas, sed iube me venire ad te.

Aug. de Mir. sacr. script. lib.3.c.8.

Illa soliditas in aqua Domino imperante facta est; Nec mirum si etiam Petrum diffidentem non sustinet, cum infideles Domino volente etiam terra non sustentabat, vt Datam, & Abiron, in naturali rerum administratione binę rationes deprehenduntur, deinde inferior ratio aqua in animalibus sanguis fit, & vnda salsa per nubes autem terrę infusionem dulcescit; & ratio superior in vsitata gubernatio sit, quę in miraculis rerum dignoscitur, vt in san-

guinem

guinem aquam in Aegipto, & tincto ligno in dulcedinem Deus commutauit.

Vigesimum sextum miraculum habetur. Nam Deus ne dum seruauit hominem ab imminenti periculo Aquarum sed etiam ab incendio ignis vt habetur ibi. Tunc Nabuchodonosor repletus est furore, & aspectus faciei illius immutatus est, super Sidrac, Misach, & Abdenago, & præcepit vt succenderetur fornax septuplum quam succendi consueuerat, & viris fortissimis de exercitu suo iussit, vt ligatis Pedibus, Sidrac, Misach, & Abdenago, mitterent eos in fornacem ignis ardentis, & confestim viri illi victi cum brachijs suis, & tiaris, & calciamentis, & vestibus, missi sunt in medio fornacis ignis ardentis; Nam iussio Regis vrgebat, fornax autem succensa erat nimis: Porro viros illos, qui miserant Sidrac, Misach, & Abdenago, interfecit flamma ignis. Viri autem hi tres, Sidrac, Misach, & Abdenago ceciderũt in medio camino ignis ardentis colligati: Et ambulabant in medio flammæ, laudantes Deum, & benedicentes Domino. 26 Dan. 3. c

Glos. interl. Ceciderunt in medio &c. Præcipites quia ligati, sed ardent vincula, & vinctos flamma non tangit. Et ambulabant in medio flammæ &c. Soluti exustis vinculis ignis beneficij obsequium contulit iniuriam non intulis. Laudantes Deum &c. Liberatorem suum.

Glos. ord. Aspectus faciei illius immutatus &c. Immutatus dicitur in malum, commutatus autem in bonum. Præcepit vt succendaretur fornax &c. Quasi simplex ignis non sufficiat, sed furor, & ira, insaniæ proxima modum tenere non potest. Porro viros illos &c. Vt non solum de miraculo pertimesceret, sed etiam exercitus sui cladem sentiret.

Nicol. de Lyra. Tunc Nabucdonosor repletus &c. Hic discribitur Regis indignatio, & indignationis manifesta ostensio. Et aspectus eius &c. Quia passiones cordis citius apparent in oculis, quã in alis partibus corporis. Et ambulabant in medio flammæ &c.

Tria notantur, quæ solent accidere in tribulatione iustorum, commendatio supernæ æquitatis, concessio diuinæ bonitatis, collaudatio diuinæ maiestatis.

Aug. lib. 2. c. 31. de mirab. sacr. scrip.

Potens Gubernator ignis naturam inter inimicos, & seruos diuidere voluit ardorem in inimicis flabilem, & humidum aquæ, & aeris substantiam famulis suis conuertit, vt & illi per comburentẽ naturam accensi arderent, & hi inflabili, & lymphatico vapore nihil aduersitatis perpeti sentirẽt: qua propter ita scriptura dicit Dan. 3. e

ange-

Angelus autem Domini descendit cum Azaria & socijs eius, in fornacem, & excussit flammā ignis de fornace & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristauit, nec quicquam molestiæ intulit. Tunc hi tres quasi ex vno ore laudabant, & glorificabant & benedicebant Deū in fornace dicentes, Benedictus es Domine &c.

27 Act.16.e Vigesimum septimum habetur miraculum ibi. Et cum multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem præcipientes custodi, vt diligenter custodiret eos, qui cum tale preceptum accepisset, misit eos in interiorem carceredm, & pedes eorum strinxit ligno, media autem nocte. Paulus & Silas adorantes laudabant Deum, & audiebant eos, qui incustodia erant: subito verò terremotus factus est magnus, ita vt mouerenter fundamenta carceris, & statim aperta sunt omnia ostia: & vniuersorum vincula soluta sunt & infra &c.

Exeuntes autem de carcere, introierunt in Lydiam & visis fratribus consolati sunt eos.

Glos. interl. Media autem nocte &c. Iuxta illud media nocte surgebam ad confitendum tibi. Subito verò terremotus &c. Magna virtus orationis, qua omnia ostia scilice interiora, & exteriora aperiuntur.

Glos. ord. Miserunt eos in carcerem &c. Rab. vt per hoc maior virtus esset liberantis, ad quod spectat illud misit in interiorem carcerem & pedes eos strinxit ligno. Media autem nocte &c. Impericulis est serunda diligentia orationis. Terremotus factus est magnus &c. Beda. Deuotio orantium & virtus orationis exprimitur.

Nic. de Lyra. Media autem nocte &c. Hic ponitur eorum liberatio, & primo miraculo diuino, secundo humano mandato. Exeuntes autem de carcere &c. Quem retroierunt, ne custos carceris post eorum recessum inculparetur propter eorum eductionem.

28 Act.28.a Vigesimum octauum miraculum habetur ibi. Et cum euasissemus tunc cognouimus, quia Melite insula vocabatur. Barbari præstabant non modicam humanitatem nobis: Accensa enim Pyra reficiebant nos omnes, propter imbrem qui imminebat & frigus: Cum congregasset autem Paulus sermentorum aliquantam multitudinem, & imposuisset super ignem, vipera à calore cum processisset inuasit manum eius: vt verò viderunt Barbari pendētem bestiam de manu eius ad inuicem dicebant, vtique homicida est homo hic, qui cum euasit de mari, vltio non finit eum viuere,

& ille

& ille quidem excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est: At illi existimabant eum in tumorem conuertendum, & subito casurum & mori, diu autem illis expectantibus, & videntibus nihil mali in eo fieri conuertentes se, dicebant eum esse Deum.

Glos. ordin. Cum congregasset autem &c. Egressus è mari Apostolus ignem accendit, quod corda, quæ vndis tempestatum docẽdo eripit amoris ignis calefacit sarmenta sunt exortationes charitatem accendentes. Super ignem &c. Beda: Eodem igne quo suos fouet bestiam comburit quod eisdem virtutibus, & sancti proficiunt, & impij cum suo auctore inuidendo deficiunt, zelus apprehendit populum in eruditum, & tunc ignis aduersarios comedit. Isa. 26. b Vipera à calore &c. Beda. Spiritus in mundus flammam virtutum de cordibus fidelium pulsus doctoribus veritatis venenum persecutionis infundit, quo manum sauciet, id est bonum opus impediat.

Nicol. de Lyra. Barbari verò &c. Id est habitatores insulæ, non loquentes, græce, hebraice, & latine dicuntur barbari. Nihil mali passus est &c. Signa enim eos qui crediderint, hęc sequentur, in nomine meo dęmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent: Et si mortiferum quid biberit non eis nocebit, super ęgros manus imponent & bene habebunt.

SEquitur modo videre, seruato ordine iam præposito de miraclis factis circa restaurationem sanitatis.

1 Et primo dicemus de miraculis factis circa infirmos in genere.

Deinde de his quę facta fuerunt in specie.

Circa primum habetur primo ibi. Et circumibat Iesus totam Galileam in synagogis eorum, & prędicans Euangelium regni, & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem, in populo: & abijt opinio eius, in totam syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes varijs languoribus, & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos: & paralyticos, et curauit eos. Matt. 14. d Mar. 1. D Luc. 4. g

Glos. interl. Totam Galileam &c. Id est Ecclesiam. Euangelium Regni &c. Quo Reges fiunt, quo datur regnum. Sanans omnem languorem &c. Benignus fit doctor dare quæcumque beneficia potest. Omnem languorem &c. Corporum vel morborum inueteratorum. Et abijt opinio eius &c. Fama propter eos qui foris sunt quærenda est, non tamen amanda.

Glos. ord. Et circumibat &c. Docens impigrum debere esse doctorem. Docens in Synagogis &c. Docens de moribus vitę actiuę subditos; prędicans de futuris, vitę contemplatiuę perfectis. Et sanans omnem languorem &c. Instruens pręd icatores etiam terrena subsidia subditis ministrare, & sic ad regnum trahere. Curauit

eos &c. Curat corpora,vt paratius audiant inuisibilia.

Nicol.de Lyra. Et sanans omnem languorem &c. Idest infirmitatem incurabilem virtute naturę.

Moraliter. Docens in Synagoga &c. Non in latibulis vt hæretici. Et prędicans Euangelium &c. Non curiosa inutilia. Et sanans omnem languorem &c. Debet enim prędicator sanare omnē infirmitatem. Et qui dęmonia habebant &c. Vt sortilegi. Lunaticos &c. Instabiles in bono. Et paraliticos &c. Pigrū ad bonum.

Cat. aur. Sanans omnem languorem &c. Chris. Primo autem docet,& postea sanat propter duo: Primo quidē pręmittitur quod magis necessarium est: verba enim pietatis ędificant animam non miracula, deinde quia verba per miracula commendantur, & non ē conuerso. Et abijt opinio &c. Glos. prędicatores enim debent habere bonum testimonium de his qui foris sunt, ne si vita despicitur prædicatio contemnatur..

2 Mat.9.D SEcundum habetur ibi. Et circum ibat Iesus omnes Ciuitates,& Castella docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium Regni,& curans omnem languorem,& omnem infirmitatem.

Glos. interl. Et circum ibat Iesus omnes &c. Vbiq; indifferenter prædicabat, non personas discernens, sed salutem credentium quærens. Prædicans Euangelium &c. Idest prædicationem, quæ ducit ad regnum cœleste. Et curans omnem languorem,vt quibus non persuadebant verba,persuaderent miracula in populo.

Nicol. de Lyra. Et curans omnem languorem &c. Patet hic multa miracula inclusa à Christo facta ad confirmationem legis Euangelicæ.

Cat. aur. Curans omnem languorem &c. Remig. Quod de ipso propriè dicitur: nihil quippe ei impossibile est. Sciendum est etiā, quòd illos quos corpore sanabat forinsecus,mente sanabat intrinsecus. Alij verò facere nō possunt sua potestate,sed per Dei gratiā.

3 Mat. 12. b TErtium habetur ibi. Iesus autem sciens,secessit inde,& secuti sunt eum multi,& curauit eos omnes,& præcepit eis,ne manifestum eum facerent &c.

Glos. ord. Recessit inde &c. Nota exemplum, si vos persecuti fuerint in vna Ciuitate fugite in aliam. Secuti sunt eum multi &c. Scilicet docti visis virtutibus,persequūtur, indocti opinione eius, docti amando sequuntur, vnde curari merentur. Et præcepit eis ne manifestum &c. Non timore, ne proditus occideretur, sed parcendo Iudæis, ne inuidia trucidarentur, in eius innocentia, & mansuetudine: hic mystice nos instruit, ne cum aliquid magni

gni facimus, laudem foris quæramus.

Nicol.de Lyra. Iesus autem sciens &c. Scilicet machinationes eorum, quia nihil latebat ipsum. Et præcepit eis &c. Vt ostenderet, vt sicut aliquando est licitum in persecutione fugere, ita se occultare ad cedendum malitiæ.

Cat.aur. Et præcepit eis &c. Remig. Ideo etiã præcepit vt non manifestarent eum, ne persequentes ipsum deteriores fierent.

QVartum habetur miraculum ibi: & exiens vidit turbam magnam, & misertus est eis, & curauit languidos eorum 4 Mat. 14. b

Glos. interl. Curauit languidos &c. Magna retributio laboris eorum.

Nic. de Lira: & curauit lãguidos &c: In quo verbo miracula multa includit, quia nomine languoris intelligitur omnis Infirmitas.

Cat. aur. Hier. Magna misericordia est, quia omnes curat, nec fidem expetit.

QVintum habetur ibi. Et dixit Iesus Discipulis suis, vt nauicula sibi deseruiret, propter turbam, ne comprimerent eũ, multos enim sanabat, ita vt irruerent in eum, vt illum tangerent, quotquot habebãt plagas, & spiritus immundi cum illum videbant procidebant ei, & clamabant dicentes. Tu es filius Dei, & vehementer comminabatur eis, ne manifestarent illum &c. 5 Mar. 3. B

Glos. interl. Comminabatur eis &c. Peccatori dixit Deus: quare tu enarras iustitias meas. Ne manifestarent illum &c. Deum esse, ne differetur passio.

Glos. ord. Vt nauicula sibi deseruiret &c. Ecclesia de gentibus congregata fluctus seculi mente transgressa, quæ quanto sinum cordis gratiæ recipiendæ dilatat, tanto fluctus seculi securius calcat. Ne comprimerent eum &c. Comprimunt qui Ecclesiæ pacẽ turbant, tangunt, qui fide verò corde, & dilectione suscipiunt. Et spiritus immundi &c. Beda. Saniores Arrianis, qui etiam hodie negant filium Dei esse.

Cat.aur. Comminabatur &c. Beda. Prohibetur enim Dominum prædicare peccator, ne quis dum prædicantem audit, sequatur errantem, improbus enim magister est diabolus, qui falsa veris sæpe permiscet, vt spiritus veritatis testimonium fraudis obtegat.

SExtum miraculum habetur ibi. Et cum cognouissent eum viri loci illius, miserunt in vniuersam regionem illam, & obtulerũt ei omnes male habentes, & rogabant eum, vt vel fimbriã vestimenti eius tangerent: & quicunque tetigerunt salui facti sunt. 6 Mat. 14. d Mar. 6. g

Glos. interl. Et cum cognouissent eum &c. Magna fides, quod non contenti salute eorum, sed aliorum quærebant. salutem.

Glos.ord. Fimbriam vestimenti &c. Idest minimũ mandatũ, vel caro qua ad verbum Dei venimus, quam qui credendo tangit ab omni morbo impietatis sanatur.

Nicol. de Lyra. Et quicumque tetigerunt salui facti sunt &c. Idest corpore, & mente, quia illos, quos Christus sanabat corpo-
Ioa. 7.c re, sanabat, & mente, iuxta illud. Totum hominem saluum fecit in sabato.

7 Luc. 6.c Septimum habetur miraculum ibi. Et omnes turbæ quærebant eum tangere, quia virtus exibat de illo & sanabat omnes.

Glos.ord. Quęrebant eum tangere &c. Beda Tangit Christũ qui fideliter credit in eum, tangitur à Christo qui firmatur in illo, qui sic tangit, & tangitur spiritus ipsius virtute sanatur, tactus saluatoris est opus salutis.

Nicol.de Lyra. Quia virtus de illo exibat &c. Non intelligendum quod aliqua virtus existens in Christo transiret ad alias eadẽ numero, sed iste exitus intelligitur, in quantum effectus erit à causa, quia virtus diuina existens in Christo faciebat sanitates infirmis.

Cat. Aurea Cirill. Neque enim alienam virtutem accipieba Christus, sed cum naturaliter esset Deus propriam virtutem super infirmos emitttens sanabat omnes.

8 Matt. 15. Octauum miraculum habetur ibi. Et accesserunt ad eum turbę multę, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos, & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos, ita vt turbę mirarentur, videntes, mutos loquentes, claudos ambulantes cæcos videntes, et magnificabant Deum Israel.

Glos. Interl. Habentes secum mutos etc. A confessione Christi. Claudos etc. Non recte ambulantes in via Domini. Cæcos etc. A lumine fidei. Debiles etc. Sarcina peccatorũm. Proiecerunt eos etc. Quia mediatori per humilem aduentum curandos subijciunt sancti prędicatores. Ad pedes eius etc. Quasi confitendo humanitatem Christi. Ita vt turbę mirarentur etc. Quia fideles inęstimabilj gaudio exultant quando hęc vident.

Glos.ord. Cæcos etc. Cæci sunt qui non intelligunt, etiam si obediant iubentibus, surdi, qui non obediunt, etiam si intelligant.

Nic.de Lyra. Habentes secum cæcos etc. Istę infirmitates erant incurabiles via naturę, et medicinę, ideo propter curationes earum recurrebant homines ad Christum, cui nihil impossibile. Et

alios

alios multos etc. Hoc addit Euangelista ad includendũ omnia infirmitatum genera. Et curauit eos etc. Solo scilicet verbo, qui solo verbo poterat mundum de nihilo creare.

Cat. Aur. Et proiecerunt eos etc. Chris. Mulieris filiam cum multa tarditate curauit, vt eius virtutem ostenderet: His autem non quia meliores erant, sed vt infidelium Iudæorum ora obstrueret; confestim sanationem præbet, vnde sequitur, et curauit omnes: multitudo autem eorum qui curabantur, et facilitas sanitatis eos in stuporem mittebat: vnde sequitur; ita vt turbæ mirarentur.

NOnum habetur miraculum ibi. Et dicebat illis Iesus, quia non est Propheta sine honore, nisi in patria sua, in domo sua, et in cognatione sua: et non poterat ibi vllam virtutem facere, nisi paucos infirmos, impositis manibus curauit, et mirabantur propter incredulitatem illorum. 9 Mar. 6. a

Glos. ord. Non est Propheta etc. Prope naturale est ciues ciuibus inuidere, quod non opera sed infantiam, quam videre recordantur. Isid. Comitatur sæpe vilitas originem. Et non poterat ibi etc. Ne ciues incredulos peius condemnaret faciens multas virtutes, vel quia in patria despicitur, paucas ibi virtutes facit et signa, ne penitus excusabiles sint: Maiora quotidie ingentibus signa facit, non tam in coporum sanatione, quam animarum.

Nich. de Lyra. Et non poterat ibi etc.

Istud non posse non referetur ad potentiam eius absolutam sed congruitatis, et decentiæ, quia non erat congruũ quod ibi faceret multa miracula propter incredulitatem illorũ, fides enim credentium est meritoria de congruo, quod eis fiant miracula, sicut patet de muliere sanguiflua, cui dictum fuit à Christo, fides tua te saluam ſecit.

DEcimum habetur miraculum ibi. Per manus autem Apostolorum fiebant signa, & prodigia multa in plebe, et infra. 10 Act. 5. b

Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum, ita vt in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis, ac grabatis, vt veniente Petro saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus suis; concurrebant autem, & multitudo vicinarum ciuitatum, Ierusalem, efferentes ægros, & vexatos à spiritibus immũdis, qui curabantur omnes.

Glos. interl. Per manus autem Apostolorum &c. Non tamen per verba, vel vmbram sicut de Petro dictũ est. Virorum ac mulierum etc. Nullus sexus à Regno Dei excluditur, non est enim persona-

ſonarum acceptio apud Deum. Vt veniente Petro &c. Quaſi principe.

Gloſ.ordin. Per manus autem Apoſtolorum &c. Non ſolius Petri, licet pro honore eius cæteri taceantur. Augebatur credentiũ multitudo &c. Rab. tanta erat multitudo credentium, vt fidei creſcente fortitudine ſola ſufficeret vmbra. Saltem vmbra &c. Tunc Petrus vmbra corporis ſui inuiſibiliter alleuiabat infirmos: qui nunc inuiſibili ſuę intercesſionis vmbraculo fideles infirmos roborat, & implet ſententia Domini. Qui credit opera quæ ego facio,

Ioa.14.b & ipſe faciet, & maiora horum faciet.

Nicol. de Lyra. Signa, & prodigia multa in plebe &c. Non dicit in principibus, quia non credebant paucis exceptis, qui occultè Chriſtiani erant, vt Gamaliel, Nichodemus, & aliqui alij. Saltim vmbra eius &c. Ad oſtendendum quod erat principalis Apoſtolus.

11 Vndecimum habetur miraculum ibi. Philippus autem deſcen-
Act.8.b dens in Ciuitatem Samariæ, prędicabat illis Chriſtum. Intendebant autem turbæ his quæ à Philippo dicebantur vnanimiter audientes, & videntes ſigna quæ faciebat. Multi enim eorum qui habebant ſpiritus immundos clamantes voce magna exibant. Multi autem paralitici, & claudi curati ſunt: factum eſt ergo magnũ gaudium in illa Ciuitate.

Gloſ. interl. Gaudium magnum &c. Cognita veritate lætati ſunt de tenebris liberati.

Gloſ.ord. Intendebant autem turbæ &c. Rab. Credebant audientes verba, & videntes ſigna: duæ cauſæ fidei, propter verba prædicationis, & ſigna virtutum.

Nicol. de Lyra. Et videntes ſigna &c. Ideſt miracula diuinæ virtutis declaratiua in teſtimonium veritatis à Philippo prædicatæ. Factum eſt ergo &c. De veritatis cognitione, & dictorum curatione.

22 Dvodecimum miraculum habetur ibi. Virtuteſq; non quasli-
Act 19.c bet faciebat Deus, per manus Pauli, ita vt etiam ſuper languidos deferrentur à corpore eius ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur.

Gloſ.interl. Virtuteſque non quaslibet &c. Ideſt non modicas nulla enim virtus Dei modica eſt.

Nic.de Lyra. Non quaslibet &c. Ideſt non communes, ſed multas, & excellentes. Ita vt etiã ſuper languidos &c. Quod eſt maius quam ſi per tactum Pauli, vel eius orationem fierent talia.

Deci-

Decimum tertium habetur miraculum ibi. Contingit autem patrem Publij febribus,& dissenteria vexatum iacere. Ad quē Paulus intrauit, & cum orasset, & imposuisset ei manus, saluauit eum: quo facto, omnes qui in Insula habebant infirmitates accedebant,& curabantur, qui etiam mulis honoribus nos honorauerunt, & nauigantibus imposuerunt, quæ necessaria erant. 13 act.28.c.

Glos.ord. Contingit autem patrem &c. Describitur beneficiorum recompensatio, charitatiuè tamen, quia bona Dei non cadunt sub precio.

Nicol.de Lyra. Febribus,& dissenteria &c. His duabus infirmitatibus simul concurrentibus est homo morti proximus.

Moraliter. Per calorem febrium ardor cupiditatis designatur, per dyssenteriam, quæ attenuat corporis substantiam, vitium prodigalitatis designatur: per alias sanitates, quas facit Paulus in Insula significantur spirituales curationes, quas doctor bonus, vel prædicator facit in Ecclesia. Qui etiam multis honoribus &c. Spiritualia bona conferentibus debent exhiberi corporalia.

Dictum est de miraculis factis in genere, sequitur modo videre in specie de his, quæ facta sunt circa sanationem infirmorum particularium, secundum diuersas species infirmitatum.

Quorum primū habetur circa restitutionem luminis cęcis, iuxta illud. Cœci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euāgelizantur. 1 Mat. 11.

Primus autem cœcus, cui fuit lux restituta habetur ibi. Cumq; orasset Eliseus ait. Domine aperi oculos pueri huius, vt videat. Et aperuit Dominus oculos pueri,& vidit. Et ecce mons plenus equorum,& curruū igneorum,& in circuitu Elisei. Hostes verò descenderunt ad eum. Porrò Eliseus orauit ad Dominum dicens. Percute obsecro gentem hanc cœcitate. Percussit eos Dominus, ne viderent iuxta verbum Elisei. Dixit autem ad eos Eliseus: Non est hæc, neque ista Ciuitas, sequimini me, & ostendam vobis virū quē quæritis; duxit ergo eos in Samariam. Cumq; ingressi essent in Samariā dixit Eliseus. Domine aperi oculos istorum, vt videant. Aperuitq; Dominus oculos eorū,& viderunt se esse in medio Samariæ. a 4 Reg. 6 d

Glos. ord. Domine aperi oculos &c. Rab. Valde necesse est, vt Eliseus noster aperiat oculos cordi ad considerandum, quod omnes qui confidunt in illū non confundentur. Percute obsecro gentem &c. Bonum est oculum scādalizantē erui, vt intuitus malitiæ, & superbię obturetur,& oculus sanę fidei ac sinceritatis aperiatur. Duxit ergo eos &c. Primum Dominus eos excœcauit, deinde scientia spirituali ditauit, nobisque præcepit ita. Diligite inimicos vestros, Luc. 6.d

stros, & benefacite his qui oderunt vos.

Nicol.de Lyra. Domine aperi oculos &c. Idest da ei virtutem videndi ea,quę non possunt naturaliter videri.Percuti obsecro &c. Hic accipitur cœcitas pro acrisia, quæ dicitur ab à quod est sine, & crisis iudicium, & est passio, qua homo non percipit, vel diudicat secundum veritatem ea,quæ videt,& hoc modo percussi fuerunt sodomitæ, volentes Hostium Loth confringere.Domine aperi oculos &c. Remouendo Acrisiam prædictam.

2 Iob. 11. c SEcundus liberatus fuit. à Cecitate Tobias,vt habetur ibi. Tũc sumens Tobias de felle piscis liniuit oculos patris sui. Et sustinuit quasi dimidiam fere horam, & cœpit albugo ex oculis eius quasi membrana oui egredi, quam apprehendẽs Tobias traxit ab oculis eius, statimq; visum recepit: & glorificabant Deum ipse videlicet & vxor eius, & omnes, qui sciebant eum.

De hoc dictum fuit supra in nono miraculo creaturarũ, vel substantialium spiritualium.

3 Mat. 9.b TErtium habetur miraculum ibi. Et transeunte inde Iesu, secuti sunt eum duo cœci clamantes, & dicentes miserere nostri fili Dauid; cum autem venisset domum accesserunt ad eum cœci & dicit eis Iesus: creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei, vtique Domine: tunc tetigit ocluos eorum dicens:secundum fidem vestram fiat vobis & aperti sunt oculi eorum, & comminatus est illis Iesus dicens; videte nequis sciat.Illi autem exeũtes diffamauerunt eum in tota terra illa.

Glos.interl.Et transeunte inde &c. Transire volente de mundo ad patrem. Filij Dauid &c. Quem veram credimus assumpsisse carnem.Cum autem venisset &c. Cum cœlos ascendisset. Domũ &c. Domus in qua cœcos illuminauit, est sancta Mater Ecclesia.Accesserunt &c. Idest in vnitatem fidei conuenerunt.Creditis quia &c. Fidem confessio promat: Non quasi nescius interrogat,sed vt fides orando impetret,quod ipse vult dare.Tunc tetigit oculos eorũ&c. Confessio oris tactũ meretur pietatis. Secundum fidem vestrã &c. sicut fides illuminat mentem,ita oculis restituat lucem. Et aperti sunt oculi eorum &c. Non tamen in itinere sanati sunt, sed postquam venit domum, idest cœlos ascendit.Videte ne quis sciat &c. exemplum fugiendæ iactantiæ. Diffamauerunt eum &c. Propter memoriam gratię non possunt tacere.

Glos.ord. Transeunte Iesu &c. Idest de domo Principis, quæ synagoga est, sua autem domus est cœlestis Hyerusalẽ.Duo cœci &c. Sunt duo populi inscij, donec Christum cœperunt sequi.

Nic.

Nic. de Lyra. Secuti sunt eum duo cœci &c. Hic ponitur secundum miraculum principale in illuminatione cæcorum. Creditis quod hoc possum facere &c. Non quærit hoc quasi ignorans eorũ fidem, quia omnia sciebat per certitudinem, sed vt confessio exterior addatur fidei interiori, & sic sint digniores illuminati, quia secundum quod scribitur corde enim creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Et comminatus est illis Iesus &c. Christus noluit publicari miraculum, vt ostenderet humanam laudem esse fugiendam, voluit tamen publicari ad Dei gloriam, & sic isti illud publicando non peccarunt. Ro. 10. b

Catena Aur. Dicunt ei vtique Domine &c. Chris. Non vltra filium Dauid eum vocant, sed altius eleuantur, & dominationem confitentur. Videte ne quis sciat &c. Hilar. Silentium cœcis Dominus imperat, quia Apostolorum proprium erat prædicare.

QVartum habetur miraculum ibi. Et ecce duo cœci sedentes secus viam, audierunt quia Iesus transiret, & clamauerunt dicentes, Domine miserere nostri, filij Dauid: Turba autem increpabat eos vt tacerent: At illi magis clamabant dicentes: Domine miserere nostri, filij Dauid, & stetit Iesus, & vocauit eos, & ait, quid vultis vt faciam vobis? Dicunt illi: Domine vt aperiantur oculi nostri: Misertus autem eorum Iesus tetigit oculos eorũ, & confestim viderunt, & secuti sunt eum &c. 4 Mat. 20. d Mar. 10. g Luc. 18. g

Glos. interl. Et ecce duo cœci &c. Vterque populus sine Christo cœcus. Sedentes secus viam &c. Iam voto Christum cognoscere cupientes aduentus eius præconia audierunt. Clamauerunt dicentes &c. Magno desiderio illuminari postulauerunt confessi Dauid filium. Domine miserere nostri &c. Quem Deum credimus filium hominis factum. Turba autem &c. Carnalia desideria, vel persecutiones obstabant. Magis clamabant &c. Orando, pulsando insistebant, donec strepitum turbæ vincerent. Domine miserere nostri &c. Quia fides incarnationis temporalis ad æternam intelligentiã nos præparat. Quid vultis, vt faciam vobis &c. Non ignorantia, sed audire vult confessionem, qui nouerat intentionem. tetigit oculos &c. Oculos tangit, qui radijs suæ lucis conscientiam illustrat. Et confestim viderunt &c. Fide. Secuti sunt eũ &c. Imitatione.

Glos. ord. Ecce duo cœci &c. De istis vnum commemorat Marcus, qui erat in ciuitate famosissimus, & alterum commemorat Lucas per quos significantur gentes, & iudæi. Et stetit Iesus &c. Transiens audit, stans illuminat, qui per humanitatem misertus per verbi æternitatem, quod non mouetur lumen reddit, quia cœ-

ci sequi non poterant, stat & iubet vocari ne turba prohibeat.

Nic. de Lyra: Et stetit Iesus &c. In hoc apparet eius clementia, quod non dedignatus est stare, & alloqui personas viles, & pauperes. Et confestim viderunt &c. Ex quo apparet quod illa illuminatio fuit miraculosa, non naturalis, quia natura non operatur in instanti. Et secuti sunt eum &c. Fide scilicet & moribus, quia illi qui illuminati sunt à Christo corporaliter ab ipso illuminati sunt etiam mentaliter.

Cat. Aur. Turba autem increpabat &c. Chris. Videbant enim sordidas vestes, & non considerabant conscientiæ claritatem. Hil. inuitabantur autem magis vetiti, quam compescebantur, fides .n. quando vetatur, magis accenditur, & ideo in periculis secura est, & in securitate periclitatur, vnde sequitur at illi magis clamabāt, primo enim clamabant, quia cæci erant secundo, quia vetabantur ad lumen accedere. Domine vt aperiantur oculi nostri &c. Quamdiu dixerunt filij Dauid suspensa est sanitas, vbi autem dixerunt dominé infusa est sanitas, filius Dauid cæcos illuminare non potest, filius Dei potest. Tangit oculos eorum &c. Chris. Tetigit vt homo carnaliter, sanauit vt Deus. Hyer. Præstat enim artifex, quod natura non dederat, aut certe quod debilitas tulerat misericordia donat. Et secuti sunt eum &c. Chris. Hi sicut ante donationem fuerunt perseuerantes ita et post donationem non fuerunt ingrati, bonum enim munus obtulerunt Christo sananti; Nam hoc à te Deus requirit secundum Prophetam solicitum te ambulare cum Domino Deo tuo.

5 Mat. 21. b QVintū habetur miraculum cæci illuminati ibi. Et accesserunt ad eum cæci & Claudi in templo, & sanauit eos.

Glos. interl. Et accesserunt &c. Calumniatoribus virtutis potentiam ostendit, vt in his facta corporaliter, melius fiant in illis spiritualiter.

Glos. ord. Et accesserunt &c. Simplices peccatores ad se per pœnitentiā accendentes prius cæcos in cognitione, & claudos in operatione illuminando, & in viam rectitudinis dirigendo quotidie sanat.

Nic. de Lyra. Et sanauit eos &c. Virtute propria, quod non poterat facere virtus creata, à priuatione enim in habitum non fit regressus per naturam.

Moraliter. Et accesserunt &c. Cæci sunt ignorantes, Claudi verò rectitudinem Iustitiæ dimittentes.

Cat. Aurea. Et accesserunt ad eum cæci &c. Orig. In templo enim Dei, idest in Ecclesia, non sunt omnes videntes, neque recte ambu-

ambulantes, sed qui ex eis intelligunt, quia nullius est opus nisi Christi vt sanetur, accedentes ad verbum Dei sanantur. Remig. Quod autem in templo sanantur significat homines, non nisi in Ecclesia sanari posse, cui data est potestas, ligandi, atque soluendi. Hyer. Nisi autem mensas nummulariorum, subuertisset cathedrasq; columbas vendentium, cęci, & claudi lucem pristinam, & concitũ gradum in templo non meruissent recipere.

SExtum habetur miraculum ibi. Et veniunt Bethsaidem & ad- 6
ducunt ei cœcum, & rogabant eum, vt illum tangeret: & ap- Mat. 8. c
prehensa manu cœci, eduxit eum extra vicum, & expuens in ocu
los eius impositis manibus suis interrogauit eum, si quid videret:
& aspiciens ait, video homines velut arbores ambulantes: deinde
iterum imposuit manus super oculos eius, & cœpit videre, & re-
stitutus est, vt clare videret omnia. & misit illum in domum
suam dicens, vade in domum tuam, & si in vicum introieris, ne-
mini dixeris.

Glos. interl. Et veniunt Bethsaidem &c. Hyer. Domus vallis idest mundus, qui est vallis lachrymarum. Adducunt ad eum cęcum &c. Qui non videt quod fuit, quod est, quod erit. Si aliquid videret &c. Maiestatem à magnitudine enim creaturæ cognoscitur creator. Et cępit videre &c. Mundo corde. Nemini dixeris &c. Her. Idest tui cordis cęcitatem prædica, non virtutem.

Glos. ord. Et expuens &c. Beda: Spiritum ab intus à capite Domini procedit: Manus verò membra corporis exterius posita, expuens ergo in oculos cęci manus suas imponit, vt videat cęcitatem humani generis, & per inuisibilia diuinæ pietatis dona, & per ostensa à foris sacramenta assumptæ humanitatis absterfit, quem vno verbo totum simul curare poterat, paulatim curat, vt magnitudinem humanæ cęcitatis ostendat. Deinde iterum &c. Hyer. Vt clare videret omnia, idest per opera visibilia & inuisibilia intelligeret. Nemini dixeris &c. Beda: Sanationem silere iubet, exemplum est suis, ne si miranda faciant, fauorem quærant, sed diuinis aspectibus sint placere contenti.

Nic. de Lyra. Et restitutus est ita &c. Certum est quod Christus poterat eum statim perfecte illuminare, sed per talem mundũ fecit, vt designaret discipulos ad huc in parte obscuratos caligine ignorantiæ, & ad clare intelligendum indigebant maiori illuminatione.

Cat. Aur. Misit illum in domum suam &c. Theod. Postquam sanauit, mittit, in domum; Nam domus vniuscuiusque nostrum cęlum est, & mansiones quæ sunt in eo.

7 Ioan.9.a Septimum habetur miraculum ibi. Et pręteriens Iesus vidit hominem cœcum à natiuitate, & interrogauęrunt eum Discipuli eius. Rabbi, quis peccauit, hic aut parentes eius, vt cęcus nasceretur? Respondit Iesus. Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed vt manifestetur opera Dei in illo. Me oportet operari opera eius: qui misit me, donec dies est, venit nox quando nemo potest operari, quādiu sum in mundo, lux sum mundi. Hoc cū dixisset expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius, & dixit ei. Vade laua in natatoria Siloe (quod interpretatur missus.) Abijt ergo & lauit, & venit videns &c.

Glos. interl. Vidit hominem &c. Idest misertus est. Rabbi quis peccauit &c. Magistrum appellant, quia scire desiderāt. Me oportet operari &c. Prædicare illuminare cœcos. Opera eius qui misit me &c. Quia filius de illo, ipse de nullo, vnde gloriam dat illi: ecce ille missus, in quo cœcus oculos lauit. Donec dies est &c. Dum sum in mudo. Venit nox &c. Idest persecutio Apostolorum, persecutio Antichristi. Lux sum mundi &c. Ecce quis est dies, in eo cœcus lauat oculos, videt diem. Hæc cum dixisset &c. Monens bonos, & terrens malos. Et fecit lutum &c. Ecce collyrium qno vngitur genus humanum. In natatoria &c. In piscina, quæ dicitur Siloe.

Glos. ord. Et præteriens &c. Non stans in via peccatorum, sed secus viam nostræ mortalitatis. Vidit hominem cęcum &c. Cęcus significat humanum genus, in quo cœcitas naturalis, quia peccante primo homine vitium propter naturam inoleuit, vnde secūdum mentem omnis homo cęcus natus est. Venit nox &c. Nox illa est infernalis, in qua nulli licet operari, vt nec ardenti diuiti licuit, sed tantum est tempus recipiendi. Et fecit lutum &c. Sicut primum hominem de limo terræ formauit, ita per idem genus luti genus humanum reformauit. De saliua lutum fecit, quia verbum caro factum est. Saliua est sapientia, quæ ex ore altissimi prodijt. Terra est caro Christi, vnxit oculos, idest cathecuminum fecit, qui credit verbum carnem factum. Vnctus nondum videt, sed mittitur vt lauet, idest baptizetur in misso, idest in Christo, propter quod nomen piscinæ interpretatur: Baptizatus à peccatis lumen recepit. Vade & laua &c. Cęcitas hominum non potest sanari, nisi doctrina aquarum Christi. Et venit videns &c. Cęcus iste sine fide ipsius factus est sanus, quoniam propter gloriam Dei languebat.

Nico. de Lyra. Me oportet operari &c. Istud non importat coactionem voluntatis in Christo, sed immobilitatē eius à diuina ordinatione. Opera eius qui misit me &c. Scilicet patris hoc dixit, quia miracula illa faciebat virtute diuina, & humanitas Christi ope-

sti operabatur instrumentaliter.

Cat. aur. Venit nox &c. Chris. Cum viuis fac, si quid facturus es, vltra enim neque fides est, neque labor est, neq; pœnitentia. Expuit in terra &c. Chris. Qui enim maiores substantias de nihilo adesse produxit, multo magis oculos sine materia fecisset, sed voluit docere se ipsum esse creatorem, qui in principio vsus est luto ad hominis formationem.

Octauum habetur miraculum ibi. Surrexit autem Paulus de terra apertisq; oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes introduxerunt Damascum, & infra. 8 Act. 9. b

Et abijt Ananias, & introiuit in domum, & imponens ei manus dixit. Saule frater, Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, vt videas, & implearis Spiritu sancto, & confestim ceciderunt ab oculis eius, tanquam squamæ, & visum recepit, & surgens baptizatus est: & cũ accepisset cibũ confortatus est &c.

Glos. interl. Vt videas, & implearis &c. Vtroque modo videas in baptismo. Et cum accepisset cibum confortatus est &c. Duplicem dupliciter confortatus est.

Glos. ord. Apertisq; oculis &c. Rab. Ostenditur ei in corpore, quod prius patiebatur in anima, sicut enim apertus oculus sine visu, sic lex inutilis sine fide Christi. et introinit in domum &c. Impleta est prophetia. Habitabit lupus cum agno. i. Saulus cum Anania. Tanquam squamæ &c. Serpentis corpus squamis tegitur. Iudæi serpentes sunt, & genimina viperarum, quorum perfidiam Saulus sequutus, quasi pelle serpentis oculos cordis texerat, sed cadentibus squamis sub manu Ananiæ monstratur in facie, quod lumen recepit in mente. Esa. 11. B

Sequitur modo videre, seruato ordine iam præposito de restitutione sanitatis illis, qui infirmitate detenti ambulare non poterant.

Quorum primum habetur ibi. Cum autem intrasset Capharnaũ accessit ad eum Centurio rogans eum dicens. Domine puer meus iacet in domo paraliticus, & male torquetur: & ait illi Iesus. Ego veniam & curabo eum, et respondens Centurio ait. Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. Nam et ego homo sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic vade, et vadit, et alio veni, et venit, et seruo meo fac hoc, et facit. Audiens autem hæc Iesus miratus est. et sequentibus se dixit. Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel: Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, et 1 Matt. 8. a Luc. 7. a

Occi-

occidente venient, & recumbent, cum Abraam, & Isac, & Iacob, in regno cęlorum, filij autem Regni eijcientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium, & dixit Iesus Centurioni, vade & sicut credidisti fiat tibi: & sanatus est puer ex illa ora &c.

Glos. interl. Accessit ad eum centurio &c. Fide & desiderio. Ego veniam &c. Scilicet virtute, virtus enim Christi præsens fuit, quæ ipsum suscitauit. Domine non sum dignus &c. Ecce humanitas. Sed dic tantum verbo &c. Magna fides, quæ Dei dicere credit esse facere, Nam & ego homo &c. Ecce prudentia. Miratus est, &c. Non vt turbati animi, sed docentis nos, quos opus est moneri de huiusmodi, & mirari. Tantam fidem in Israel &c. Et si à Prophetis edocti. Filij autem Regni &c. Idest Hebræi. Vade sicut credidisti &c. Cuique sicut credit ita fit. Et sanatus est puer &c. Probatur fides Domini dum sanitas serui sequitur.

Glos. ord. Accessit ad eum Centurio &c. In hoc discamus sic miserere conseruis. Ego veniam &c. Magna humilitas quia seruum dignatur visitare, ad filium reguli ire noluit, ne diuitias honorare videretur. Non sum dignus &c. Propter conscientiam vitæ gentilis, nam non dum erat sacramentis imbutus, licet haberet fidem. Filij autem regni &c. Quia in hoc mundo fruuntur beneficijs Dei, nam pluit super iustos, & super iniustos; nunc enim videntur in facie Domini, sed tunc minime.

Nicol. de Lyra. Domine non sum dignus &c. Eo quia forte in domo sua habebat idola, quia erat gentilis. Audiens autem Iesus &c. Ex fide huius gentilis, & infidelitate Iudeorum concludit saluator vocationem gentium, ad fidem & reprobationem Iudæorum. Filij autem Regni &c. Idest Iudæi, ex quibus Christus natus est, & quibus principaliter missus fuit ad prædicandum Euangelium Regni cęlestis.

Cat. aur. Domine puer meus &c. Chris. Infirmitatem tanto exposuit, remedium autem sanitatis in potestate misericordiæ eius dimisit. Remig. Recte Centurio pro puero suo rogat, quia primitiæ gentium pro salute totius gentilitatis Deo supplicauerunt. Ego veniam & curabo eum &c. Chris. Quod nunquam fecit, hic facit Iesus, vbique enim sequitur voluntatem supplicantium, hic autem præsilit, & non solum curare promittit, sed ire ad Domum, facit autem hoc vt discamus Centurionis virtutem. Domine non sum dignus &c. Aug. De verbis Domini; Dicendo autem se indignum præstitit dignum; non in cuius parietis, sed in cuius cor verbum Dei Christus intraret. Orig. Vbi corpus et sanguinē Domini manducas & bibis, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur, & tu ergo humilians, te ipsum, dicas Domine non sum di-

gnus

gnus &c. Vbi n. indignè ingreditur, ibi ad Iudiciū ingreditur acci-
pienti. Hyer. Prudentiā Centurionis apparet q: hoc, q̄ vltra corpo-
ris tegimen latentē vidit diuinitatē. Hilar. Dicit etiam Centurio
puerū verbo posse sanari, quia salus gentiū omnis ex fide est Chris.
Nā & ego homo &c. In quo patet quod inter se, & Christū non com
parationis differentiam fecit, sed rationem similitudinis introdu-
xit. Aug. de verb. Dom. Si ego qui sum sub potestate iubendi po-
testatem habeo, quid tu potes, cui omnium seruiunt potestates?
Amen dico vobis &c. Aug. Contra Faustum fidem laudat illius non
autem desertionem militię. Non inueni tantam fidem &c. Hyer.
Hoc antē de præsentibus loquitur, non dę omnibus retro Patriar-
chis, & Prophetis.

SEcundum habetur miraculum ibi. Et ascendens Iesus in naui- 2
culam transfretauit, & venit in ciuitatem suam: Et ecce offe- Mat. 9. a
rebant ei paraliticum iacentem in lecto, & videns Iesus fidem illo- Mar. 2. a
rum, dixit paralitico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, Luc. 5. d
& ecce quidam de scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat: &
cum vidisset Iesus cogitationes eorum dixit; vt quid cogitatis ma
la in cordibus vestris? quid est facilius dicere dimittuntur tibi pec
cata tua: surge, & ambula? vt autem sciatis, quia filius homi-
nis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait pa-
ralitico: surge tolle lectum tuum, & vade in domum tuam: Et su-
rexit & abijt in domum suam: videntes autem turbæ timuerunt,
& glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

Glos. interl. In ciuitatem suam &c. Idest in Galileam. Parali-
ticum iacentem &c. Animam in lecebris carnis resolutam. In le-
cto &c. In corpore vbi iacet anima, vel in voluptate seculi. Con-
fide fili remittuntur tibi &c. In hoc innuit se Deum. Hic blasphe-
mat &c. Cum sit homo, quod Dei est arrogat sibi. Vt quid cogita-
tis &c. Qua potestate cogitationes vestras video, & peccata pos-
sum dimittere. Surge & tolle lectum tuum &c. Vt maius miracu-
lum sit. Vade in domum tuam. Nę christiana fide curatus more-
ris in perfidia Iudæorum.

Glos. ord. Offerebant ei Paraliticum &c. Doctores sunt qui
subleuant, & offerunt Christo monendo, & intercedendo: Idem il-
lorum &c. Quantum valet apud Deum fides propria, apud quem
sic valuit aliena, vt intus, & extra sanaret hominem. Confide fi-
li remittuntur tibi &c. Ecce modus curationis, prius dimittit pec-
cata tollens causam morbi, post curat corpus. Quid est facil-
lius &c. Quinque modis infirmitates contingunt, vel vt iusti me-
rita per patientiam augeantur, vt Iob, vel ad custodiam virtu-

tum

tum superbia tentet, vt Paulus, vel ad corrigenda peccata, sicut Mariæ lepra, & huic paralitico, vel ad gloriam Dei, vt de cæco nato, & de Lazaro, vel ad initium penæ vt Hærodi. Quid est facilius dicere &c. Beda: Quoniam hoc spirituale non creditis, probetur signo visibili, quod non minoris constat esse potentiæ; vt in filio hominis latentem cognoscatis potentiam maiestatis, quæ potest dimittere peccata vt Deus. Tunc ait Paralitico &c. Ecce per remissionem pænæ dimissionem culpæ intellige. Surge & ambula &c. Surgere est animam à carnalibus desiderijs abstrahere lectũ tollere, est carnem à terrenis desiderijs ad voluntatem spiritus attolere, domum ire est ad paradisum redire, vel ad internam sui custodiam ne iterum peccet. Tolle lectum tuum &c. Vt quod fuit testimoniũ infirmitatis sit probatio sanitatis. Et surrexit, & abijt &c. Magna virtus vbi sine mora imperium salus comitatur: vnde merito qui aderant relictis blaspemijs stupentes ad laudem conuectuntur tantæ maiestatis.

Nic. de Lyra. Dixit Paralitico confide &c. Licet sanitas corporis, vel aliquid huiusmodi detur alicui propter alienam fidem, remissio tamen peccatorum non datur alicui sine propria fide.

3 Ioa. 5. a TErtium habetur miraculum ibi: Post hæc erat dies festus Iudeorum, & ascendit Iesus Hierosolymam: Est autem Hierosolimis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida, quinque porticus habẽs; in his iacebat multitudo magna languentium, cęcorum, Claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum: Angelus autem Domini secundum tempus descẽdebat in piscinam, & mouebatur aqua, & qui prior descendisset in piscinã post motionem aquæ sanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate: erat autem, quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua: Nunc autem cum vidisset Iesus iacentem, & cognouisset, quod iam multum tempus haberet dicit ei, vis sanus fieri? Respondit ei languidus, Domine hominem non habeo, vt cum conturbata fuerit aqua mittat me in piscinam, dum venio enim ego, alius ante me descendit; dicit ei Iesus, surge tolle grabatum tuum, & ambula, & statim sanus factus est homo ille, & substulit grabatum suum, & ambulabat.

Glos. interl. Expectantium aquæ motum &c. Idest mortem Christi, et inde redemptionem. Et qui prior descendisset etc. Et si plures sanantur morte Christi propter vnitatem tamen vnus dicitur sanari. Vis sanus fieri? &c. Incitat eum ad fidem, quia non nisi volens debet fieri sanus. Surge &c. Idest à vitijs, et ambula de virtute in virtutem.

Glos.ord. Aqua piscinæ significat populum Hebræorum, qui modo stat quietus, modo ventis tentationum turbatur. Piscina quinque porticus habens, significat legem, in quinque libris existentē, ibi multi infirmi, quia lex non sanat, sed prodit infirmos, vt aliquādo quærant medicum. Cœci ibi sunt, qui non habent lumen fidei. Claudi qui quod vident non possunt operari. Aridi qui quicquid agunt sunt sine pinguedine charitatis, expectabant aquæ motum, in quo sanitas fiebat per Angelum, qui lege coniuncti gratiam redemptionis desiderabant. Angelus filius Dei latens in carne inter Iudæos, qui moti sunt doctrinis eius, ad prosequendum, cuius morte sanatur vnitas, quæ per humilitatem descendit ad fidem passionis. Angelus autem &c. Ecce duo miracula, vnum inuisibiliter per Angelum in piscina: alterum visibiliter à Domino. Vis sanus fieri &c. Non nescit quod velit, sed ascendit ad amorem sanitatis. Tolle grabatum &c. Dilige proximum infirma eius tolerando, qui te infirmū patiēter tollit. Et ambula &c. Diligendum Deum festina vsque ad visionem eius.

Nicol. de Lyra. Et qui prior descendisset &c. Causa huius miraculi, quia appropinquante Euangelij veritate, Dominus voluit figuram expressam baptismi, in hac piscina ostendere, quæ conueniebat in baptismo in mundando, & sanando virtute Dei occulta ad motionem Angeli, sicut baptismus sub sensibili elemento mundat animam virtute occulta verbi. Et statim sanus factus est &c. Quia diuina virtus infinita est, & operatur in instanti.

Moraliter. Surge tolle &c. Per hoc quod vnus tantum inter tantos sanatur, significatur quod pauci saluantur de multitudine vocatorum. Per lectum autem in quo iacebat languidus, significatur praua consuetudo, per quam iacet homo in peccato.

Cat. Aur. Probatica piscina &c. Chris. Volens Deus propinquius ducere ad baptismum, non adhuc inquinamenta solum mundat, sed etiam ægritudines sanat. Surge tolle grabatum tuum &c. Tria dixit, sed surge non operis imperium fuit, sed operatio sanitatis: sano autem duo imperauit: tolle grabatum tuum, & ambula. Chris. Intuere diuinæ sapientiæ super abundantiam, non solum sanat, sed & lectum portare iubet, vt & credibile faceret miraculum, & nullus existimet phantasiam esse, quod factum est. Nō enim nisi certissimè, & vehementer compacta essent membra lectulum ferre posset. Beda. Multum quidem inter sanitatem Domini, & quæ à medicis infertur distare probatur; hac videlicet voce iubentis, & mox impletur; illa verò per multa temporis interualla aliquoties perficitur.

4 Act. 9. f
QVartum habetur miraculum ibi. Factum est autem, vt Petrus dum transiret vniuersos, deueniret ad Sanctos, qui habitabāt Lyddę. Inuenit autem hominem, quendam nomine Æneam ab annis octo iacentem in grabato, qui erat paraliticus: Et ait illi Petrus. Ænea sanet te Dominus Iesus Christus, surge, & sterne tibi: & continuo surrexit: & viderunt eum omnes, qui habitabant Lyddæ, & Sarone, qui conuersi sunt ad Dominum.

Glos. interl. Sanet te Dominus &c. Non ego, Domini enim sui non suam quærit gloriam, impletur illud, saliet sicut ceruus claudus. Sterne tibi &c. Non alius tibi sternat. Conuersi sunt ad Dominum &c. Cum prius essent auersi.

Glos. ordin. Iacentem in grabato &c. Grabatum est segnities, in qua quiescit animus eger, qui infirmatur voluptate carnis, & delectatione seculi. Surge sterne tibi &c. Insinus vt quod in fide in corde perceperat, non solum torporem discutiat, sed etiam opera paret in quibus quiescat.

Nicol. de Lyra. Ab annis octo iacentem &c. Ex infirmitatis diuturnitate, & eius incurabilitate sequens curatio subita mirabilior declaratur.

Aug. lib. 3. cap. 15. de mirab. sac. script.

Quando Petrus paralitico dixit: surge, & ambula magistri præceptum seruans. Nolite habere aurum, neque argentum, dum soli Deo seruiens de iniquo mammona expeditus fuerat, verbo imperij morbo ligatum cito soluebat.

5 Act. 3. a
QVintum habetur miraculū ibi. Petrus autem, & Ioannes ascēdebant in templum ad horam orationis nonam. Et quidā vir qui erat claudus ex vtero matris suæ baiulabatur, quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur speciosa, vt peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum. Is cum vidisset Petrum, & Ioannē incipientes introire in templum, rogabat vt eleemosynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus, cum Ioanne dixit. Respice in nos. At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit. Argentum & aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Iesu Christi Nazareni, surge et ambula. Et apprehensa manu eius dextera alleuiauit eum, et protinus consolidatæ sunt bases eius, et plantæ, et exiliens stetit, et ambulauit, et intrauit cum illis in templum, ambulans, et exiliens, et laudans Deum, et vidit omnis populus eum ambulantem, et laudantem Deum. Cognoscebant autem illum, quod ipse erat qui ad eleemosynam sedebat ad speciosam portam templi, et impleti sunt stupore, et ecstasi in eo quod contingerat illi etc.

Glos.

Glos. interl. Ascendebant in templum &c. Qui orat ascendit. Qui erat Claudus exutero &c. Cuius difficillima est sanitas, stante maxime diuturnitate. Eleemosinam ab introeuntibus &c. Misericordes fore credidit, eos qui templum frequentarent. Respice in nos &c. Vt videret eos esse pauperes. In nomine Iesu &c. Gratus seruus non se, sed Dominum glorificat, vt credatur in eũ, cui resistebant. Surge & ambula &c. Plenam salutem in his duobus dat ambulatio enim sanitatis est probatio. Manu eius dextera &c. Dextera est salutis prosperitas. Protinus consolidatæ sunt &c. Non medicinali tarditate. Intrauit cum illis in templlum &c. Exemplum est gratias agendi Domino. Et impleti sunt stupore &c. Non fide.

Glos. ordin. Claudus ex vtero &c. Beda Populus Israel non solum ab incarnatione, sed etiam à tempore legis rebellis, quasi exu tero matris claudus fuit. Quæ dicitur speciosa &c. Beda. Porta templi speciosa Dominus est, per quam qui intrat saluatur. Argentum, & aurum &c. Memor illius præcepti, Nolite posidere aurum & argentum. Et apprehensa manu eius &c. Beda. Quem verbo erigit, & dextera confortat, quia sermo docentis, minus valet in auditore, si non commendatur exemplo propriæ actionis. Et exiliens stetit & ambulat. Ordo perfectionis, primo surgit, qui iacuerat deinde iter virtutum arripit, & sic regni ianuam cum apostolis intrat. Impleti sunt stupore & hecstasis &c. Beda. Pauore, & excessu mentis, dicitur etiam extasis, cum mens à pauore non alienatur, sed inspiratione reuelationis assumitur? Mat. 10. b

Nicol. de Lyra. Respice in nos &c. Non in nostra, propter quod subditur argentum, & aurum. Et exiliens stetit &c. In quo ostenditur curatio perfecta, & in instanti quā solus Deus potest facere.

Moraliter. Dei templum dicitur proprie locus beatorũ de quo dicitur, in templo eius omnes dicent gloriam, huius templi porta speciosa est Beata virgo, de qua cãtat Ecclesia, fęlix cœli porta.

SExtum habetur miraculum in hoc genere ibi. Paulus autem & & Barnabas morabantur lystris, & quidam vir lystr is infirmus 6
pedibus sedebat claudus ex vtero matris suæ, qui numquam ambulauerat. Hic audit Paulum loquentem: qui intuitu s eum, & videns quia fidem haberet, vt saluus fieret, dixit magna voce: surge super pedes tuos rectus: & exilijt & ambulabat, turbæ autem cũ vidissent quod fecerat Paulus, leuauerunt vocem suam lycaonice dicentes. Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos: & vocabant Barnabam Iouem, Paulum verò Mercurium, quoniã ipse erat Dux verbi &c. Act. 14 b

Glos. interl. Sedebat Claudus &c. Quia nec stare, nec ambulare poterat. Ex vtero matris suæ etc. Maior virtus in sanatione illius, qui ab vtero, claudus, nunquam ambulauerat.

Nicol. de Lyra. Et quidā vir etc. Hic ponitur prædicationis cō firmatio, per opus miraculosum, Hoc enim modo confirmantur illa, quæ transcendunt intellectum humanum cuiusmodi sunt ea quæ sunt fidei. Qui intuitus eum etc. Visu corporali, et mentali, Videns quod fide etc. Fides enim oculis corporalibus videri non potest.

Moraliter. Per istum, qui claudus erat ex vtero matris suæ significatur, quilibet descendens ex Adam, qui nascitur cum fomite peccati, qui facit eum à rectitudine rationis declinare. Dij similes etc. Per istos significantur adulatores diuinos honores prælatis, vel principibus, seu quibuscumque hominibus impendentes.

MOdo videndum est de his qui morbo lepræ laborarunt, et liberati sunt.

1 Quorum primum habetur ibi. Dixitque Dominus rursum. Mitte
Exo. 4. b manum tuam in sinum tuum, quam cum misisset in sinum protulit leprosam instar niuis. Retrahe ait, manum tuam in sinum tuum. Retraxit, et protulit iterum, et erat similis carni reliquæ: si non crediderint, inquit tibi, neque audiuerint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis etc.

Glos. interl. Protulit leprosam etc. Quia populus à Deo remotus factus est immundus. Et erit similis carni etc. Hoc implebitur cum Israel saluus fiet.

Ps. 73. b Glos. ord. Mitte manum tuam etc. Populus foras à Deo missus factus est immundus, vt quid auertis manum tuam, et dexteram tuam, sed reuocata redibit ad pristinum calorem.

Moraliter. Cum Moyses mitteretur in Ægyptum, per quem designatur prædicator missus, debuit sibi dari discretio discernendi inter lepram, et non lepram, et hoc designatur per manum eius, quæ leprosa, atque munda de sinu eius profertur.

Aug. de mirab. sac. scrip. cap. 17. lib. 1.

Contra naturam id minimè factum apparet, lepræ enim sanitatem insitam, vt alternatim sæpe probatur carnis humanæ natura retinet: sed crebra talis mutatio, vt in eodem momento sana manus, et lepra cādens, et rursum sana appareret, miraculum insignissimi signi intuentibus præbet.

2 SEcundum habetur miraculum in hoc genere ibi. Locutaque est
Nu. 12. a Maria, & Aaron contra Moysem, propter vxorem eius Et hyo-

pissam:

pissam: & dixerunt; Num per solum Moysem locutus est Dominus Non ne, & nobis similiter est locutus? quod cum audisset Dominus iratus est valde, & infra.

Et ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix: Cumque respexisset eam Aaron, & vidisset perfusam lepra, ait ad Moysem; obsecro Domine ne imponas nobis hoc peccatum, quod stulte comisimus, ne fiat hæc quasi mortua, & vt abortiuum quod projicitur de vulua matris suæ: Ecce iam carnis eius deuoratum est a lepra: clamauit Moyses ad Dominum, dicens, Deum obsecro sana eam, cui respondit Dominus, si pater eius spuisset in faciem eius non ne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi? separetur septem diebus extra castra & postea reuocabitur: exclusa est itaque Maria extra castra, septem diebus & populus non est motus de loco illo, donec reuocata est Maria etc.

Glos. Interl. locuta est Maria etc. Prophetia. Et Aaron etc. Sacerdotalis plebs carnale sacerdotium. Contra Moysem etc. Christum. Ethiopissam etc. Ecclesiam de gentilibus congregatam. Septem diebus etc. Septimana huius mundi. Extra castra etc. Ecclesiæ. Populus non est motus etc. Quia nullus ex eis perfectus, donec mundetur Maria à lepra.

Glos. ord. Locuta est Maria &c. Orig. Maria Plebs Iudaica, Moyses lex Domini est, quæ transit ad connubium Ethyiopissæ Ecclesiæ, scilicet de gentilibus congregatæ. Septem diebus, & populus non est motus &c. Maria quidem interueniente Aaron Pontifice septimo die curatur; Nos autem obtrectantes vsque ad finē septimanæ mundi, idest vsque ad resurrectionem permanebimus leprosi, nisi dum pœnitendi tempus est corrigamur conuersi ad Iesum, & per pęnitentiam supplicantes ei.

Nicol. de Lyra. Clamauit Moyses ad Dominum &c. Tanquam immemor iniuriæ, memor clementiæ. Separetur septem diebus extra castra &c. Eo modo quod leprosi eijciebantur de castris. Aug. de mir. sac. scrip. lib. 1. cap. 28. Aaron castigatus Dei sermone oleo vnctionis à vindicta defenditur, Maria verò lepræ candore corpus laceratur.

Tertium habetur miraculum ibi. Naamam Princeps militiæ 3
regis Syrię, erat vir magnus apud Dominū suum, & honora- 4. Reg. 5
tus, per illum enim dedit Dominus salutem Syriæ: erat autem vir a. g.
fortis, & diues, sed leprosus & infra.

Misitque ad eum Helyseus nuncium dicens: Vade & lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis, & infra.

Descen-

Descendit, & lauit in Iordane septies Iuxta sermonem viri Dei, & restituta est caro eius, sicut caro pueri paruuli, & mundatus est, reuersusque ad virum Dei, cum vniuerso comitatu suo, venit & stetit coram eo, & ait, verè scio quod non sit alius Deus in vniuersa terra, nisi tantum in Israel.

Glos.ord. Naamam gentiles significat virtute bellorum principatum gerentes, ac rerum decore fruentes, sed tamen leprosus per errorem Idolatriæ: Veniens ad domum Helisei, significat accedere ad Ecclesiam, lauans in flumine Iordanis, regeneratur vt in sacramento Baptismi, lauare septies non est referendum, ad baptismi receptionem, quod recipitur semel tantum, sed ad septiformen gratiam Spiritus sancti, quæ confertur in baptismo.

Nic.de Lyra. Verè scio quod non sit alius Deus &c. Et sic fidem vnius veri Dei, quam conceperat corde confessus est ore, secundum illud corde creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem.

Aug.lib.2.cap.24.de mirab.sac.script.

Ex hac re manifestissime declaratur, quòd in sermone imperantis Dei, secundum imperium Prophetæ: non in re aliqua virtutis sacramentum continetur, quoniam si sine imperio Prophetæ. Immo Dei per Prophetam Naamam in Iordane se lauaret, suę leprę purgationem nullo modo tam cito reciperet: vnde peruidendum est istas omnes virtutes, nō rerum temporalium affectibus, sed imperantis præcepto peragi, quamuis contra naturā, nihil in illarū, vel affectione harū certum est perfici. In quarum tamen perfectione, ipsa Dei imperantis voluntas, seu per se, seu per Angelos, seu per homines illas requirit, quas futurorum figuris aperte per omnia conuenire prænouit.

4 Mat. 8.a Mar.1.D Luc.5.e

QVartum habetur miraculum ibi. Cum autem descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ: & ecce leprosus veniēs, adorabat eum dicens. Domine si vis potes me mundare. Et extendens Iesus manus, tetigit eum dicens. Volo mundare: & confestim mundata est lepra eius: & ait illi Iesus. Vide nemini dixeris, sed vade ostende te Sacerdoti, & offers munus tuum, quod pręcepit Moyses in testimonium illis.

Glos. interl. Secutę sunt eum turbæ &c. Quæ ad altiora ascendere non valuerunt. Et ecce leprosus &c. Qui sanatur, vt possit implere. Domine si vis &c. In voluntate potestatem tribuit. Et extendens Iesus &c. Qui misericordiæ prætendit affectum. Tetigit eum &c. Contra legem, quam superat gratia, in quo humilitas. Volo &c. In hoc pietas. Mundare &c. In hoc potentia maiestatis.

statis. Et cōfestim mundata est lepra &c. Quia dixit & facta sunt, & nihil est medium inter præceptum, & opus. Vide nemini dixeris &c. Forma nostri est ne nos iactemus de bonis operibus; non enim erat necesse, vt sermone iactaret, quod corpore proferebat. Vade,& ostende te Sacerdoti &c. Disciplina nostri est,vt nos ostēdamus Sacerdoti nostro. Et offers munus tuum &c. Non debent anferri signa, prius quam veniant significata. In testimonium illis &c. Sed vt credant virtutem Dei magnam esse.

Glos. ordin. Secutæ sunt eum turbæ etc. Alij propter charitatem, alij propter doctrinam, alij propter admirationem, et curationem. Misticè. Cum autem descendisset,idest cum se exinaniret, formam serui accipiens,secutę sunt eum turbę multę,nam cū prius in Iudæa notus esset, tunc in vniuersa terra mirabilis factus est. Non exprimitur certus curationis locus, vt ostendatur non vnum populum alicuius Ciuitatis,sed omnes sanare. Adorabat eum &c. Priusquam peteret cultum diuinitatis ostendit. Tetigit &c. Non quod sine tactu sanare non posset, sed vt indicet se non subiectum legi,sed Dominum legis, qui non timet contagium. Tetigit propter humilitatem,vt nos doceret nullum spernere, pro aliqua corporis maculatione. Volo &c. Eo sanauit genere, quo fuerat obsecratus,deinde imperat mundare,ecce potestas. Vade &c. Mittit ad Sacerdotem propter humilitatem, vt Sacerdotibus deferat honorem, quibus lex iubet mundatos munera afferre, & vt videntes credant ei. In testimonium &c. In testimonium spiritualis curationis offerendum est munus homo ipse.

Nic. de Lyra. Et extendens ei manum &c. Licet potuisset curare solo verbo, tamen apposuit manum, quia humanitas Christi erat quasi instrumentum diuinitatis eius, sicuti artifex mediante instrumento operatur. Vade & ostende te Sacerdoti &c. Per hoc enim figuratur,quod peccator,qui per leprosum figuratur,licet sit mundatus à lepra peccati,per contritionem,tamen adhuc tenetur ostendere se Sacerdoti per confessionem.

Cat.aur. Hier. Post prædicationem,atque doctrinam signorum offertur occasio,vt per virtutum miracula præteritus apud audiētes sermo firmetur. Orig. Domine si vis potes &c. Domine per te omnia facta sunt, tu ergo si vis potes me mundare, voluntas tua opus est,& opera tuæ volūtati obediunt. Chris.Non dixit Domine munda me,sed ei totum concedit. Adorabat eum &c. Chris. Spirituali medico spiritualem offerebat mercedem: nam sicut medicus pecunijs,iste oratione placatur. Nihil enim dignius offerimus Deo, quam orationem fidelem. Tetigit eum &c. Chris.Non enim manus à lepra facta est immunda,sed corpus leprosum à manu sancta con-

cta con-

&a constitutum est mundũ, si tacite eũ curasset, quis scire poterat cuius virtute sanatus esset? igitur voluntas mũdandi facta fuit propter leprosum verbũ autẽ: propter spectãtes. Et confestim munda ta est &c. Orig. quia enim non dubitat credere; Non tardatur sanatio, quia non distulit confessionem, non differtur mundatio.

5 Luc.17.d QVintum habetur miraculum ibi. Et cum ingrederetur quoddam Castellum occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longe leuauerunt vocem dicentes Iesu præceptor miserere nostri: quos vt vidit dixit: ite ostendite vos sacerdotibus & factum est dum irent mundati sunt, vnus autem ex illis, vt vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deũ & cecidit in faciem ante pedes eius gratias agens: & hic erat samaritanus: Respondens autem Iesus, dixit, non ne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigina: & ait illi, surge vade quia fides tua te saluum fecit.

Glos. interl. Ostendite vos sacerdotibus &c. Qui sunt figura sacerdotij futuri in Ecclesia.

Glos. ord. Decẽ viri leprosi &c. Leprosi sunt hęretici, qui quasi varios colores habentes in eodem corporę, varias sectas; Ite ostendite vos sacerdotibus &c. Ad Ecclesiã mittuntur, sic Paulus ad Ananiam, & Cornelius, ad Petrum mittitur. Et ceciderunt in faciem, &c. Cadit in faciem, qui de perpetratis malis erubescit ibi enim cadit homo vbi confunditur: qui in faciem cadit videt quo cadit, qui recto cadit, non videt, boni ergo in faciem cadunt, mali retro cadunt.

Nicol. de Lyra. Mundati sunt &c. Ex fide & obedientia ad Christum meritoriè de congruo, sed diuina virtute effectiuè. Et nouem vbi sunt &c. In hoc figuratum fuit, quod gentiles venturi erant deuote ad fidem Christi, Iudæis remanentibus in suo errore.

Moraliter. Per decem viros leprosos significatur vniuersitas peccatorum pœnitentium, & confitentium. Ite ostendite vos sacerdotibus &c. Quia licet peccata remittantur in contritione, tamen tenetur ea homo confiteri. Vnus autem ex illis &c. Quia pauci sunt qui grati sunt de beneficij gratiæ diuinę. Et hic erat samaritanus &c. Quasi custos, nam illi sunt grati Deo, qui se custodiunt à peccato recidiuo.

Catena aur. Et hic erat samaritanus &c. Theph. Nihil impedit quem iam placere Deo, & si degenere prophano processerit; dummodo bonum gerat propositum.

ALia quoque miracula facta sunt, circa restitutionem sanitatis, & hæc quoque in duplici differentia; nam quædam facta sunt circa infirmitates intrinsecus prouenientes, vt febris, & simile: Alia circa infirmitates prouenientes extrinsecus, vt vulnera, & alia huiusmodi.

Circa primum habetur primum miraculum ibi. Et cum venisset Iesus in domum Petri, vidit Socrum eius iacentem, & febricitantem, & tetigit manum eius, & dimisit eam febris, & surrexit, & ministrabat eis. 1 Mat. 8.b Mar. 1. c Luc. 4. f

Glos. ord. Et surrexit, & ministrabat eis &c. Naturale est febricitantibus incipiente sanitate lassescere, & molestiam ęgritudinis sentire. Sed sanitas, quæ à Domino datur, hæc tota similiter reddit, & etiam eo robore confirmat, vt adiutoribus suis continuò ministrare sufficiat.

Nic. de Lyra. Et surrexit ministrabat &c. Quod non potuit fieri nisi diuina virtute. Natura enim non operatur in instanti.

Moraliter. Socrus Petri sanatur, cum sensualitas per rationem ad debitum ordinem moralis virtutis reuocatur; ideo subditur: & ministrabat eis, quia sensualitas reformata virtute morali ministrat, & seruit rationi.

Cat. aurea. Raban. Postquam ostendit Mattheus, per leprosum totum genus humanum sanatum, & in seruo Centurionis, gentilis populi sanationem: consequenter per Socrum Petri, designat curationem Synagogę. Et tetigit manū eius &c. Chrif. Tangens autem non febrem extinxit solum, sed & puram tribuit sanitatem; in hoc etiam quod dicitur: quod surrexit, & ministrauit eis, vt Christi virtutis signum est, & dispositionis mulieris, quam erga Christum ostendebat.

SEcundum habetur miraculum ibi. Venit ergo iterum in Cana Galilęę, vbi fecit aquam vinum: et erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur, Capharnaum: Hic cum audisset, quia Iesus aduenerat à Iudęa in Galileam abijt ad eum, et rogabat eum, vt discederet, & sanaret filium eius, incipiebat enim mori; Dixit ergo Iesus ad eum nisi signa & prodigia videritis, non creditis, dicit ad eum Regulus: Domine descende prius quàm moriatur filius meus, dicit ei Iesus: vade filius tuus viuit, credidt homo sermoni, quem dixit ei Iesus, & ibat, iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei, & nunciauerunt dicentes, quia filius eius viueret, interrogabat ergo horā ab eis, in qua melius habuerit, & dixerunt ei: quia heri hora septima reliquit eum febris: Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Iesus, filius tuus viuit, & 2 Ioa. 4. g

credidit ipse,& domus eius tota. Hoc iterum secundum signum fecit Iesus, cum venisset à Iudæa in Galileam.

Glos. interl. In Cana Galileæ &c. Nec tamen crediderunt, nisi pauci Discipuli. Quidam Regulus &c. Propter paruitatem, vel regni, vel fidei, qui dicitur figura Iudæorum, difficile ad fidem venientium. Priusquam moriatur &c. Ne cadat in desperationem. Credidit homo sermoni &c. Et sic meruit salutem filio,& sibi. Interrogabat ergo &c. Non diffidit de misericordia Domini, sed desiderat, vt virtus diuina seruorum cõfessione plurimis innotescat. Quod hora septima &c. In figura Sancti spiritus septiformis, in quo omnis salus.

Glos. ord. Et rogabat eum &c. Iam credens quod posset sanare filium eius, sed quod per deitatem, quæ vbique est non credit filio adesse, rogat vt descenderet, & præsens corpore sanaret, vnde infidelitatis arguitur. Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis, è cõtrario Centurio laudatur, qui dicit. Dic verbo,& sanabitur puer meus. Descende &c. Quasi aliter non posset sanare, nisi præsens esset; vnde Dominus iudicans se non deesse, vbi inuitatur, solo iussu sanat,& ad filium Reguli non vadit, ne diuitias honorare videatur. Et credidit ipse, & domus eius tota &c. Ad hoc factum fuit hoc miraculum, vt iste Regulus gentilis cum familia sua crederet in Christum.

Cat. aur. Et rogabat eum &c. Aug. Qui rogabat nonne credebat? Greg. Dominus qui rogatur vt vadat, quia non desit, vbi inuitatus indicat; solo iussu salutem reddidit, quia voluntate omnia creauit. Quia heri hora septima &c, Chris. Vide qualiter miraculum manifestum est, non enim simpliciter à periculo liberatur, sed repente & simul, vt appareat non esse ex naturæ cõsequentia, quod fiebat, sed actione Christi. Et credidit ipse, & domus eius &c. Beda. Vnde datur intelligi,& in fide gradus esse, sicut & in alijs virtutibus, quibus est initium, incrementum, atque perfectio. Huius ergo fides initium habuit, cum filij salutem petijt, incrementum dum credidit sermoni Domini dicentis. Filius tuus viuit. Deinde perfectionem obtinuit, nunciantibus seruis.

3 Tertium habetur miraculum ibi. Et ecce mulier quę sanguinis
Mat.9.C fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, & tetigit
Mar.5.b fibriam vestimenti eius: dicebat enim intra se. Si tetigero tantum
Luc.8.f vestimentum eius, salua ero. At Iesus conuersus, & vidit eam dixit. Confide fides tua te saluam fecit; & salua facta est mulier, ex illa hora.

Glos. interl. Et ecce mulier &c. Ecclesia gentium. Sanguinis fluxum

xum patiebatur &c. Carnalium delectationum. Duodecim annis &c. Super abundans vitijs. Accessit &c. Fide. Retro &c. Quia eum sequitur. Tetigit &c. Manu fidei. Dicebat enim intra se &c. Corde credebat ad iustitiam. Si tetigero fimbriam &c. Si suscepero fidem incarnationis eius. Salua ero &c. Ab omni iniquitate mundabor. Iesus conuersus &c. A iudicio ad misericordiam. Videns eam &c. Quia quos præsciuit, & prędestinauit, hos & euocauit. Con fide &c. Habe spem. Te saluam &c. Iam in eo quod credidisti. Ex illa hora &c. Dominici aduentus cœpit habere salutem.

Glos. ord. Accessit, credidit, dixit &c. Quia his tribus, fide, verbo, & opere, omnis salus acquiritur. Si tetigero fimbriā &c. Non vestem, quia non vidit in carne Dominum, sed suscepit per Apostolos incarnationis verbum, beatus, qui vel extremam partem verbi fide tangit.

Nicol. de Lyra. Si tetigero tantum &c. Non quod vestimenta habeant virtutem aliquam sanandi, sed quia per hoc declaratur virtus illorum quorum sunt vestimenta.

Cat. aur. Accessit retro &c. Rab. In quo laudanda est eius humilitas. Confide filia &c. Chris. Filiam eam vocat, quia fides eā filiam fecerat. Et salua facta est &c. Hilar. Magna virtutis dominicæ admiratio est: cum potestas intra corpus manens, rebus caducis efficaciam adderet sanitatis, & vsque in vestium fimbriam operatio diuina procederet. Non enim comprehensibilis erat Deus, vt corpore clauderetur. Assumptio namque corporis non naturam virtutis inclusit, sed ad redemptionem nostram fragilitatem corporis virtus assumpsit.

QVartum habetur miraculum ibi. Et factum est cum introisset Iesus, in domum cuiusdam principis Pharisæorum, sabbato manducare panem, & ipsi obseruabant eum: & ecce homo quidam Hydropicus erat ante illum. Et respondit Iesus dixit ad legis peritos, & Pharisæos dicens si licet sabbato curare? At illi tacuerunt: ipse verò apprehensum sanauit eum, ac dimisit, & respondēs ad illos dixit, cuius vestrum, asinus, aut bos, in puteum cadet; & non continuo extraet illum die sabbati? Et nō poterant ad hæc respondere illi. 4 Luc. 14. a

Glos. interl. Obseruabant eum &c. Si sabbato solueret. Et respondens Iesus &c. Insidiosis obseruationibus. Sanauit eum &c. Abire corporaliter sanatum, vt transferret ad salutem animarū. Extrahet illum die sabbati &c. Non intelligens in hoc violationem sabbati.

Glos. ord. Quidam Hydropicus &c. Est proprium hydropici, quanto plus bibit, tanto plus sitit, & ideo comparatur ei, quem fluxus carnalium voluptatum exuberans aggrauat, comparaturq; diuiti auaro. Sanauit eum &c. Ideo ante phariseos hydropicum sanat, & mos contra auaritiam disputat, vt ipsos auaritiæ arguat; per quam sabbatum violant, & legem, male interpretantur.

Nic. de Lyra. Erat autem illum &c. Dicit Cirillus, quod iste nō petebat à Christo sanari, timore phariseorum, sed solum se ostendebat, vt Christus eum videns, eius misereretur.

Cat. ausea. Manducare panem &c. Cirillus. Quamuis Dominus malitiam phariseorum cognosceret, tamen eorum frequentabat conuiuia, vt prodesset præsentibus, per verba vel miracula Et respondens Iesus &c. Beda: Quod dicitur Iesus respondisse ad hoc respicit quod præmissum est, & ipsi obseruabant eū Dominus enim nouit cogitationes hominum.

FVit quoque miraculose restituta sanitas, ne dum aliquo morbo laborantibus, sed etiam percussis, ac vulneratis aliquo modo, vt patet ibi.

1 Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad

Num. 21 b quorum plagas, & mortes plurimorum venerunt ad Moysem atq; dixerunt peccauimus, quia locuti sumus contra Dominum, & te: ora vt tollat à nobis serpētes: orauit Moyses pro populo: & locutus est Dominus ad eum fac serpentem æneum, & pone eum pro signo; qui percussus aspexerit eum viuet: Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit pro signo: quem cum percussi aspicerent sanabantur.

Glos. ord. Fac septem æneum &c. Isid. Christus in patibulo venena serpentis exclusit, vt qui vere, expresseque imaginem filij Dei, & passionem eius conspexerit, sanetur; vnde sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto, ita oportuit exaltari filium hominis.

Ioan. 3. b Aug. de mirab. sac. scrip. lib. 1. cap. 33.

Quemadmodum de virga diximus, & arbore, qua amara aqua indulcatur, non in serpentem salus, sed in Domini imperio tenebatur: quicquid enim ipse præcepisset, illud tunc in populo salus erat, sed historia præcedentium rerum figura, virtus, nunc in Christo, & in Ecclesia continetur.

2 SEcundum habetur miraculum ibi, videntes autem, hi qui

Luc. 22. f circa ipsum erant, quod futurum erat dixerunt ei. Domine si percutimus in gladio: & percussit vnus ex illis, seruum principis

sacer-

sacerdotum, & amputauit ei auriculam eius dexteram; Respondens autem Iesus, ait sinite vsque huc: & cum tetigisset auriculam eius, sanauit eum.

Glos. interl. Et percussit vnus &c. Petrus eodem ardore mentis quo cętera zelatus fuit phinees. Sinite vsque huc &c. Non moueat vos quod futurum est. Et cum tetigisset &c. Numquam pietatis obliuiscitur, qui nec hostes suos patitur vulnerari.

Glos. ord. Seruum principis sacerdotum &c.

Seruus est populus Iudæorum, qui dexteram aurem, idest spiritualem intelligentiam perdidit in passione Domini, sinistra, idest vilitate litteræ consensus.

Vel aureis amputata, & sanata, significat auditum ablata vetustate innouatum, vt sit in nouitate spiritus & non in vetustate litteræ.

Cat. aurea. Et cum tetigisset &c. Beda. Numquam pietatis suæ Dominus obliuiscitur, illi iusto mortem inferunt, iste persequentium vulnera sanat.

Tertium habetur miraculum ibi. Et ecce eris tacens, & non 3
poteris loqui vsque in diem quo hæc fiant; pro eo quod non Luc. 1.b
credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo & infra.
Egressus autem non poterat loqui ad illos, & cognouerunt quod visionem vidisset in templo: & ipse erat innuens illis, & permansit mutus & infra.

Apertum est autem illico os Zachariæ, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum.

Glos. Interl. Et ecce eris tacens &c. Beda. Dat signum quod rogatur, vt quod discredendo locutus est, iam tacendo credere discat.

Glos. ord. Apertum est autem &c. Patet quia manifestata est per apostolos gratia noui testamenti, fuitque magna largitas diuinæ pietatis, nam loquela, quę sola ablata est diffidenti, cum spiritus prophetiæ restituta est credenti.

Nich. de Lyra. Apertum est autem &c. confessionem enim fidei in scripto, quam verbo facere non poterat meruit liberari, sicut propter verbum dubitationis demeruit ligari.

Cat. aurea. Et ecce eris tacens &c. Chris. Vt à vi generatiua ad organa vocalia vincula transferãtur, nec intuitu sacerdotij ei parcitur, sed ob hoc plectebitur amplius, quia circa fidem cæteris præesse debebat. Theoph. Conuenienter hæc duo passus est, tamquam enim inobediens surditatem incurrit, & tamquam contradictor taciturnitatem. Greg. Naz. Apertum est autem &c. Editus

ergo

ergo Ioannes Zachariæ soluit silentium, absurdum enim erat, vt cũ vox verbi egressa fuisset, pater maneret elinguis. Ambr. Meritò etiam continuò resoluta est lingua eius, quia quam vinxerat incredulitas, soluit fides, credamus ergo & nos.

4 Mat.9.d QVartum habetur miraculum ibi. Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum dæmonium habentem: & eiecto dæmonio locutus est mutus, & miratæ sunt turbæ dicentes. Nunquam apparuit sic in Israel.

Glos. interl. Ecce obtulerunt ei &c. Prædicatores. Hominem mutum &c. Confessione fidei. Dæmonium habentem &c. Idolatriæ deditum. Et eiecto dæmonio &c. Ablata idolatria. Miratæ sunt turbæ &c. In turba nationum confessio. Nunquam apparuit &c. Quis similis tui in fortibus Domine? Non Propheta, non Patriarcha.

Glos. ordin. Hominem mutum &c. Significat Gentilem populum, vel omne genus hominum, quo deducto per ablationem ad Christum, & ablata idolatria confessus est Christum.

Moraliter. Per hominem mutum significatur homo in peccato mortali existens.

5 Mar.7.d QVintum habetur miraculum ibi. Et iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galileæ inter medios fines Decapoleos. Et adducunt ei surdum, & mutum, & deprecabantur eum, vt imponeret illi manũ. Et apprehẽdens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius: & expuens tetigit linguam eius; & suspiciens in cœlum ingemuit, & ait illis. Epheta, quod est adaperire. Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè: & præcepit illis, ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prędicabant, & eo amplius admirabantur dicentes. Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui &c.

Glos. interl. Mare Galileæ &c. Fluctuosam volubilitatem. Decapoleos &c. Mandata decalogi. Surdum, & mutum &c. Genus humanum. Et deprecabantur eum &c. Patriarchæ, vel Prophetæ, incarnationẽ Domini desiderantes. Vt imponát illi manũ &c. Misericordię. Seorsum de turba &c. De strepitu mundi. Misit digitos suos &c. Isidorus, verba spiritus. Et expuens &c. Sapientiam. Tetigit linguam &c. Vt dicat, Credo in Deum patrem. Et suspiciens &c. Tanquam homo. In cœlum &c. Quia inde verba mutis, auditus surdis, medela cunctis infirmis, docens cor ad Dominum dirigendum. Ingemuit &c. Gemere nos docuit, vel

pro

pro nostris, vel pro nostrorum reatibus supplicantes. Epheta &c. Vno sermone curauit, quia Deus. Quod est ad aperire &c. Ad Hymnos, & Cantica, & Psalmos. Solutum est vinculum linguę &c. Vt eructet verbum bonum. Et pręcepit illis &c. Quia non est in alijs gloriandum, sed in cruce, & humilitate. Quanto autem eis &c. Quia humilitas pręcedit gloriam.

Glos. ord. Surdum &c. Beda. Qui scilicet, nec aures verbis Dei audiendis, nec os pro loquendis aperit. Hier. Genus humanũ tanquam vnus homo varia peste assumptus in protoplastro, cœcatur dum videt, surdus fit, dum audit, dum odorat emungitur, obmutescit dum loquitur, mancus fit dum manus erigit, incuruatur dum erigitur, hydropicus fit dum concupiscit, claudus dum progreditur, lepra suffunditur dum mundatur, dęmone impletur dum diuinationem appetit, moritur morte, dum audacter excusat.

Cat. aur. Misit digitos in auriculã potens verbo sanare, vt ostenderet, quod diuina virtute dicatum erat corpus diuinitati vnitũ, & operatio eius. Theoph. Et expuens &c. Vt scilicet ostenderet quod omnia membra sacri corporis eius diuina existunt, & sancta, sicut & sputum quod vinculum linguę dissoluit. Etenim omne sputum superfluitas est, sed in Domino omnia diuina fuerunt.

Sextum habetur miraculum ibi. Et cum inde transisset venit in 6
in sinagogam eorum: & ecce homo manum habens aridam, & Mat.12.a
interrogabant eum dicentes. Si licet sabbatis curare? vt accusa- Mar.3.b
rent eum. Ipse autem dixit illis, quis erit ex vobis homo, qui ha- Luc.6.b
beat ouem vnam, & si ceciderit hęc sabbatis in foueam, nonne tenebit, & leuabit eam? quanto magis melior est homo oue? Itaque licet sabbatis benefacere: tunc ait homini. Extende manum tuã: & extendit, & restituta est sanitati, sicut altera &c.

Glos. ord. Et ecce homo &c. Significans humanum genus in fęcunditate boni operis arefactum pro manu ad pomum extensa, quã sanauit manus innocens in cruce extensa. Sabbatis &c. Pręcipuè docet, & operatur Iesus, non solum propter speciale sabbatum, sed propter celebriorem populi conuentum, quęrens salutem omnium. Extende manum tuam etc. Quia nihil plus valet curationis eleemosynarum largitate.

Moraliter. Manum habens aridam significat auarum, cuius manus, ad opera pietatis, et charitatis reperitur inualida, sed vt sanetur per Christum ei dicitur: extende manum tuam, quia cum ex Dei dono ad opera charitatis extenditur, tunc sanatur.

Cat. aur. Hier. Interrogant vtrum liceat curare sabbatis, vt si non curauerit, crudelitatis, aut imbecillitatis, si curauerit trans-

gres-

grefsionis vitio eum accufent. Rab. Competenti exemplo foluit quæftionem eorum, vt eos oftendat fabbatum violare, in opere cupiditatis, qui eum violare arguunt in opere charitatis.

Matt. 11. a Deu. 32. e SEquitur modo in textu fupra citato, mortui refurgunt, qua occcafione fumpta, hic dicemus de his, qui diuina operatione à mortuis refurrexerunt, iuxta iam præpofitum, verum quia dicitur videte quid ego fim folus, & non fit alius Deus pręter me ego occidam, & ego viuere faciam, percutiam & ego fanabo, & non eft qui de manu mea pofsit eruere, ideo prius dicetur de his, qui furrexerunt à mortuis, deinde, de his, qui diuina poteftate interfecti, & percufsi fuerint.

1 1. Reg. 28. Primum igitur miraculum circa refurrectionem mortuorum habetur ibi. Samuel autem mortuus eft planxitque eum omnis Ifrael, & fepelierunt eum in Ramatha, vrbe fua, & infra.

Dixitque ei mulier, quem fufcitabo tibi? Qui ait Samuelem mihi fufcita; Cum autem vidiffet mulier Samuelem exclamauit voce magna et dixit ad faul quare impofuifti mihi, tu es enim Saul: dixitque ei Rex, noli timere quid vidifti? & ait mulier ad Saul, Deos vidi afcendentes de terra, dixitque ei qualis eft forma eius? quæ ait vir fenex afcendit, & ipfe amictus eft pallio: & intellexit Saul, quod Samuel effet, & inclinauit fe fuper faciem fuam in terra, & adorauit, dixit autem famuel ad Saul, quare inquietafti me vt fufcitarer, & ait Saul coartor nimis, fiquidem Philiftijm pugnant aduerfum me, & Deus recefsit à me, & exaudire me noluit, neque in manu prophetarum, neque per fomnia, vocaui ergo te, vt oftenderes quid faciam &c.

Glof. ord. Samuel autem mortuus eft &c. licet mors fuerit defcripta 1. Reg. cap. 25. repetitur tamen hic, quia erat excitandus de proximo ad denunciandum Saulis cafum.

Nic. de Lyra. Videtur quod probabilior fit modus dicendi, quod anima Samuelis virtute diuina, & eius difpenfatione apparuerit ad annunciandum Sauli diuinam fententiam.

2 3. Reg. 17. D SEcundum habetur miraculum ibi. Domine Deus meus etiam ne viduam apud quam ego vtrumque fubftentor, Afflixifti, vt interficeres filium eius? Et expandit fe, atque menfus eft fuper puerum tribus vicibus, & clamauit ad Dominum, & ait: Domine Deus meus, reuertatur obfecro anima pueri huius, in vifcera eius: & exaudiuit Dominus vocem Eliæ, & reuerfa eft anima pueri intra eum, & reuixit: Tulitque Elias puerum, & depofuit eum de cænaculo in inferiorem domum, & tradidit matri fuæ, & ait il-

li,

li, en viuit filius tuus; dixitque mulier ad Eliam, nunc in isto cognoui quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum est.

Glos. ordin. Rab. vidua apud quam hospitabatur Elias, cuius benedixit farinæ, & oleo sinagoga est Iudæorum, quæ Moysi morte viduata, filium nutriebat paruulum hoc est carnalem populum Iudæorum: Hic ad ingressum Heliæ idest Saluatoris nostri, tulit eum de sinu matris, idest de carnali obseruantia legis, & posuit super lectulum suum, hoc est de monstrauit ei habere vitam in morte sua expanditque se tribus vicibus, dum trinitatis fidem insinuabat. Tulitque Elias &c. Rab. Tulit Elias puerum, & reddidit matri suæ, cum Dominus noster populum saluans credentem signat, & miracula ostendebat incredulis, vt cognoscerent veraciter illum viuere qui credit in nomine eius, & sic eueniet vt plebs iudaica veritate superata proclamet ad Christum, nunc in isto cognoui quoniam vir Dei es tu.

Tertium habetur miraculum ibi. Ingressus est ergo Eeliseus domũ, & ecce puer mortuus iacebat in lectulo eius, ingressusq; 3
clausit ostiũ super se & super puerũ, & orauit ad Dominũ, & ascẽdit 4.Reg.4
& in cubuit super puerum, posuitque os suum super os eius, & oculos suos super oculus eius & manus suas super manus eius, & incuruauit se super eum, & calefacta est caro pueri: At ille reuersus de ambulauit in domo semel huc, atque illuc, & ascendit, & incumbuit super eum, & obscitauit puer septies, aperuitque oculos: & ille vocauit Giezi, & dixit ei; voca Sunanimitem hanc quæ vocata ingressa est ad eum, qui ait tolle filium tuum, venit illa & corruit ad pedes eius, & adorauit super terram. Tulitque filium suum, & egressa est, & Eliseus reuersus est in Galgata.

Nic. de Lyra. Vetus lex, quæ per baculum Giezi designatur non conferebat gratiam, ideo puer non surrexit ex eius contactu, sed hoc fecit verbum incarnatum, quod significabatur per exteriorẽ Elisei super puerum; vnde dicitur lex per Moysem data est, gratio, & veritas per Iesum Christum. Ioan.1.b

Aug. lib. 2. cap. 17. de mir. fac. scrip.

Dicit quod filius viduæ, quem Helias reuocauit ad vitam fuit Ionas Propheta, quem de ventre ceti glutiẽtis euolutis tribus diebus, Dominus absoluit; quia Dominus qui inimicum suam in quocumque tuto loco potest occidere, seruum suum quem vult eruere, de qualicumque angustia liberare valet.

4 4. Reg. 13.d QVartũ habetur miraculũ ibi. Mortuus eſt ergo Eliſeus, & ſepelierunt eum, latrunculi autem de Moab venerunt, in terram in ipſo anno, quidam autem ſepelierunt hominem viderunt latrũculos, & proiecerunt cadauer in ſepulchro Heliſei, quod cum tetigiſſet oſſa Heliſei, reuixit homo, et ſtetit ſuper pedes ſuos etc.

Gloſ.ord. Quod cum tetigiſſet etc. Rab. Reſurrectio cadaueris per contactum oſsium Heliſei ſignificat, quod quicumque firma fide tangit mortem Chriſti, et ſpem ſuam veraciter in eo collocat, ſine dubio particeps erit reſurrectionis eius, vnde ego ſum reſur-

Ioa. 11. c rectio et vita.

Aug. de mir. ſac. ſcript. lib. 2. cap. 26.

Quidam præſciptum ſermonem in hoc ſigno impletum fuiſſe dicunt, hoc eſt ſpiritus qui in te eſt, fiat duplex in me, quod neceſſario impleri debuit: Helias ergo in vita ſuaprius quam reciperetur mortuum reſuſcitaſſe, vnum ſcribitur, quod & ſimiliter Heliſeus feciſſe iam cernitur; ſed & alium ideſt iſtum poſt mortem ſuã videlicet in ſepulcro reuiuificaſſe videtur; quod duplicem gratiam Heliæ eſſe in Eliſeo prænunciat, quia Eliſeus imperando præcipiebat, quod Helias orando, & poſtulando imperabat: ſiue vt cæteri dicunt, quod Eeliſeus cum magno honore, & ſeculi dignitate, virtutum & prophetiæ donum habuit, quod Helias profugus, & perſequutus in montibus, & ſpeluncis degens, & eiectus ab omnibus retinebatur.

5 Mat. 9. C QVintum habetur miraculum ibi. Ecce princeps vnus acceſsit, & adorabat eum dicens Domine filia mea modo defuncta eſt,
Mar. 5. b ſed veni & impone manum tuam ſuper eam, & viuet: & ſurgens Ie-
Luc. 8. f ſus, ſequebatur eum, & diſcipuli eius & infra.

Et cum veniſſet Ieſus in domum principis, & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem dicit illis, recedite non eſt enim mortua puella; ſed dormit: & deridebant eum, & cum eiecta eſſet turba intrauit, & tenuit manum eius, & dixit puellæ: ſurge & ſurrexit puella; et exijt fama hæc in vniuerſam terram.

Gloſ. interl. Impone manum tuam etc. Miſericordiæ vel potentiæ. Et ſurgens Ieſus etc. Ad deuotionem patrum reſpiciens, Iudæis prius verbum vitæ per ſe, et per apoſtolos prædicauit. Recedite etc. Dimittite perſuaſiones, quod quicquid mentiamini de Chriſto, electio ſalua erit. Non enim mortua eſt etc. Non fornicata eſt poſt Deos alienos. Sed dormit etc. Quia Deo viuunt omnia. Et cum eiecta eſſet turba etc. Non enim digni erant videre, quod non credebant, ipſi enim deridebant eum, iuxta illud nolite ſanctum dare canibus. Et ſurrexit puella etc. De morte infidelitatis.

litatis. Et exijt fama etc. Quia in omnem terram exiuit sonus eorum.

Glos.ord. Ecce princeps vnus etc. Moysem significat, qui videns Dominum in carne venturum, cadens ad pedes eius, dicens, quod infirmum est Dei fortius est hominibus, pro filia rogat, idest pro sinagoga. Non est enim mortua etc. Vobis mortua est; Deo autem qui suscitare potest, dormit tam in anima quam in corpore. Et cum eiecta esset turba etc. Turba curarum eijcienda est, vt anima resurgat. Et tenuit manum eius etc. Nisi prius manus iudeorum, qui sanguine plenæ sunt mundatę sint à morte non resurgunt.

Cat.aur. Et surgens Iesus etc. Remig. Miranda est, ac pariter imitanda Domini humilitas, et mansuetudo, nam mox, vt rogatus est rogantem cœpit sequi. Et cum venisset Iesus etc. Chris. Considerandum est autem, quod propter hoc tardius vadit, et plura loquitur mulieri curatæ, vt permittat mori puellā, et sic manifesta fiat resurrectionis demonstratio. Sed dormit etc. Chris. Eo enim accedente, iam mors somnus erat. Et resurrexit puella etc. Chris. Non quidem aliam super inducens animam, sed eam quæ exierat reinducens, et veluti ex somno erigens, vt antea viam faciat per signum fidei resurrectionis. Rab. Puella mortua in domo anima mortua est in cogitatione: dicit autem quod puella dormit, quia qui peccāt in præsenti ad huc per pęnitentiam resuscitari possunt, in domo autem puella paucis arbitris surgit, iuuenis extra portam, & Lazarus coram multis, quia publica noxa publico eget remedio, leuis leuiori, et secreta potest deleri pœnitentia.

SExtum habetur miraculum ibi. Et factum est deinceps ibat Iesus in ciuitatem, quæ vocatur Naim, et ibant cum eo discipuli eius, et turba copiosa, cum autem apropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matri suæ: Et hæc vidua erat, et turba ciuitatis multa cum illa: quam cum vidisset Dominus misericordia motus super eā dixit illi: Noli flere, et accessit, et tetigit loculū. Hi autem qui portabant steterunt: et ait adolescens tibi dico surge: et resedit qui erat mortuus, et cœpit loqui: et dedit illum matri suæ: Accepit autem omnes timor et magnificabant Deum dicentes, quia profeta magnus surrexit in nobis: et quia Deus visitauit plebem suam: et exijt hic sermo, in vniuersam Iudæam de eo, et in omnem circa regionem. 6 Luc. 7.c

Glos. interl. et hæc vidua erat etc. Vidua est Ecclesia, quæ sponsi morte redempta ab ipso peregrinatur tempore sui incolatus. Misericordia motus etc. Ecce imitandæ pietatis exemplum. Et resedit

ſedit etc. Interna compunctione reuiuiſcens. Dedit illum matri ſuę etc. Sacerdotali iudicio, ſociatus communioni Eccleſiæ.

Gloſ. ord. Et factum eſt &c. Poſt ſanatũ infirmum ſuſcitat mortuum, quia infirmitas præcedit mortem. Cum autem appropinquaret &c. Beda. Cum verbum caro factum eſt Gentilem populũ per portas fidei ad cœleſtem Hyeruſalem induceret. Ecce Iudaicus populus minor propter perfidiam defunctus effertur, quẽ mater Eccleſia nihil in mundo quaſi proprium poſsidens multis populorum turbis circumſpecta, pio affectu plorat, & ad vitam pijs lachrymis reuocare laborat, quod & interim in paucis Iudæorũ conuerſis, & tandem in plenitudine imperat. Ecce defunctus &c. Defunctum qui coram multis extra portam effertur, ſignificat criminaliter peccantem. Filius vnicus &c. Ambr. Adam de terra portatur à quatuor elementis: vnde homo conſtat, tangitur loculus à Deo, ideſt lignum crucis, quod perijt Adam per lignum Paradiſi. Homo à terra portatur, quando ſola terrena cogitat: ab aqua, quãdo luxuriari cogitat: ab aerę quando omnia pro laude humana facit: ab igne quando auaritiã cogitat. Et turba multa &c. Multi cũ Domino multi cũ vidua; & viſo miraculo, multi Dei laudatores, & teſtes fiãt. Et reſędit &c. Tres mortuos ſuſcitauit Dominus; filium Archiſinagogi in domo, ideſt in cogitatione; filium vnicum matris ſuæ in porta, ideſt in verbo; Lazarum in monumẽto, ideſt in opere.

Nicol. de Lyra. Tetigit loculum &c. Ad hoc enim tetigit, vt oſtenderet quod corpus ſuum diuinitati vnitum, erat inſtrumentũ diuinitatis ad faciendum miracula. Et cœpit loqui &c. Vt manifeſtè appareret, quod erat verè reſuſcitatus, & non apparenter tantum; vnde & de Simone Mago legitur: quod apparenter reſuſcitauit quendam mortuum, qui tamen loqui non poterat, per quod apparuit illam reſurrectionem fuiſſe tantum apparenter. Quia Propheta magnus &c. Ideſt ille magnus Propheta, de quo dicitur, Deu. 18. C Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum, quod intelligitur de Chriſto in lege, & Prophetis promiſſo, & ideo ſubditur. quia Deus viſitauit plebem ſuam, mittendo eis Saluatorem.

Moraliter, Per iſtum defunctum ſignificatur mortuus per mortale peccatum; eius mater eſt Eccleſia; portatores funeris ſunt facto, vel verbo fouentes hominem in peccatis; porta eſt exterior ſenſus, talis ſuſcitatur à Domino precibus Eccleſiæ.

Cat. aur. Noli flere &c. Monet nos præſentibus defunctis conſolationem recipere. Chriſ. Reſurrectionem ſperantes. Tit. Adoleſcens tibi dico ſurge &c. Non eſt Saluator ſimilis Petro, qui pro Tabita orauit; ſed ipſe eſt, qui non entia veluti entia vocat, qui mortuos, & viuos alloqui poteſt: incunctanter igitur ereptus eſt,

cui

cui sunt mandata directa : diuina enim potestas est inrefragabilis, nulla mora, nulla orationum instantia. Ambro. Septem resurrectiones ante dominicam narrantur, quarum prima est filij Sereptanæ: secunda filij Sunamitis: Tertia quæ facta in reliquijs Elisei: quarta quæ facta est in Naim: quintam filiæ Archisinagogi: sexta Lazari: septima eorum qui surrexerunt in morte Christi: octaua Christi, qui expers mortis remansit vlterius in signum quod communis resurrectio, quæ futura est in octaua ætate, non tolletur morte, sed indissolubilis permanebit.

SEptimum habetur miraculum ibi. Ait Iesus. Tollite lapidem: dicit ei Marta soror eius, qui mortuus fuerat. Domine iam fœtet; quatriduanus est enim. Dixit ei Iesus. Nonne dixi tibi, quoniam si credideris videbis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidem: Iesus autem eleuatis sursum oculis dixit. Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me; ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum qui circunstat, dixi vt credant, quia tu me misisti. Hæc cum dixisset, voce magna clamauit: Lazare veni foras. Et statim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus manus, & pedes institis, & facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Iesus. Soluite eum, & sinite habire. Multi ergo ex Iudæis, qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant quę fecit crediderunt in eum. 7 Ioa. 18. f

Glos. interl. Tollite lapidem &c. Onus legis remouete, prædicate gratiam. Domine iam fœtet &c. Consuetudine peccandi. Videbis gloriam Dei &c. Qui fœtentem quatriduanum suscitat: omnes enim peccauerũt, & ęgẽt gloria Dei. Et statim prodijt &c. Sicuti potentia est, qui surgit, ita quod ligatus adhuc prodijt, idest foras processit. Ligatus &c. Vinculis peccatorum.

Glos. ord. Sed propter populum &c. His verbis se gloriam patris quærere sicuti in alijs operibus ostendit. Nam secundum quod homo erat minor patre, & ab eo petijt suscitationẽ Lazari, & ideo se exauditũ dixit, vt sic crederẽt esse filium Dei. Voce magna &c. Fleuit, lacrimauit, clamauit, quia difficile surgit quem moles malę consuetudinis præmit, sed tantum post magnam vocem surgit, idest per magnam Dei gratiam viuificatur dum pœnitet. Et statim prodijt &c. Dum peccator contemnit sepultus iacet, quando pœnitet surgit, quando confitetur prodijt, quasi de occultis exeundo manifestus, sed adhuc ligatus est, & dicitur ministris. Soluite eum, & sinite habire, vnde quę solueritis super terram, soluta erunt & in cœlis. Soluite eum etc. Christus per se viuificat intus; ministris tribuit potestatem soluendi.

Nicol. de Lyra. Eleuatis sursum oculis etc. Vt ostenderet nobis for-

bis formam orandi, quę est per eleuationē mentis. Et statim prodijt &c. Quia virtus diuina operatur in instanti. Ligatus pedes, & manus &c. Hic declaratur virtus diuina non solum suscitando mortuum, sed etiam faciens exire ligatum, per hoc etiam apparet certitudo miraculi, in quantum exiuit Lazarus eo modo quo fuerat in sepulcro positus. Soluite eum &c. Præcepit alijs, licet posset facere per se ipsum, vt essent testes efficaciores miraculi. Et sinite habire &c. Vt ostendatur vere suscitatus, & non fantasticè, per opera vitæ. Multi ergo ex Iudæis &c. Effectus miraculi, quia illud signum fuit virtutis manifestæ ostensiuum, quæ non potest adesse ad testificandum aliquod falsum.

Cat. aur. Tollite lapidem. Chris. Qui corpus mortuum mouit multo magis lapidem mouisset, hoc autem fecit, vt testes faceret miraculi. Magna voce clamauit &c. Thoph. Alta saluatoris vox quę Lazarum suscitauit, indicium est tubæ magnæ sonaturæ in cōmuni resurrectione. Et sinite abire &c. Chris. Et hoc propter humilitatem, non enim dixit, neque iubet secum ambulare ad sui demonstrationem. Greg. 4. Moral. Intelligimus tres mortuos, quos in corporalibus suscitauit aliquid significare de resurrectione animarum; Puellam enim in domo adolescentem extra portam, Lazarum in sepulcro suscitat; adhuc quippe in domo mortuus iacet, quia iacet in peccato, iam quasi extra portam ducitur, cuius iniquitas vsque ad verecundiam publicæ perpetrationis operatur: sepulturæ verò agere premitur, qui in perpetratione nequitiæ, etiā vsu consuetudinis pressus grauatur, sed hos plerumq; diuina gratia respectu sui lumine illustrat. Soluite eum &c. Christus suscitat; quia interius per se ipsum viuificat: soluunt discipuli, quia per ministerium sacerdotum absoluuntur viuificati.

Aug. de mirab. sac. scrip. lib. 3. cap. 11.

De Lazaro & cæteris mortuis, immobili voluntate Deus vniuersorum vitas certo fini, & termino præordinauit; quorumdam igitur vita non vt moriantur, morte interfici videtur, sed per hoc qui resuscitant clariores, vt pote, Deo cum hominibus etiam habeantur, vnde de ipso Lazaro discipulis à Domino dicitur, Hæc infirmitas nō est ad mortē, sed vt filius hominis per eam clarificetur; quarto die resuscitatur, quod non spatium vitę eius posuit, sed quod sine mutatione Dominus disposuit facere sæpe retrahere simulat, vt partum vxoribus Abraham, & Isaac distulit, vt gratius fieret: & Dominus occasiones præstat, vt quod ipse aliter donare cupit, indulgere rogetur, de omnibus ergo generaliter mortuis tale quid sentitur, quod de prima vice moriuntur, vt per illos digni clarificentur.

Octa-

Octauum habetur miraculum in hoc genere, ibi & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant surrexerunt, & exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. 8 Matt.27. f

Glos. interl. Monumenta aperta sunt &c. In typum futuræ resurrectionis.

Glos. ordin. Et monumenta aperta sunt &c. Non tamen ante resurrexerunt, quam Dominus resurgeret, vt esset primo genitus ex multis fratribus. Corpora sanctorum &c. Hic credendi sunt, cum Domino ascendente, similiter ascendisse cum corpore. Rom.8 f

Nicol. de Lyra. Et monumenta aperta sunt &c. Ex terremotu ad demonstrandum, quod resurrectio Christi propinqua erat, & aliorum cum ipso resurgentium. Surrexerunt &c. Non tunc quādo momumenta aperta sunt, scilicet hora mortis Christi, sed postea quando resurrexit, quia cum eo surrexerunt tanquam testes suę resurrectionis, & hoc est quod subditur. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, idest Christi. In sanctam ciuitatem &c. Idest Hyerusalem, quæ dicebatur sancta propter templum diuino cultui deputatum, quod erat ibi.

Cat.aurea. Monumenta aperta sunt &c. Monumenta dicuntur corpora peccatricum animarum idest mortuarum Deo; cum autem per gratiam Dei animæ huiusmodi fuerint suscitatę corpora eorum, quæ prius fuerunt monumenta fiunt corpora sanctorum, & videntur à se ipsis exire, & sequuntur eum, qui surrexerit, & in nouitate vitæ ambulant cum eo, & qui digni sunt habere conuersationem in cœlis, ingrediuntur in sanctam ciuitatem per singula tempora, & apparent multis videntibus opera bona ipsorum.

Aug. De mir.sac.scr.lib.3.cap.13.

Nomen resurrectionis in ijs, qui post mortem in vita hac conuersati sunt, aut in communi, aut in futura omnium resurrectione ponitur: talis autem apparitio istorum, nec ad vitam humanam, neque ad futuram resurrectionem pertinet, sed ad consumationem dominicæ resurrectionis, & ad credulitatem resurrectionis, animarum ex inferis talis apparitio animos mouet; sicut in resuscitatis mortuis similitudo tantum non mors continua fieri cernitur. Ita & in his similitudo resurrectionis, non ipsa resurrectio ostendebatur. De continua morte nullus ad vitam indicidiuam, nisi Dominus vsque ad nouissimum Diem reuertitur, & à vera resurrectione numquam in mortem iterum aliquis detrahitur.

Nonum

9 Act. 9.f NOnum habetur miraculum ibi. Et cum aduenisset, duxerunt illum in cœnaculum,& circunsteterunt illũ omnes viduę flentes,& ostendentes ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis doricas. Eiectis autem omnibus foras,Petrus ponens genua orauit, & conuersus ad corpus dixit. Tabita surge. At illa oculos aperuit, & viso Petro resedit. Dans autem illi manum erexit eam:& cum vocasset sanctos,& viduas,assignauit eam viuam. Notum autem factum est per vniuersam Ioppem,et crediderunt multi in Dominum.

Glos. interl. Circunsteterunt illum omnes &c. Sanctæ pro sancta, sanctum præcantur. Flentes &c. Miseriæ suæ misericordem, & flent corã eo qui erat misericors. Et ostendentes ei tunicas &c. Non suis vocibus pro defuncta,sed ipsius operibus præcãtur,quod eleemosyna non solum à secunda,sed etiam à prima morte liberat. Petrus ponens genua &c. Orat vt seruus, Iesus autem implet vt Deus. Tabita surge &c. In nomine Iesu, non in meo facta oratione. Et crediderunt multi in Domino &c. Hęc erat præcipua causa virtutum.

Glos.ord.Duxerunt illum in cœnaculũ &c.In loco superiori ponitur,vel propter altitudinẽ memini,vel propter sublimitatem miraculi, quod fieri debebat. Viduæ flentes &c. Beda. Sunt pię cogitationes animæ pœnitentis,quæ pristinum vigorem,quasi viri regimen ad tempus obmiserant,hæc pro anima delinquente suppliciter exorant. Eiectis autem omnibus foras &c. Ad euitandam elationem,vel ne indigni signum viderent. Oculos aperuit &c. Beda. Rectus ordo resurgentiũ,prius oculos mentis aperuit, postea agnita voce Petri resedit,lumen suę circumspectionis amissum recepit, vt ad doctrinam eorum, qui iuuant viuant. Dans autem illi manus &c. Contacta manu Petri Tabita resurgit,quia anima languẽs peccatis nullo melius ordine,quàm Sanctorũ exemplis cõualescit.

10 Act.20.b DEcimum miraculum habetur in hoc genere ibi. Sedens autẽ quidam adolescens nomine Euthicus super fenestram,cũ mergeretur somno graui, disputante diu Paulo, ductus somno cecidit de tertio cœnaculo deorsum,& sublatus est mortuus. Ad quem cũ descendisset Paulus,incubuit super eum; & complexus dixit. Nolite turbari; anima enim ipsius in ipso est. Ascendens autem, frangensq; panem, & gustans, satisq; allocutus vsque in lucem sic profectus est. Adduxerunt autem puerum viuentem, & consolati sunt non minimè.

Glos. interl. Super fenestram &c. Misticè fidem. Somno &c. Carnali,vel spirituali. Graui &c. Prę infirmitate fidei. Disputãte &c. Hęc est causa somni longitudo disputationis. De tertio cę nacu-

naculo &c. Aliquem errorem Trinitatis indicat. Et sublatus &c. De terra, vel de prauitate sensus. Mortuus &c. Carne, vel spiritu.

Glos. ord. Eutichus &c. Gręcè fortunatus interpretatur. De tertio cœnaculo &c. Beda. Tria cœnacula sunt, fides, spes, & charitas, quas qui per ignauiam deserit inter Apostoli voces dormitando, iam inter mortuos cõputatur. Sublatus est mortuus &c. Beda. Inter verba prędicationis occurrit occasio curationis, vt dulcedine miraculi, & doctrinę sermo firmetur, & vigiliarum labor arceatur. Cum descendisset Paulus &c. Operosior est suscitatio eorum, qui per negligentiam, quam qui per infirmitatem peccant, & hęc per Eutichum, illa per Tabitam à Petro suscitatam exprimitur. Ideo illa in die moritur, hic in media nocte. Illa post mortem in cœnaculo ponitur, hic tertio cœnaculo dilapsus moritur. Iste pręsente, & docente, illa magistro absente. Illa mox viso Petro resedit, hic nocte defunctus tandem mane resurgit. Anima enim ipsius &c. Rab. Non ex toto discessit, vel redijt, hoc propter incredulos dixit, vt non est mortua puella, sed dormit; sic enim despe Mar. 5. d ratio tollitur.

MOdo videndum est de his, qui diuina virtute, & potestate interfecti sunt, & primo dicemus de multis occisis in genere, nullo expresso nomine illorum, secũdo de his, qui à Domino interfecti sunt quorum nomina singulorum habentur.

Primum igitur miraculum circa primum habetur ibi. Et ingressus est Noe, & filij eius, & vxor eius, & vxores filiorum eius cum eo Gen. 7. b 1 in Arcam, propter aquas diluuij. De animantibus quoque mundis, & immundis, & de volucribus, & ex omni quod mouetur super terram, duo & duo ingressa sunt ad Noe in Arcam, masculus, & fœmina, sicut pręceperat Dominus Noe. Cumque transijssent septem dies, aquę diluuij innundauerunt super terram. Anno sexcentesimo vitæ Noe, mense secũdo, septimo decimo die mensis, rupti sunt fontes, omnes abyssi magnę, & cataractę cœli apertę sunt, & facta est pluuia super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & infra.

Factumq; est diluuium quadraginta diebus super terram, & multiplicatę sunt aquę, & leuauerunt arcam in sublime à terra: vehementer enim inundauerunt, & omnia repleuerunt in superficie terrę: porrò arca ferebatur super aquas. Et aquę pręualuerunt nimis super terram: opertique sunt omnes montes excelsi sub vniuerso cœlo; quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat. Consumtaque est omnis caro, quę mouebatur super terram volucrum animantium, bestiarum omniumq; reptilium, quę reptãt

super terram. Vniuersi homines, & cuncta in quibus spiraculum vitę est, in terra mortua sunt: & deleuit omnem substantiam, quę erat super terram, ab homine vsque ad pecus, tam reptile, quàm volucres cœli, & deleta sunt de terra. Remansit autem solus Noe, & qui cum eo erant in arca obtinueruntq; aquę terram centum quinquaginta diebus.

Glos. Interl. Ingressa sunt ad Noe &c. Nutu diuino, quomodo adducta sunt ad Adam, vt nominarentur. Rupti sunt omnes fontes &c. Vt non sensim de more fluerent, à repentina inundatione terram operirent.

Glos. ord. Ingressus est Noe &c. Raban. Notandũ est quod seorsum ingreditur in arcam Noe cum filijs suis, & vxores eorum seorsum: mixti autem viri cum mulieribus egressi sunt, tempus enim
Eccl. 3. a amplectendi, & tempus abstinendi. Cumque transijssent &c. Isid. Quia in spe futuræ quietis, qua significat septimus dies baptizamur. Omnis caro extra arcam consumpta est diluuio, quia extra Ecclesiam aqua baptismi, quamuis eadem sit, nõ valet ad salutem, sed ad perniciem. Cataractę cœli apertæ sunt &c. Nubes, scilicet vt inde insolitæ, & maiores pluuiæ funderentur. Deletæ sunt de terra &c. Alcuin. Ideo magis terrena animalia, quam aquatilia perierunt, quia de maledicta terra viuunt.

Nicol. de Lyra. Rupti sunt omnes fontes. Nomine ruptionis vtitur ad ostendendũ, quod istud diluuium non processit ex causa naturali, sed supernaturali. Et cataractæ cœli apertę sunt &c. Idest fenestræ, loquitur metaphorice; nec loquitur de cœlo stellato sed de cęlo aereo, vbi generantur nubes, & pluuia. Et deleuit omnẽ substantiã &c. Scilicet viuentẽ, ideo sequitur ab homine vsq; ad pecus.

Moraliter. Per ingressum Noe in arcam denotatur, quod nullus perfectione virtutum ingreditur, nec in ea permanet, nisi Dei gratia adiuuetur. In arca saluatæ fuerunt aues, idest contemplatiui ad alta volantes, bestiæ actiui in terra agentes, & homines, idest prælati vtrisque pręsidentes. Extra arcam omnis caro consumpta est: nam exclusi ab ædificio virtutis, iam mortui sunt morte culpæ, licet adhuc viuant vita naturæ.

Aug. de mirab. sac. scrip. lib. 1. cap. 4.

Terrena animalia, & non aquatica perierunt, quia orta sunt de terra, ipsamque manducauerunt, quæ maledicta fuit in peccato primi hominis. Aquæ autem non fuerunt maledictæ, quia non aquam contra interdictum Domini bibit, sed de terra fructum homo comedit, aquis quoque à maledicto Adæ Deus pepercit, quoniã per aquam diluere maledictionem illam parauerat, quod in diluuio est factum, & nunc per baptismum indulgetur: nam in aqua, & spiritu

cuncta humana corporalia, crimina simul, & spiritualia purgantur; Aquatilia enim maledicto vindictæ non succumbunt, quia in maledictionis participatione non sunt: Ac per hoc & Dominus, cum mortis humanæ maledictum resurgendo deposuerat, non terrestrium, sed aquatilium carnem animalium commedit, cum ad cõfirmationem resurrectionis coram discipulis piscis assi partem & fauum mellis accipiens manducauit.

Et in cap.7. circa finem dicit.

In isto diluuij tam magno videri creaturis miraculo, nihil contra naturam factum esse ostenditur, quoniam nihil quod Deus in creaturarum prima conditione non fecerat super inductum est, nisi quod solito abundantior maris copiosa, & imbrium ducta congregantur.

Secundum habetur miraculum ibi. Igitur Dominus pluit super Sodomam, & Gomarram sulphur & ignem à Domino de cœlo; & subuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia: respiciensq; vxor eius post se, versa est in statuam salis &c. Gen.19. e

Glos. interl. Sulphur & ignem &c. Vt terra in æternum arescerет, non sicut post diluuium viresceret. A Domino &c. Diuino iudicio, quia putore, & ardore luxuriæ computruerunt, De cœlo &c. Quia clamor peccati eorum ascenderat in cœlum. Omnem &c. Quæ similia faciebant. Virentia &c. Quibus delectati fuerunt. Versa est in statuam salis &c. Quasi mente reuersa, vt fatuos hoc exemplo condiret, ad condimentum enim fidelium pena impij eruditio iusti.

Glos. ord. Igitur Dominus pluit &c. Greg. Sulphur fetor carnis, ignis ardor carnalis desiderij, cum Dominus carnis scelera punire decreuisset qualitate vltionis innotuit macula criminis: sulphur enim fetet ignis ardet, quod ergo ad peruersa desideria carnis fetore arserant, iure sulphore, & igne perierunt, vt ex iusta pœna discerent, q in iusto desiderio fecissent. Stra. Primos peccatores aqua diluuij exterminauit, qui similiter offenderant Deũ cõcupiscentia carnis, sodomitæ verò grauiori supplicio, ignis scilicet & sulphoris diluuio perierũt licet.n. illi mensurã excederent, quasi naturaliter peccabãt, isti vero cõtra naturã, ideo grauissimi supplitij exẽplo dãnati sunt. Vniuersos habitatores &c. Alcuin. Infantes cũ parentibus in sodomis cremati sunt, vt posset aduerti impijssimũ facinus sodomitarum, & de origine illorum aliquod nõ remaneret vestigium & prouisum est in illis ne diu videntes sequantur vestigia patruum, & leuius punirentur, parentes quoque tam prosequam

pro eis rei sunt mors enim filiorum crimen est parentum, ideo futuri sunt accusatores eorum. Respiciensque vxor eius &c. Isidor. Vxor eorum genus figurat, qui gratia vocati retro aspiciunt, & ad
Luc. 9. g ea quę reliquerat redire contẽdunt, de quibus dicitur; nemo ponẽs manum in aratro, & respiciens retro, actus est enim Regno Dei, ideo prohibetur eis retro aspicere, in quo ostenditur non esse redeundum ad veterem vitam, his qui per gratiam regenerati, si vltimum cupiunt euadere incendium, vxor retro spiciens in salẽ versa est, exemplum facta scilicet, & condimentum, vnde alij salian-
Luc. 17. g tur, vnde mementote vxoris Loth, vt nos scilicet tanquam sale condirer, ne negligentes essemus, sed prudenter caueremus,
Aug. De mirab. sacr. scrip. lib. 1. cap. 10.

Hoc modo conueniebat vt qui communi studio Deum offenderunt, communis vindictæ impetu eodem perirent; & qui contra
g consuetudinem hominum intemperatæ concupiscentiæ perpetratione exarserant, contra consuetam hominum mortem, non terrena vindicta, sed cœlestium ignium infusione arderent, & qui peccatum suum non solum faciendo, sed etiam prædicando palam fecerant in famem vitam famosa pęna consumerent, quę vindicta, & hactenus eorumdem terram non deseruit, dum quali pœnę, qui talia agunt subiacebunt ostendit: inter istas verò duas primarias in seculo pęnas, diluuij scilicet, & Sodomitanam, talis differentia deprehenditur, quia vna aqua, altera igne punita videtur vna cęli rore, & abissi vnda diluitur, altera igneo imbre, & sulphoris superfusione damnatur: Anni vna circulo vnius permanente terra retegitur, per alteram terram adhuc sine cessatione maceratur, in vna naturale scelus, in hominibus punitur, per alteram adinuentio concupiscentiæ contra consuetudinem facta vindicatur, in ista vero sodomitana pęna, nihil contra naturam Deus facere cernitur, cum desuper aereo ignito illo spatio, insoliti desiderij ardor inflammatur.

Et in cap. 11. d. lib. 1. dicens qualiter vxor Loth, sit versa in statuam salis.

In hac enim mutatione gubernationem salis naturæ in humano corpore esse nullus ambigit, qui lacrymarum salsitudinem comprobauit; potens ergo rerum gubernator, cum totum in partem vertere cupit, quod in modica parte latebat, per totum infundit, atque ac ex causa cum vxorem Loth in statuam salis vertere voluit, pars illa tenuissma salis, quæ carni inerat, totum corpus infecit & ita factum est, vt qui sexto die omnes naturas constituere consummant, nil ex aliqua natura in aliã congessit, se vnamquãq; in semetipsa gubernat, quã in prima conditione cõstituebat.

Tertium

TErtium miraculum habetur ibi: Factum est autem in noctis medio: percussit Dominus omne primogenitũ in terra Ægypti à primogenito Pharaonis, qui in solio eius sedebat, vsq; ad primogenitum captiuæ, quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum &c. Neque n. erat domus, in qua nõ iaceret mortuus. 3 Exo. 12. e

Glos. ord. Decimum præceptum est: Non concupisces rem proximi tui. Huic contraria est decima plaga mors, scilicet primogenitorum: iure ergo in primogenitis puniris, qui cupiendo res alienas, quasi iuris vmbram perquiris; & quæ meliora sunt cordis primogenita perdis. Deut. 5. C

Nicol. de Lyra. Neque erat domus &c. Quia Deo ordinante sic acciderat, quod in qualibet domo Ægyptiorum erat aliquis primogenitus.

QVartum habetur miraculum vt sequar in hoc genere ordinem scripturæ ibi: Cumq; leuaret manus Moyses, vincebat Israel; sin autem paululum remisisset, superabat Amalech. Manus autem Moysi erant graues. Sumentes igitur lapidem posuerunt subter eum, in quo sedit: Aaron autem, & Hur sustentabãt manus eius ex vtraque parte: & factum est vt manus illius non lassarentur vsque ad occasum solis. Fugauitque Iosue Amalech, & populum eius in ore gladij &c. 4 Exo. 17. C

Glos. interl. Cumque leuaret manus &c. Cum operatione debemus orare si volumus hostes vincere, pro cœlesti præmio nõ pro terreno lucro: leuabat autem manus in speciem crucis, in qua triumphantur inimici. Remisisset &c. Quia remissis operibus bonis, idest ad terrena conuersis hostis victor insequitur. Sumentes igitur lapidem &c. Scilicet Ecclesiam, vel Christum. Aaron autem, & Hur &c. Quia lex in Christo, & Spiritu sancto spiritualiter impleta est. Vsque ad occasum solis &c. Finem mundi. Fugauitque &c. Christus fugauit diabolum, & vitia, vel quoslibet persecutores. In ore gladij &c. Verbo Dei.

Glos. ord. Cumque leuaret manus &c. Stra. Quia cum lex misticè intelligitur, passio Christi spiritualiter pensatur, diabolus vincitur, & fugatur. Cum autem remittuntur manus, idest præcepta legis minus studiosè exercentur, hostis victor insequitur. Sumentes igitur lapidem &c. Greg. Moyses sedit in lapide, cum lex requieuit in Ecclesia; sed hæc manus graues hebuit, quia peccantes non misericorditer protulit, sed seuera districtione percussit: Aaron mons fortitudinis: Hur interpretatur ignis: mons fortitudinis Christus est, de quo dicitur. Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montis. Ignis verò Spiritus Esai. 2. c

sanctus

sanctus, quem Christus venit mittere in terram. Aaron ergo, & Hur graues manus Moysi sustinendo leuiores reddunt, quia mediator Dei, & hominum cum igne Spiritus sancti adueniens, mandata legis grauia quæ dum carnaliter reuerenter portari non poterant, tolerabiliora nobis per spiritualem intelligentiam ostendit: quasi enim manus Moysi leues reddidit, quia pondus mandatorum legis
Ezec. 33 c ad veritatem confessionis retorsit secundum illud. Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat.

Aug. de mirab. sac. scrip. lib. 2. cap. 34.

Bella huiusmodi mirabiliter gesta sunt propter auxilia de cœlo habita, sed illi operi nostro conueniens additamentum conferre non possunt, quoniam nihil in quotidiana rerum administratione inusitatum ostendunt, dum per hominum, & ipsorum etiam Angelorum dispensationes, & fortitudines effecta sunt.

5
Num. 11 a QVintum habetur miraculum ibi. Interea ortum est murmur, quasi dolentium pro labore contra Dominum. Quod cum audisset iratus est: & accensus in eos ignis Domini deuorauit extremam castrorum partem. Cumque clamasset populus ad Moysem, orauit Moyses ad Dominum, & absortus est ignis: vocauitq; nomen loci illius incensio, eo quia quod succensus fuisset contra eos ignis Domini.

Glos. ord. Ortum est murmur &c. Rab. Murmurantem populum ignis Domini accensus deuorat, quia ignis Domini iustæ vl-
Eccl. 28. b tionis in futuro illos excruciat, quia lingua inflammata à gehenna murmurant, vel detrahunt, vt per sapientiam dicitur.

7
Num. 16. e SExtum habetur miraculum ibi. Confestim igitur vt cessauit loqui dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suũ deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum, descenderuntq; viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis. At verò omnis Israel, qui stabat per girum, fugit à clamore pereuntium dicens. Ne fortè, & nos terra deglutiet, sed & ignis egressus à Domino interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum; & infra.

Quod cum fecisset Aaron, & cucurrisset in mediam multitudinem, quam iam vastabat incendium, obtulit thymiama, & stans inter mortuos, ac viuentes pro populo deprecatus est, & plaga cessauit. Fuerunt autem qui percussi sunt, quatuordecim millia hominum, & septingenti absque his, qui perierant in seditione Choræ. Reuersusque est Aaron ad Moysem ad ostium tabernaculi fœderis, postquam quieuit interitus.

Glos.

Glos. ord. Dirupta est terra &c. Isid. Per Datam & Abiron, & Chore significantur heretici, & schismatici, qui multos secum trahentes decipiunt contemnentes sacerdotes Christi, se à clero plebique societate segregantes, construere audent Ecclesias, & aliud altare, & quia contra Dei voluntatem faciunt, terrę compagibus ruptis viuentes absorbentur: Nec tantum duces, sed omnes complices, & fautores in æterno igne pręparata vltione peribunt. Descenderuntque ipsi in infernum &c. Idest ad inferiores partes terrę. Stans inter mortuos &c. Greg. Aaron vt iram placaret, turribulum sumpsit, atque inter viuentes & mortuos stetit, quia sacerdotis est negotium Deo orationem fundere, & pro iustis ne cadāt, & pro peccatoribus vt resurgant. Isid. Aaron Christus est, qui stetit inter viuos, & mortuos, & Thurribulum passionis accipiens, in odorem suauitatis pretendens suspendit ignis ęterni perniciem, & inimicam pertulit mortem.

Nicol. de Lyra. Descenderuntque viui in infernum &c. Idest in inferiores partes terræ; Nam prius debuerunt mori morte corporali, quia statutum est hominibus omnibus semel mori, ad soluendum debitum naturæ lapsæ, post hoc autem iudicium scilicet retributio præmij vel pœnæ. Sed ignis egressus à Domino &c. Virtute diuina, dicit enim Rab. sal. quod exiuit de turribulis, quæ tenebant. Hob 9.g

Moraliter. Per hoc quod Aaron de præcepto Moysi obtulit thymiama pro illis qui comburebantur, & sic cessauit incendium, significatur, quod boni superiores subditis suis etiam ingratis, & indignis, exibere debent charitatis beneficium, iuxta illud benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos. Mat. 5.g

Aug. de mir. sacr. script. lib. 1. cap. 29.

In his manifestè ostenditur, ꝙ tantundē sensibiles & insensibiles creaturę Dei dicto obediunt, dū quemadmodum viuētes celeriter cū eius Imperio veniunt, ita & quæ non viuunt velut viuentes, quæ præcipiuntur peragunt, sed quamuis quasi viuens terra illud vindictæ officium peragit, contra naturam tamen in illo nequaquam aliquid fit, vitam enim inuisibilem terra habere indubitanter dignoscitur, per quam in se crescentia arborum, & olerum fructeta moueri videntur; vnde quasi in viuente carne palpitantes venæ sanguinis discurrunt, ita etiam per terram viuentium aquarum riui profluunt, per quam vitam insensibilem Deo imperante terra os suum aperuit, quando hominum peccatorum quasi seruiens in ministerio vindictæ, tabernacula peccatorum vorauit.

Et idem Aug. in eod. lib. 1. c. 30. de mir. sacr. scrip.

Recto

Recto in vtroque moderamine effecto, vt qui contra iustos principes iracundiæ igne intus exarserant, foris iustissimæ vindictæ flamma conflagarent, & qui in corde proximorum culpas venialiter dimiserat, eius vestigio defensos ignis de cęlo missus vrere non audebatur: illa autem die quatuordecim millia ignis ille consumpserat.

7 Iof.6.C SEptimum habetur miraculum ibi. Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox, sonitusque increpuit, muri illico corruerunt, & ascendit vnus quisque per locum, qui contra se erat; ceperuntque ciuitatem, & interfecerunt omnia, quæ erant in ea à viro vsque ad mulierem ab infante vsque ad senem, boues quoq; & oues, & asinos in ore gladij percusserunt.

Glos. interl. Muri illico corruerunt &c. Cultus idolorum fallacia diuinationis, & huiusmodi.

Glos. ordin. Clangentibus tubis &c. Vnusquisque nostrum debet hæc in semetipso complere habēs in se Iesum ducem per fidē, fac tibi tubas ductiles ex scripturis sanctis inde duc sensus, inde sermones, ideo enim tubæ ductiles dicuntur: in ipsis cane, idest in psalmis, innis & canticis spiritualibus. Muri illico corruerunt &c. In aduentu Iesu muri Hyerico subuersi sunt, in auentu Christi vincitur mundus.

Moraliter Hyerico significat ciuitatem culpę, quam facit amor sui vsque ad contemptum Dei, cuius murus subuertitur sonitu sanctæ prędicationis, clamore deuotæ orationis.

8 Iof.10. OCtauum miraculum habetur ibi. Dixitque Dominus ad Iosue, ne timeas eos: In manus enim tuas tradidi illos: Nullus enim ex eis tibi resistere poterit; irruit itaque Iosue super eos repente tota nocte ascendens de galgalis, & conturbauit eos Dominus à facie Israel, contriuitque plaga magna in Gabaon; ac persecutus est eos per viam ascensus Bethorum, & percussit vsque Azecha, & maceda, cumque fugerent filios Israel, & essent in descensu Bethorum, Dominus misit super eos lapides magnos de cęlo vsque ad Azecha: & mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filij Israel.

Glos. ord. Dominus misit super eos &c. Scilicet grandinis insolitæ magnitudinis, ita quod possent armatos interficere. Et mortui sunt multo plures &c. Quod factum est ne filij Israel sibi victoriam adscriberent.

Nonum

NOnum miraculum habetur ibi. Omnia itaque castra turbata sunt,& vociferantes,vlulantesq; fugerunt;& nihilominus insistebant trecenti viri buccinis personantibus. Immisitque Dominus gladium,in omnibus castris, & mutua se cęde truncabant, fugientes vsque &c. 9 Iud.7.f

Nicol. de Lyra. Gladius Domini fecit exercitum terreri hostium,ita vt turbatus vnus interficiebat alterum,credens percutere aduersarium.

DEcimum habetur miraculum ibi. Percusit autem Dominus de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent arcam Domini, & percusit de populo septuaginta viros,& quinquaginta millia plebis: luxitque populus, eo quod Dominus percusisset plebem plaga magna. 10 1.Reg.6 d

Glos. ord. Percusit autem Dominus &c. Quia cum non essent Leuitæ ausi sunt videre arcam.

Nicol. de Lyra. Et percusi sunt de populo &c. Solum septuaginta viri percusi sunt,qui erant tantæ reputationis, qui æquiparabãtur quinquaginta millibus de plebeis,sicuti dicitur de Dauid. Tu vnus pro decem millibus computaris. Principales enim populi percusi fuerunt,eo quod debebant ordinare populum,& pręcauere de prædictis offensis. 2.Reg. 18.

VNdecimum miraculum habetur ibi. Percusseruntq; filij Israel de Syris centum millia peditum in die vna. Fugerunt autem qui remanserunt in Aphec,in Ciuitatem, & cecidit murus super viginti septem millia,hominum qui remanserant &c. 11 3.Reg. 20.f

Nicol.de Lyra. Et cecidit murus &c. Volebat enim fortificare murum ad se defendẽdum intra Ciuitatem. Sed quia ædificium erat antiquum ex concusione, & voluntate Dei cecidit super blasphemos.

DVodecimum habetur miraculum in hoc genere ibi. Respondens Helias,dixit Quinquagenario. Si homo Dei sum,descendat ignis de cœlo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. Descendit itaque ignis de cœlo,& deuorauit eum, et quinquaginta,qui erant cum eo. Rursusque misit ad eum Principem Quinquagenarium alterum, & quinquaginta cum eo: qui locutus est illi. Homo Dei hæc dixit Rex. Festina descende. Respondens Helias ait. Si homo Dei ego sum,descendat ignis de cœlo,& deuoret te,& quinquaginta tuos. Descendit ergo ignis de cęlo, & deuorauit illum, & quinquaginta eius &c. 12 4.Reg. 1.b

Glos. ordin. Misit ad eum &c. Quinquagenarium confessio est pœnitentiæ, quo declaratur remissio peccatorum. Iudæi ergo volentes Christum Deum esse, nec Principem pœnitentiæ, dicunt ei.
Ioa. 8. g Quinquaginta annos nondum habes. & Abraam vidisti, & in futuro igni incenduntur. Tertius quinquagenarius, qui conuersus ad fidẽ Trinitatis pœnitentiæ sacramẽtum cognouit, indulgentiã meruit.

Nicol. de Lyra. Misit ad eum &c. Volebat enim quod violenter adduceretur, si recusaret venire, & puniretur. Homo Dei Rex præcepit &c. Cognouit Helias per reuelationem, quod irrisoriẽ vocabat eum hominẽ Dei, & quod consentaneus erat Regi in peccato idolatriæ. Descendat ignis de cœlo &c. Hoc modo beatus
Act. 5. a Petrus mortis sentẽtiam pronunciauit super Ananiam, & vxorem suam. Tertius verò quinquagenarius fuit Abdias, qui valde timebat Deum.

Aug. de mirab. sac. scrip. lib. 2. cap. 20.

Ignis autem in hoc loco, sicut & in prædicto holocausto Dei, docto prophetæ verbo obediens, quod iubebatur impleuit. Et in his grauioris ante commissi crimen peccati, sicut & in Oza, & numero populi prædiximus, vltrix flammam numerum puniuit.

13
4. Reg. 2 d
DEcimum tertium miraculum habetur ibi. Ascendit autem inde Eliseus in Bethel, cumq; ascenderet per viam pueri parui egressi sunt de Ciuitate, & illudebãt ei dicentes. Ascende calue, ascende calue. Qui cum respexisset vidit eos. & maledixit eis in nõmine Domini. Egressiq; sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros. Abijt autem inde in montem Carmeli, & inde reuersus est in Samariam.

Glos. ord. Ascendit autem inde &c. Isid. Eliseus sal Dei, is est, qui Saluator vocatur, cui illudunt Iudæi, quòd in Caluariæ loco ascensurus erat in crucem. Sed Christus postquam ascendit in cœlum, sicut Eliseus ascendit in Bethel, idest in domum Dei, quadragesimo secundo anno, immisit duos vrsos de filiis gentium, Vespesianum, scilicet & Titum, qui eos crudeli strage deiecerunt, ibique sanguis eorum effusus est, vbi Dominum suspenderunt.

Nic. de Lyra. Pueri parui egressi sunt &c. Edocti ad hoc & incitati à suis parentibus idolatris, vt subsannarẽt Prophetam Domini: & ideo maledixit eis, vt parentes eorum in ipsis punirentur, & vt malitiam parentum amplius nõ imitarentur. Sciebat enim Deo reuelante mortem eorum cito euenire post suam maledictionem, quam protulit ex sententia diuinæ iustitiæ.

DEcimum quartum miraculum habetur ibi. Cumque ibi habitare cœpissent, non timebant Dominum, & immisit eis Dominus Leones, qui interficiebant eos. Nunciatumq; est Regi Assyriorum, & dictum, gentes quas transtulisti, & habitare fecisti in Ciuitate Samariæ ignorant legitimam Dei terram, & immisit in eos Dominus Leones: & ecce interficiunt eos, eo quod ignorent ritum Dei terræ. 14 4. Reg. 17. d

Nic. de Lyra. Non timebant Dominum &c. Quia nutriti erant in idolatria. Et immisit eis Dominus Leones &c. In pœnam suæ Idolatriæ. Eo quod ignorent &c. Isti enim qui erant gentiles credebant quod secundum multitudinem terrarum, & regnorum esset multitudo Deorum, quorum quilibet in terra sibi appropriata cultum sibi debitum, & specialem vellet habere.

VIdeamus modo nominatim in specie, qui fuerint miraculosè occisi.

Primum igitur miraculum habetur circa hoc ibi, Arreptisque Nadab, & Abiud filij Aaron thuribulis, posuerunt ignem, & incensum desuper offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat: egressusq; ignis à Domino deuorauit eos, & mortui sunt coram Domino. 1 Leui. 10. a

Glos. interl. Ignem alienum &c. Qui non est egressus à Domino Deo nostro.

Glos. ord. Isid. Alienum ignem offerunt, qui traditione Dei contépta, alienas doctrinas appetunt, & magisteria humanę institutionis inducunt, quibus dicitur. Reijcitis mandatum Dei propter traditionem vestram. Mortui sunt coram Domino &c. Res miranda, vbi debuerant viuere, ibi moriuntur, quia scilicet malè interpretántes diuinas scripturas, inde subiacent maledictioni, vnde vitam poterant promereri.

Nicol. de Lyra. Quod eis præceptum non erat &c. Minus dicit, & plus significat, quia non solum eis præceptum non fuerat, immo etiam prohibitum, ne alio igne vterentur, quam illo, qui datus fuit à Deo. Egressusq; est ignis à Domino &c. Idest ab altari holocausti, vbi erat ignis datus à Deo. Deuorauit eos &c. Idest interfecit, quia corpora eorum non fuerunt consumpta, nec eorum vestimenta.

Moraliter. Per istos offerentes ignem alienum coram Domino figurati fuerunt Sacerdotes noui testamenti, qui cum igne cupiditatis, vel luxurię ministrant in altari, propter quod percutiuntur morte culpæ, postea percutientur morte gehennæ.

2 1. Reg. 5. a SEcundum habetur miraculum ibi. Et ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam Domini, & tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum ſuum: Rurſumque mane die altera conſurgentes inuenerunt Dagon iacentem ſuper faciem ſuam in terra coram archa Domini, caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abſciſſæ erant, ſuper limen: porro Dagon ſolus truncus remanſerat in loco ſuo Et infra.

Aggrauata eſt autem manus Domini ſuper Azotios & demolitus eſt eos, & percuſsit in ſecretiori parte natiuum Azotum, & fines eius, & ebullierunt villæ, & agri in medio regionis illius, & nati ſunt mures, & facta eſt confuſio mortis magnæ, in ciuitate: videntes autem viri Azotij huiuſmodi plagam, dixerunt, non maneat arca Dei Iſrael apud nos, quoniam dura eſt manus eius ſuper nos, & ſuper Dagon Deum noſtrum &c.

Gloſ. interl. Ecce Dagon &c. Poſtqua teſtamentum Dei peruenit ad gentes ſtatim idola corruerunt. Manus abſciſſæ erant ſuper limen &c. Ideſt finem qua idolatria deſtruitur.

Eccl. 10. b Gloſ. ord. Caput autem &c. Superbia diaboli, qui eſt initium omnis peccati. Super limen &c. Rab. finem per finitum ſignificat, in quo ceſſaret idolatria, limen enim finis eſt itineris. Truncus ſolus &c. Dorſum tantum inuenerunt fractis omnibus membris, quod Idolatriæ fugam exprimit, qui enim fugit dorſum dat

Pſ. 20. c fuganti, vnde pones eos dorſum.

Moraliter. Per arcam Domini, ſignificatur ſacra ſcriptura, ſicut & crux ſancta vetus enim teſtamentum clamat Chriſtum paſſurum, nouum autem factis mirabilibus clamat ipſum paſſum.

Aug. de mirab. ſacr. ſcript. lib. 2. cap. 7.

Conuenienter Dominus illis vtramque pœnam parauerat qualem rerum ipſarum conueniens ratio exigebat, quatenus qui miſera animalia diuino cultu venerabantur, per miſerrima animalia in aduentu dominicę legis caſtigarentur, & qui tabernaculi Domini interiora, ideſt Arcam extra limites ſuos protraxere, hi interiorum ſuorum foras prominentium feda affligerentur clade.

3 2. Reg. 6 b TErtium miraculum habetur ibi. Poſtquam autem venerunt ad Archam Nachor, extendit Oza manum ad archam Dei, & tenuit eam, quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eam, iratuſque eſt indignatione Dominus contra Ozam, & percuſsit eum ſuper temeritate qui mortuus eſt ibi iuxta Archam Dei &c.

Gloſ. interl. Super temeritate &c. Ideſt ſuper humeros eſt percuſſus, quibus ſecundum legem Archam ferrę debuit.

Aug. de mirab. ſac. ſcrip. lib. 2. cap. 12.

In hoc facto temeritas cum ipso Oza, qui cum non esset de genere Aaron, archam tetigit damnatur, & totus populus quia caute in diuinis rebus se agere deberet, ad monetur: sed quidã aliquod præcedens peccatum in Oza per hanc culpam punitum esse existimant, quoniam sæpe euenit, vt minores culpæ præcedentium peccatorum vindictam incutiant.

QVartum habetur miraculum ibi. Accedit autem vt accurreret Absalon seruis Dauid sedens mulo: cumq; ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, & magnam, adhæsit caput eius quercui, & illo suspenso inter cęlum & terram, mulus cui insiderat pertransiuit: & infra. 4 .Reg. 18.b

Et ait Ioab: Non sicut tu vis, sed aggrediar eum coram te tulit ergo tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalon, cumque in hoc palpitaret hærens in quercu, curreruntdecem iuuenes armigeri Ioab, & percutientes interfecerunt eum &c.

Glos. ordin. Absalon suspensus significat Iudæos stultitiæ carnalis incumbentes propter superstitionem Pharisæorum legem corrumpentes, per ipsamquam ad correctionẽ vitæ pręceperant mortis occasionem habuerunt, Ioab vero in cor Absalon tres lanceas figit, cum diabolus, auaritiam, superbiam, & inuidiam, vel perfidiam in cor iudaici populi mittit, quæ illis maxime sunt causa perditionis.

QVintum habetur miraculum ibi. Vir quidam nomine Ananias, cum Saphira vxore sua vendidit agrum, & fraudauit de præcio agri conscia vxore sua, & afferens partem quandam ad pedes apostolorum posuit, dixit autem Petrus ad Ananiam: Anania cur tentauit satanas cor tuum mentiri de Spiritu sancto, & fraudare de præcio agri? Non ne manens tibi manebat & venundatum in tua erant potestate? quare posuisti in corde tuo hanc rẽ? Non es mentitus hominibus, sed Deo, audiens autem Ananias hæc verba cecidit & expirauit: Et est timor magnus super omnes qui audierunt, surgentes autem iuuenes amouerunt eum, & efferentes sepellierunt: Factum est autem quasi horarum trium spatium, & vxor ipsius nesciens quod factum fuerat introiuit, dixit autem ei Petrus dic mihi si tanti agrum vendidistis? At illa dixit etiam tanti: Petrus autem ait ad eam: quid vtique conuenit vobis tentare spiritum Domini? Ecce pedes eorum qui sepellierunt virum tuum ad ostium efferent te. Confestim cecidit ante pedes eius, & expirauit: intrantes autem iuuenes inuenerunt illam mortuam, & extulerunt, & sepelierunt ad virum suum: & factus est timor magnus 5 Act. 5.a

magnus

magnus in vniuersa Ecclesia.

Glos. interl. Vir autem quidam &c. Nomen eius primo non po nit, vt Ioseph, quia istum culpa ignobilem fecit. Fraudauit de pretio &c. Ideo fraus fuit, quia totum vouerat, sicut cæteri. Conscia vxore sua &c. Merito fuit & mortua. Dixit autem Petrus &c. Quasi princeps Apostolorum loquitur. Tibi manebat &c. Tuum erat tibi proficere poterat. Non es mentitus &c. Quod putat secretum apparet per infidelitatem. Sed Deo &c. Qui scrutatur corda, & perdit omnes qui loquuntur mendacium. Respondit autem ei Petrus &c. Rei non verbo, introitui vxoris non sermoni. Confestim cecidit ante pedes eius &c. Quia non solū qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus, digni sunt morte. In vniuersa Ecclesia, & in omnes &c. Idest fideles, & infideles.

Glos. ord. Cur tentauit Sathanas? &c. Tribus modis tentatio agitur, suasione, delectatione, consensu, quod totum impletum est in Anania. Et fraudare de precio &c. Rab. In hoc videtur mendacium fuisse, quia totum vouerat: melius autem est non vouere, quam post votum non soluere Spiritui sancto. Dic mihi &c. Rab. Culpā vxoris interrogans declarat ex ipsius confessione, quam maritus suam monstrauerat in opere.

Nic. de Lyra. Cur tentauit &c. Promiserant enim omnes Deo de societate viuere sine proprio, & sic mentitus fuit Deo partem sibi appropriando. Et fraudare de precio &c. Retinere enim sibi soli, quod est commune, & occultè est communitatem defraudare. Nonne manens &c. Poteras enim tunc agrum vendere, vel retinere, & de precio tuam voluntatem facere, nec aliquis te coegit votum facere. Cœcidit subito &c. Transgresiones enim alicuius legis grauissime sunt in principio puniendæ.

Moral. Religiosi proprietarij, nisi peniteant, punientur morte gehennali, sicuti puniti fuerunt Ananias, & vxor ipsius.

Aug. de mirab. sac. scrip. lib. 3. cap. 16.

Ecce quanta est apostolica virtus in Christo: sanum Ananiam dum Petrus arguit per sermonis tantum imperij morte ligauit; & Tabitam mortis vinculo ligatam, eadem imperij potestate dissoluit. Ideoque prius Ananias, & Saphira in conspectu Ecclesiæ mortui cito sunt, vt apostolica auctoritas, quanta esset ostenderetur; & quam magnum peccatum esset, quod oblatum est iterum ab Ecclesia retrahere monstraretur, & cæteri exēplo huius castigarētur.

6 Sextum habetur miraculum ibi. Statuto autem die Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos,
Act. 12. d Populus autem acclamabat Dei voces, & non hominis, confestim

ſtim autem percuſsit eum Angelus Domini eo quod non dediſſet honorem Deo & conſumptus à vermibus expirauit: Verbũ autem Domini creſcebat, & multiplicabatur &c.

Gloſ. interl. Veſtitus veſte regia &c. Deſcribitur gloria, vt poſtea maior ſit miſeria. Sedit pro tribunali &c. Vbi locus erat Iudicij. Concionabatur &c. Blandiendo, & adulando. Dei voces, & non hominis &c. Adulatio, & prauitas fidei oſtenditur. Eo quod non dediſſet honorem Deo &c. Perſequendo Apoſtolos, & nomen Dei reſpuendo. Verbum autem Domini &c. Falſo Domino mortuo, Dei verbum creſcit.

Moraliter. Per hoc doceri debent prælati, & principes vt non acceptent diuinos honores, ſed magis impediant inconuenientes honores ſibi præſtandos. b

DIctum eſt de his, qui diuina virtute interfecti ſunt, modo ſequendo ordinem iam præpſitum dicendum eſt de his qui eadem virtute percuſsi & vulnerati ſunt.

Quorum primus habetur ibi. Et ecce vir luctabatur cum eo vſque mane: qui cum videret, quod eum ſuperare non poſſet, tetigit neruum femoris eius, & ſtatim emarcuit &c. 1 Gen. 32 f

Gloſ. interl. Et ecce vir luctabatur &c. Quia in contemplatione, quaſi in luctamine modo Dei ſuauitas vtcumque complectitur, modo ſuperat vt non ſentiatur. Et ſtatim emarcuit &c. Quia cõtemplationis propagandæ mortalitatis vſus aboletur.

Gloſ. ord. Et ecce vir luctabatur &c. Iſid. Vir enim iſte Chriſtũ ſignificat, cui volenti præualuit Iacob, vt myſterium ſignificaret paſsionis, in qua viſus eſt corporis ſui ſobole præualuiſſe Deo, & quaſi cum infirmo, ita cum carne eius luctamen inire, & inualere cum diceret, Crucifige crucifige.

Moral. Per hoc moraliter ſignificatur, quod boni malis finaliter præualebunt iuxta illud, ſtabunt iuſti in magna conſtantia &c. Sap. 5. a

SEcundum habetur miraculum ibi. Et dixit Dominus ad Moyſem, & Aaron, tollite plenas manus cineris de camino, & ſpargat illum Moyſes in cœlum coram Pharaone: ſitque puluis ſuper omnem terram Ægypti, erunt enim in hominibus & iumentis vlcera, & veſicæ turgentes in vniuerſa terra Ægypti. Tuleruntque cinerem de camino, & ſteterunt coram Pharaone, & ſparſit illum Moyſes in cœlum, factaque ſunt vlcera veſicarum turgentium, in hominibus, & iumentis nec poterant malefici ſtare coram Moyſe propter vlcera, quæ in illis erant, in omni terra Ægypti. 2 Exod. 9. c

Gloſ. interl. Vlcera & veſicę turgentes &c. Doloſa & prurulenta

lenta malitia in flata ſuperbia.

Gloſ.ord. Raban. Sextum præceptum non occides, ſexta plaga puſtulæ in corpore, veſsicæ bullientes & ſcatentes incendia vulnerum, & fauillæ fornacis. Ardent enim homicidæ ira, inſania.

Nic.de Lyra. Sparſit illum Myſes &c. Et non Aaron, quia illa ſparſio cineris facta fuit verſus cęlum: Aaron enim erat ordinatus in his quæ pertinebant ad populum: Moyſes autem in his, quæ pertinebant ad Deum.

3 2.Par.21 d TErtio habetur miraculum ibi. Et ſuper hæc omnia percuſſit eum Dominus alui languore inſanabili.

Morali. Per aluum mens hominis aliquando deſignatur, vt verba bilinguis, quaſi ſimplicia, & ipſa pertingunt ad interiora ventris, ideſt mentis.

Pro.18.b

4 2.Mat.9.c QVartum habetur miraculum ibi. Sed qui vniuerſa conſpicit Dominus Deus Iſrael percuſsit Antiochum inſanabili,& inuiſibili plaga: vt enim finiuit hunc ſermonem apprehendit eum dolor dirus viſcerum, & amara internorum tormenta: & quidem ſatis iuſtè, quippe qui multis, & nouis cruciatibus aliorum torſerat viſcera, licet ille nullo modo à ſua malitia ceſſaret &c.

Gloſ.ordin.Per Antiochum ita percuſſum deſignatur quod perſecutores Chriſtianorum pro male factis ſuis atque iniuſtitię operibus in futurum iuſtam à Domino pęnam recipiendi ſunt: & quod hi qui conturbare fidelium corda non metuebant in extrema vltione internis doloribus ſera cruciantur pęnitentia: Hoc tamen & ante cedens melius conueniret cum his, qui ex percuſsione mortui ſunt.

5 Act.13.b QVintum habetur miraculum ibi. Et cum per ambulaſſent vniuerſam inſulam vſque ad Paphum inuenerunt quendam virũ magnum Pſeudo Prophetam Iudęum, cui nomen erat Barieu, qui erat cum Proconſule ſergio Paulo viro prudente: Hic auerſitis Barnaba, & Saulo, deſiderabat audire verbum Dei Reſiſtebat autem illis Elymas magus (ſic enim interpratatur nomine eius)quęrens auertere proconſulẽ à fide:Saulus autem qui & Paulus repletus Spiritus ſancto intuens in eũ dixit ò plene omni dolo, & omni fallacia filij diaboli, inimice omnis iuſtitię, non deſinis ſubuertere vias Domini & nunc ecce manus Domini ſuper te, et eris cęcus non videns ſolẽ vſq; ad tempus. Et confeſtim cecidit in eũ caligo, & tenebrę,& circumiens quęrebat,qui ei manũ daret:tunc proconſul cũ vidiſſet factũ,credidit admirans ſuper doctrina Domini &c.

Gloſ.

Glos. Interl. Cui nomen erat Barien &c. Ideſt maleficus. Prudente &c. Qui ex bono naturæ verbum Dei deſiderabat. Elymas magus &c. Maleficus, quod alijs commune eſt ei propriũ. O plene omni dolo &c. Plena non recipiunt augumentum. Non videns ſolem &c. Sicut non vides ſolem iuſtitiæ. Vſque ad tempus pœnitentiæ vel mortis. Et confeſtim &c. Non fortuitu, ſed ſurſum à Deo. Cum vidiſſet factum credidit &c. Ideſt cum doctrina Chriſti virtutem miraculi.

Gloſ. ordin. Et eris cœcus &c. Beda oportuit Paulum miracula agere ad conſummationem apoſtolatus, quem diu contra ſtimulum calcitrantem Dominus elegerat. Et confeſtim cecidit caligo &c. Non enim merebatur habere oculos carnis, qui mẽtis oculos laborabat auferre alijs.

Nicol. de Lyra. O plene omni dolo &c. In agibilibus. Et omni fallacia &c. Incredibilibus. Filij diaboli &c. Per imitationẽ in operibus. Et confeſtim &c. Ideſt in inſtanti ad oſtendendum quod cæcitas illa, non fuit à cauſa naturali, ſed ſupernaturali.

Moraliter. O plene omni dolo &c. Ex hoc patet quod tales ſunt acriter arguendi & incurrunt tenebras culpæ, & niſi pœniteant incurrunt tenebras gehennę.

Sextum habetur miraculum ibi. Itaque cum vidiſſent faciem Ionathæ, alij cadebant ante Ionatham, alios armiger eius interficiebat ſequens eum: Et facta eſt plaga prima, quam percuſsit Ionatas, & armiger eius, quaſi viginti virorum in media parte iugeri, quam par bouum indie arare conſueuit; & factum eſt miraculum in caſtris, & per agros, ſed & omnis populus ſtationis eorum, qui erant ad prædandum obſtupuit, & conturbata ſunt caſtra: Et accidit quaſi miraculum à Deo. 6 1. Reg. 14. c

Nicol. de Lyra. Itaque cum vidiſſent &c. Hoc contingit quia hos percuſsit Deus Acryſia, qua tollitur viſio, ſeu cognitio illius, quod eſſet alicui neceſſarium, vel expediens videri ab eo ſicuti percuſsi fuerunt milites quærentes Eliſeũ capere, quos è contrario duxit captos vſque ad medium ſamariæ. 4. Reg. 6. b

Septimum miraculum habetur ibi. Ieſus itaque ſciens omnia quæ ventura erant ſuper ſe proceſsit & dixit eis, quem queritis? reſponderunt ei: Ieſum Nazarenum, dicit eis Ieſus: Ego ſum: ſtabat autem & Iudas, qui tradebat eum cum ipſis: vt ergo dixit eis ego ſum abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram &c. 7 Ioã. 18. b

Gloſ. interl. Quem queritis &c. Non ignorans quid vellent, ſed vt ſcirent eum eſſe quem quærebant.

Gloſ. ord. Ego ſum &c. Hac vna voce tot feroces, & fortes mo riturus proſtrauit virtute latentis deitatis, qui volebat quidem comprehendi, ſed non niſi quando voluit. Abierunt retrorſum &c. Sic modo per Euangelium vbique dicit Chriſtus ego ſum, & Iudæi expectantes Antichriſtum, retro abeunt & in terrena, quæ amant cadunt.

Nicol. de Lyra. Abierunt retrorſum &c. Si enim vno verbo omnes proſtrauit, de facili poterat ab eis euadere: omnia enim iſta facta ſunt ex diuina ordinatione, vt declararetur virtus diuinitatis eius per prædicta, ſicut fragilitas humanitatis per captionem eius ſequentem & paſsionem.

Moraliter, Ille qui cadit retrorſum non vidit ſui caſus periculum, ſic etiam labentes in culpam non vident ſui lapſus miſeriã.

Cat. aurea. Vt ergo dicit eis, ego ſum &c. Aug. Vbi nunc militum cohors? vbi terror & munimen armorum? vna vox turbam odijs ferocem armiſque terribilem ſine tælo vllo percuſsit, repulit, ſtrauit: Deus enim latebat in carne, & ſempiternus dies, ita membris occultabatur humanis, vt cum laternis, & facibus quæreretur occidendus à tenebris, quid iudicaturus faciet, qui iudicandus hoc fecit?

Greg. ſuper Ezech. Abierunt retrorſum &c. Quid autẽ hoc quod electi, in faciem, & reprobi retrorſum cadunt; niſi quod omnis, qui poſt ſe cadit, ibi cadit, vbi non videt, qui vero ante ſe ceciderit, ibi cadit, vbi videt, iniqui ergo quia in inuiſibilibus cadunt, poſt ſe cadere dicuntur, quia ibi corruũt vbi quod tunc eos ſequitur, modo videre non poſſunt, iſti vero, quia in iſtis viſibilibus ſemetipſos ſponte deijciunt, vt in inuiſibilibus erigantur, quaſi in faciem cadunt, quia timore compuncti, videntes humiliantur.

PErcutit quoque Deus hominem non ſolum occidendo eum & ſibi ſanitatem auferendo, ſed etiam in bonis eius exterioribus ea diminuendo, & deuaſtando, quod patet in his quę dicta ſupra de Iob, atque de his quæ Pharaoni contingerunt in Ægypto.

1 Quorum primum habetur ibi. Dixit Dominus quoque ad Moy
Exod. 7. d ſem dic ad Aaron: Tolle virgam tuam, & extende manum ſuper aquas Ægypti, & ſuperfluuios eorum, & riuos, ac paludes, & omnes lacus aquarum, vt vertantur in ſanguinem, & ſit cruor in omni terra Ægypti, tam in ligneis vaſis, quam in ſaxis, feceruntq; Moyſes, & Aaron, ſicut præceperat Dominus & eleuãs virgã percuſsit aquam fluminis coram Pharaone, & ſeruis eius: quę verſa eſt in ſanguinem, & piſces qui erant in flumine mortui ſunt, compu-

truitque fluuios,& non poterant Ægyptij bibere aquam fluminis, & fuit sanguis in tota terra Ægypti &c.

Glos. interl. Extende manum tuam &c. Manifesta potentiam. Et eleuans virgam &c. Crucem. Aquam fluminis &c. Philosophorum dogmata. Coram Pharaone &c. Vnde omnis sanguis, qui effussus est super terram requiretur à generatione hac. Versa est in sanguinem &c. Mortem viuentium. Et pisces &c. Homines. Qui erant in flumine etc. Philosophico dogmate.

Glos. ord. Isid. Plagæ in Ægypto corporaliter gestæ sunt, sed in nobis spiritualiter geruntur: Ægyptus enim seculi forma est. Strab. Aqua in sanguinem versa mundanam sapientiam significat, in qua omnis qui manserit necatur sicut in sanguine piscis. Quæ versa est in sanguinem &c. Raba. Primum præceptum de colendo vno Deo, comparatur primę plagę: aqua de qua generantur omnia significat vnum Deum, de quo omnia, sanguis carnem mortalem: Aqua ergo versa est in sanguinem, quia commutauerunt gloriam Dei incorruptibilibus in similitudinem imaginis corruptibilis hominis,& hæc quidem commutatio fit in corde impiorum.

Nico. de Lyra. Considerandum est, quod dicitur. Armabit creaturam ad vltionem inimicorum: & ideo istæ plagæ inflictæ sunt à Deo, ministerio quasi omnis generationis creaturarum, scilicet quatuor elementorum corporum cœlestium, hominum,& Angelorum, vt patebit prosequendo. Sap. 5. d

Moral. Per hanc aquā significatur sapientia Scribarū, & Phariseorū, quæ totaliter versa fuit ad Christi sanguinem effundendū.

Aug. de mirab. sac. scrip. lib. 1. cap. 18.

Hæc primitus vindicta Ægiptijs cū Rege suo conuenienter euenerat, vt qui Dei populi infantes in flumine iactare præceperat, eiusdem fluminis aqua in sanguinem versa exitium bibentium inferret,& non bibentibus pœnam præstaret.

At verò & hoc requirendum est, quod ad præsentis operis propositum respicit, quomodo Deus naturæ gubernator naturaliter aquam in sanguinem mutauit.

Aqua igitur cuncti liquoris materia, quotidiè per ipsarum rerū ministrationes in diuersa mutatur; dum in vniuscuiusque naturæ pastum, & refectionem indesinenter, & naturaliter contrahitur. Cum enim per vitis arborem infunditur, in vini saporem, & colorem mutatur: & cum oliuæ ligni ad excelsas summitates ascendit, eadem aqua olei pinguedinem facit: & cum in apibus in fauos con geritur mellis dulcedinem operatur, & cum per palmarum robora digeritur dactilos gignit, & ad sycere suauitatem expressa peruenit: & cum in animalium diuersorum pastum deputatur, in sangui-

nis ſubſtantias diuerſas, per eandem carnem diſtinguitur; nam & nutriendis fœtibus albi coloris, & ſuauiſsimę dulcedinis in vberibus lac præparat, & per cuncta reliqua carnis membra rubicundũ ſanguinis colorem fuſcat. Multa ſunt prætereа ſanguinis genera per eandem carnem, quę vſque ad viginti tria Phyſiologi dinumerant, ex quibus vrinam, ſemen, fel, nigrum, & rufum, ſaliuas, & lacrymas, & cætera eſſe denunciant, hæc quotidianis adminiſtrationibus naturæ ſuæ varias per partes aqua præparat.

Quid ergo capacibus mentibus obſtat, ſi illud quod per tempus longius facit, in momento, per iuſſum potentiſsimi gubernatoris, naturaliter efficiatur.

Aqua in ſanguinem verſa non contra naturam facit, ſed quod alijs rebus per tempus efficeret, iubente Domino in ſemetipſo protinus operatur.

SEcundum habetur miraculum ibi. Dixitq; Dominus ad Moy-
2 ſem, dic ad Aaron. Extende manum tuam ſuper fluuios, & ſuper
Exo.8.a riuos, ac paludes, & educ ranas ſuper terram Ægypti. Extendit Aaron manum ſuper aquas Ægypti, & aſcenderunt ranæ operueruntque terram Ægypti &c.

Gloſ. interl. Aſcenderunt ranæ &c. Carmina Poetarum.

Gloſ. ord. Orig. Ranæ ſignificant carmina Poetarum quę inani, & inflata modulatione, vel ranarum ſonis, & cantibus mundo deceptionis, fabulas intulerunt: ad nihilum enim animal illud eſt vtile, niſi quod ſonum vocis improbis, & importunis clamoribus reddit. Raba. Secundũ pręceptum. Non accipies nomen Dei
Ioan.8.f tui in vanum. Nomen Dei veritas eſt, ipſe enim ait. Ego ſum veritas, qui loquitur veritatem, de Deo loquitur: qui enim loquitur mendacium de ſuo loquitur: veritatem enim loqui eſt rationabiliter loqui: vanitatem loqui ſtrepere eſt. Secundum ergo pręceptum eſt de dilectione veritatis, cuius contraria eſt dilectio iniquitatis, loquitur veritas, perſtrepit vanitas. Huic contraria eſt ſecunda plaga ranarum abundantia, quarum loquacitas vanitatem ſignificat. Amatores veritatis non accipiunt nomen Dei in vanum, quia à veritate in vanitatem non recedunt: qui autem veritati contradicunt, & vanitate decepti decipiunt ranę ſunt tędium inferentes auribus, non cibum mentibus audi homines rationabiliter loquentes. Non ſunt loquelę, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum. Audi ranas, vana locuti
Pſ.18.a
Pſ.11.a ſunt vnuſquiſque ad proximum ſuum.
Exo.8.d Sequitur in textu ibi. Egreſsiq; ſunt Moyſes, et Aaron à Pharaone, et clamauit Moyſes ad Dominum pro ſponſione ranarum, quam

quam conduxerat Pharaoni, fecitque Dominus iuxta verbum Moysi, et mortuę sunt ranę de domibus, de villis, et agris: congregaueruntque eas immensos aggeres, et computruit terra etc.

TErtium habetur miraculum ibi. Dixitque Dominus ad Moysem loquere ad Aaron: Exende virgam tuam & percute puluerē terræ, & sint Cyniphes in vniuersa terra Ægypti: Fecitq; ita, & extendit Aaron manum virgam tenens, percussitque puluerem terræ et facti sunt Cyniphes in hominibus, et iumentis. 3 Exo. 8 d

Glos. interl. Et sint Cyniphes etc. Dialeticæ, argutiæ vel hæretici qui dialeticis sylogismis indoctos decipiunt.

Glos. ordin. Extende virgam tuam etc. Moyses virgam castigans Ægiptum legem significat, quę mundum decem plagis mandatorum corripit, virga quoque significat crucem Christi, per quā mundus vincitur, et diabolus superatur. Raba. Tertium pręceptū: memento diem sabbati sanctificare, quod significatur vacatio, et tranquillitas mentis, quam bona conscientia facit, ibi sanctificatio, quia ibi spiritus Dei, contraria plaga scilicet Cyniphes nati sunt in terra Ægypti, de limo videlicet muscæ minutissimæ, inquietissime inordinatè volantes in oculos ruentes, & negantes hominibus requiem, dū abiguntur redeunt sic Phantasmata inquietorum pręceptum tene, plagam caue. Erantque Cyniphes &c. Sanguis est doctrina Philosophorum, Ranæ figmenta poetarum, Cyniphes sophysmata dialeticorum, quæ omnia mundum deceperunt.

QVartum habetur miraculum ibi. Fecitque Dominus ita & venit musca grauissima in domus Pharaonis. & seruorum eius, & in omnem terram Ægypti, corruptaque est terra ab huiusmodi muscis. Et infra. 4 Exo. 8.f

Egressusque Moyses à Pharaone, orauit Dominum qui fecit iuxta verbum illius, & abstulit muscas à Pharaone, & à seruis, & à populo eius; Non superfluit nec vna quidem &c.

Glos. interl. Et venit musca grauissima &c. Impetus, & turba cogitationum, quæ maxime orationibus occurrunt. Ab huiusmodi muscis &c. Caninis moribus, importunis cogitationibus.

Glos. ord. Rab. Quartum præceptum: Honora patrem tuum, & matrem tuam, huic contraria est quarta plaga, idest cynomia, quæ est musca canina, caninum est enim parentes non agnoscere: vnde catuli eorum cœci nascuntur.

QVintum miraculum habetur ibi. Dixit autem Dominus ad Moysem. Ingredere ad Pharaonem & loquere ad eum: Hæc dicit 5 Exo. 9.a

dicit Dominus Deus Hebræorũ dimitte populũ meũ, vt sacrificet mihi, quod si ad huc renuis, & retines eos, ecce manus mea erit super agros tuos, super equos, & asinos, & camelos, & oues, & boues pestis valde grauis: & fecit Dominus mirabile inter possessiones Israel, & possessiones Ægyptiorum, vt nihil omnino pereat ex his quæ pertinent ad filios Israel: Constituitque Dominus tempus, dicens, cras faciet Dominus verbum istud in terra: Fecitque ergo Dominus verbum hoc altera die: Mortuaque sunt omnia, animantia Ægyptiorum, de animalibus vero filiorum Israel nihil omnino perijt, & misit Pharao ad videndum, nec erat quicquam mortuum de his, quæ possidebat Israel.

Glos. interl. Mortuaque sunt omnia animantia &c. Vt cultores animalium confundantur. Filiorum Israel &c. Qui Deum colunt, non animalia.

Glos. ord. Orig. Quinto loco animaliũ nece, vel pecudũ Ægyptus verberatur: In quo vecordia vel stultitia mortalium arguitur, qui tamquam irrationabilia pecora cultum, & vocabulum Dei, imposuerunt figuris, non solum hominum, sed pecundum ligno, & lapidibus impressis. Raba. Quintum pręceptum est non męcaberis, quinta plaga mors in pecoribus: comparemus hęc, da hominem męchari volentem coniugio non contentum: Appetitum carnis deuitare, non vult nobis pecoribusque communem, coire enim & generare, etiam pecudum est: ratiocinari, & intelligere hominũ est. Sexta plaga fuit posita supra dum de vulneribus hominum dictum fuit.

6 Exo. 9. c SExtum habetur miraculum ibi. Et dixit Dominus ad Moysem, extende manum tuam in cœlum, & fiat grando in vniuersa terra Ægypti super homines, & super iumenta, & super omnem herbam agri in terra Ægypti, extenditque Moyses virgam in cælum, & Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram, pluitque Dominus grandinem super terram Aegypti, & grando & ignis mixta pariter ferebantur, tantęque fuit magnitudinis, quanta ante numquam apparuit in vniuersa terra Aegypti, ex quo gens illa condita est: & percussit grando in omni terra Aegypti cuncta quę fuerant in agris, ab homine vsque ad Iumentum, cunctamque herbam agri percussit grando, & omne lignum regionis confregit tantum in terra Gessem, vbi erant filij Israel grando non cecidit. Et infra.

Egressusque, Moyses à Pharaone ex vrbe tetendit manus ad Dominum, & cessauerunt tonitrua, & grando, nec vnquam stillauit super terram.

Glos.

Glos.interl. Dominus dedit tonitrua &c. Non cum silentio verberat,doctrinam cœlitus mittit per quam castigatus culpam suam agnoscat mundus. Discurrentia fulgura &c. Miracula. Grando, & ignis mixta &c.De quo dicitur.Ignem veni mittere in terram. Raba. Septimum præceptum. Non furaberis. Septima plaga grando in fructibus. Nemo enim habet iniustum lucrum sine iusto damno,dum furaris acquiris vestem,amictis fidem, lucrũ visibile damnum inuisibile,lucrum de tua ciuitate,damnum de Domini nube: qui enim malo animo forinsecus furantur, Dei iudicio intrinsecus grandinantur, & ager cordis eorum deuastatur. Luc. 12. f

Nico.de Lyra. Ac discurrentia fulgura &c. Patet quod ista plaga facta fuit ex tribus elementis, scilicet aqua ratione grandinis, aere ex commotione eius vehementi ratione tonitrui, & igne ex fulgore discurrente.

Septimum habetur miraculum ibi. Dixit autem Dominus ad Moysem.Extende manum tuam super terrã Ægypti ad locustã, vt ascendat super terram, & deuoret omnem herbam, quæ residua fuerit grandini, & extendit Moyses virgam super terram Ægypti: & Dominus induxit ventum vrentem tota die illa,& nocte: & mane facto ventus vrens leuauit locustas, quæ ascenderunt super vniuersam terram Ægypti,& sederunt in cunctis finibus Ægyptiorum innumerabiles,quales ante illud tempus nõ fuerant,nec postea futura sunt; operueruntque vniuersam superficiem terræ, vastantes omnia. Deuorata est igitur herba terræ, & quicquid pomorum in arboribus fuit,quæ grando dimiserat, nihil quoque virens omnino relictũ est in lignis,& in herbis terræ,in cũcta Ægypto. Quamobrẽ festinus Pharao vocauit Moysem,& Aaron,& dixit eis. Peccaui in in Dominum Deum vestrum, & in vos: sed nunc dimittite peccatum mihi, etiam hac vice, & rogate Dominum Deum vestrum, vt auferat à me mortem istam. Egressusque est Moyses de conspectu Pharaonis,& orauit Dominum, qui flare fecit ventum ab occidente, vehementissimum, & arreptam locustam proiecit in mare rubrum. Non remansit ne vna quidem in cunctis finibus Ægypti. 7 Exo. 10. d

Glos. interl. Leuauit locustas &c Adulantium linguas, Innumerabiles &c. Adulantes enim non sunt digni numero.

Glos.ord.Octauum præceptũ. Falsum testimoniũ non dices.Octaua plaga locusta animal, scilicet dente noxium: falsus .n. testis nocet mordendo,& consumit mentiendo: vnde si mordetis,& consumitis, videte ne ab inuicem consumamini. Orig. Puto per hoc genus plagæ dissidentis semper à se, & discordantis humani generis inconstantiam confuturi. Stra. Per locustam quæ regem non Gal. 5. C

habet

habet, significatur temeritas illorum, qui licet diuersis pœnis mul tati, semper in duricia sua manent, tanquam nullum habeant recto rem. Isid. Locustæ pro mobilitate leuitatis accipiuntur tanquam vagæ, & salientes animæ pro voluptate seculi. Et extendit Moyses virgam &c. Quædam prodigia fiunt per Moysem, quædam per Aaron; quædã verò per ipsum Dominum, vt cognoscamus, in quibusdam per sacrificia Sacerdotũ, & obsecrationes Pontificum nos esse purgandos, quos Aaron persona designat. In quibusdam per scientiam legis emendandos, quod Moysi designat officium, in difficilioribus autem ipsius Domini virtute egemus. Ventus vrens leuauit locustas &c. Greg. Per locustas, quæ plusquam cætera minuta animantia frugibus nocent, linguæ adulantium figurantur, quę terrenorum mentes aliqua bona proferentes immoderatius laudando corrumpunt.

Nic. de Lyra. Peccaui in dominum &c. Simulat Pœnitentiam, vt euadat pœnam.

Moraliter. Locustę significant dęmones festinantes ad destruendum bonorum operum initia, vt sic sequens fructus impediatur. Ipsi verò torquent damnatos in inferno, quia sicut peccatores eius fuerunt subiecti in culpa, ita subijciuntur in pœna, ideo subditur. Comedatur quid residuum fuerit, quia dęmones supplẽt residuum pœnarũ inferi; vnde subditur. Deuorata est igitur herba, ita quod nihil remansit viride, per quod designatur, quod damnatis in inferno, nihil remanet cõsolabile, sed sempiternus horror inhabitãs.

Aug. de mira. sacr. scrip. lib. 1. cap. 19.

De plagis quibus Deus per Moysem, & Moyses per Aaron, Pharaonem, & terram eius, & seruos eius castigauerat, nil excessisse terminos naturę ipsa plagarum simplex narratio manifestat, quoniam, etsi tunc solito plures, semper tamen de aquis ranę nascuntur, & cynifes ęstatis tempore calore solis de puluere oriuntur locustę, & muscæ solis feruore solidatę vndique conueniunt, & iumenta diuersis causis morte solita vitę suę terminum peragunt: puluis quoque conturbatus de terra sępe aere serenum obscurat, & vesicas, & vlcera, in hominibus, & iumentis infectus aer generat, grando etiam, & fulgura de congelantibus, & vehementer turbatis nubibus ruunt, & absentia oculorum obtutus, quandocunque lux recessit, tenebrę plus præpediunt. Mors quoque in Adam seminata primitus omnibus filijs eius dominatur, per quam tunc in Ægypto primogenita soboles cunctorum arctius damnatur: sed quamuis hęc omnia in rerum materijs insita erant, Aegyptijs tamen plagali conditione ad eorum perfidiam compescendam, & subito plus solito acciderunt, quarum ordo plagarum,

sicut

ficutin differentia rerum, ita & miniftrorum creuit; Nam quoties de terra vindicta colligitur, per Aaron veluti inferioris ordinis miniftrum, quę verò de volatilibus, & morte iumentorum, quæ & ipsa velut in terra volant, pœna contrahitur, per Moyfi imperium agitur, quando autem de fupernis nubibus caftigatio conuocatur, per extenfionem in altum Mofaycæ manus conducitur, at verò quando humanæ mortis exitus à Deo difpenfatur, non homini, fed angelo minifterium illud committitur, vt qui illud vfque tempus per rerum quas pofsidebant flagella minus terrebantur, faltim per fuæ infignifsimæ partis detrimentum communem quod fequebatur interitum vererentur: Iftarum quoque modus plagarum, vndique hoc eft terra, aquis animantibus aere, igne, nubibus cœlo, & angelis conuenerat, vt oftenderetur, quod contra Deo rebelles, & contumaces fefe pariter vniuerfus orbis armat: ficut autem ijs quos Deus punire voluit omnis creatura irafcitur, fic & illis, quibus auxilium præbuit omnis creatura fuffragatur.

MOdo videndũ erit de miraculis factis circa creaturas rationales in donis, & gratijs fibi concefsis, vltra ea, quæ fupra dicta funt. Et hæc quoque funt in multiplici differentia.

Quorum Primum dicetur de his, qui in decrepita ætate, vel fterilitate fufceperunt filios, virtute diuina vt habetur ibi. Vifitauit autem Dominus Sarram ficut promiferat, & impleuit quæ locutus eft: concepitque, & peperit filium in fenectute fua, tempore quo prædixerat ei Deus: vocauitque Abraam nomen filij fui, quem genuit ei Sara, Ifaac, & circumcidit eum octauo die ficut præceperat ei Deus, cum centum effet annorum, ac quippe ætate patris natus eft Ifaac, dixitque Sara, Rifum fecit mihi Deus, & quicumque audierit, corridebit mihi, rurfumque ait, quis auditurus crederet Abraam, quod Sara lactaret filium, quem peperit ei iam feni? creuit igitur puer, & ablactatus eft. 1 Gen.21. a Gen.17. c 18.B

Glof. interl. Vifitauit autem Deus Sarram &c. Ecclefiam, quę longo tempore fterilis fuerat. Impleuitque quod locutus eft &c. Per prophetas. Concepitque, & peperit filium &c. Nouifsimis temporibus natus eft de virgine Chriftus. Ifaac &c. Gaudium quia in natiuitate Chrifti gauifi funt paftores, & Angeli. Octauo die &c. Quia poft feptimanam fabbati omnis corruptionis & immortalitatis propago tollitur. Quod Sara lactaret filium &c. Quod fcilicet de corporibus fonum iam ex hauftis infans nafceretur, & contra naturam lactaret anus, & eft commendatio gratię.

Nicol. de Lyra. Dixitque fara &c. Materia exultationis in partu prolis conceptę fupra virtutem naturæ. Quicumque audierit

corridebit mihi &c. Ideſt gaudebit de Dei bonitate, & maxime hoc dicitur, quia de Iſaac nata eſt beata virgo, quæ per filium ſuum gaudium attulit vniuerſo mundo. Quis auditurus &c. In ætate ſic prouecta, quaſi diceret nullus, quia hoc factum eſt diuina virtute, ſupra naturam.

Aug. de mirab. ſacr. ſcript. lib. 1. cap. 12.

Eodem ferè tempore Abrææ illius ex multitudine gentiū in Dei amicitiam electi, Sara ſterilis vxor filium Iſaac nomine iam nonagenaria peperit, cum illam vſque ætatem per totum vitæ ſuæ ſpatium ſterilis fuit, ſed hoc valdè conueniebat vt quoniam filius quē parturiebat ipſam figuram Chriſti, qui ex ſola virgine ſine aliqua humanæ voluptatis cupiditate naſceretur, pertulit, illum non ætate qua ſolent fœminæ parere, ideſt à duodecimo anno vſq; ad quadrageſimum nonum annū, deſinente ſcilicet partus officio, ſed etiā nonageſimo anno naſceretur, deſinente voluptatis deſiderio: Et hoc quamuis contra conſuetudinem naturæ, non tamen aduerſus naturam factum eſt; quoniam & ſi contra conſuetudinem eſt, vt pariat anus, aduerſus tamen naturam non eſt, vt in vtero fœminali naſcatur quandoque filius.

2 Gen. 25. c SEcundum habetur miraculum ibi. Deprӕcatuſque eſt Iſaac Dominum pro vxore ſua, eo quod eſſet ſterilis, qui exaudiuit eū, & dedit conceptum Rebecchæ ſed collidebantur in vtero eius paruuli, quæ ait, ſi ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere? Perrexitque Rebeccha, vt conſuleret Dominum: qui reſpondens ait, duæ gentes ſunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populuſque populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori: Iam tempus pariendi aduenerat: & ecce gemini in vtero eius reperti ſunt: qui primus egreſſus rufus erat, & totus in morē pellis hiſpidus; vocatumque eſt nomen eius Eſau: protinus alter egrediens plantam fratris tenebat manu, & idcirco appellauit eum Iacob, ſexagenarius erat Iſaac, quando nati ſunt ei paruuli.

Glos. interl. Deprecatusq; eſt Iſaac &c, Quamuis in Iſaac promiſſa erat ſucceſsio, tamen implēda erat precibus Dei præfinitio. Eo quod eſſet ſterilis &c. Quia diu filios nō fecit Eccleſia. Sed collidebant in vtero &c. Quia inter parietes, Eccleſiæ diuerſa ſentiunt electi, & reprobi. Si ſic mihi futurum erat &c. Quaſi quid facient nati, ſi ſic luctantur innati. Perrexitque &c. Ad ſecretum locum, in quo quietus oraret. Duæ gentes &c. Idumei, & Iudæi. Populusq; populum ſuperabit &c. Iſrael, & Chriſtianus populus, Idumeos, vel Iudaicum. Maior ſeruiet minori &c. Maior natu populus Iudaicus, minor Chriſtianus. Iam tempus pariendi &c.

Vt

.Vt ecclesia per Euangelium dilatetur. Et ecce gemini &c. Non vnius intellectus velamine litteræ legis repertus est; sed carnalis, & spiritualis. Qui prius egressus &c. Literam sequens. Rufus erat &c. Vir sanguinum. In morem pellis &c. Solis exterioribus assuetus. Hyspidus &c. Pilosus dicitur. Plantā fratris tenebat &c. Quia supplantaturus erat fratris primatum. Appellauit eum Iacob &c. Supplantator.

Glos. ord. Deprecatusq; est &c. Greg. Quæ sancti orando efficiunt, ita prædestinata sunt, vt precibus obtineatur, nam ipsa quoque cęlestis regni prædestinatio ita est dispensata, vt ad hanc electi ex labore perueniant, vt postulando mereantur accipere, quod eis Deus ante secula disposuerat dare.

Moraliter. Duæ gentes, & duo populi intra nos sunt, scilicet vitiorum, & virtutum, iste minor, ille maior, plures enim sunt mali, quam boni, & vitia plura virtutibus: sed tamen populus populum superat, vt maior seruiat minori, caro scilicet spiritui, & vitia virtutibus præcedunt. Esau rufus, & totus vt pellis hispidus: deinde exit Iacob tenens plantam fratris. Prior enim populus Prophetarum, & Christi sanguine pollutus, peccati, & nequitiæ squalore circundatus, cuius minor plantam tenuit, quia maiorem populum minor superauit.

TErtium miraculum habetur ibi. Videns autē Dominus quod despiceret Lyam aperuit vuluā eius, sorore sterili permanēte. Et infra in cap. seq. ibi. 3 Gen. 29. d

Cernens autem Rachel, quod infœcunda esset, inuidit sorori suę, & ait marito suo. Da mihi liberos, alioquin moriar. Cui iratus respondit Iacob. Num pro Deo ego sum qui priuauit te fructu ventris tui? Gen. 30 a

Et infra in eod. ibi. Recordatus quoque Dominus Rachelis, exaudiuit eam, & aperuit vuluam eius: quæ concepit, & peperit filium, dicens. Abstulit Deus opprobrium meum, & vocauit nomen eius Ioseph dicens. Addat mihi Dominus filium alterum. Gen. 30 d

Glos. interl. Rachelis &c. Quę interpretatur ouis. Nomen illius Ioseph &c. Augumentum.

Nic. de Lyra. Cernens autem &c. Quia sibi erat afflictio maxima, eo quod desiderabat habere filios à Iacob, de quo Christus erat nasciturus. Inuidit sorori suæ &c. Hoc in loco accipitur inuidia de proprio defectu in cōparatione ad alterū non habentem talē defectum. Da mihi liberos &c. Ex quo patet eius desiderium ad prolem, non ad libidinem. Recordatus quoq; Dominus Rachelis &c. Hic agitur de filio naturali Rachelis, cui post multas preces, & de-

uotas, Dominus dedit filium. Abstulit Deus opprobrium meũ &c.
Deu. 7.c Scilicet sterilitatis, quia scriptum est. Non erit apud te sterilis.

4 Iudi. 13. a & d QVartum habetur miraculum ibi. Erat autem quidam vir de Saraa, & de stirpe Dam, nomine Manue habens vxorem sterilem. Cui apparuit Angelus Domini, & dixit ad eam. Sterilis es, & absque liberis, sed concipies, & paries filium; caue ergo ne bibas vinum, ac siceram, nec immundum quicquam comedas, quia concipies, & paries filium, cuius nomen tanget caput nouacula; erit enim Nazareus Dei ab infantia sua, & ex matris vtero, & ipse incipiet liberare Israel de manu Philistinorum. Et infra.

Peperit itaque filium, & vocauit nomen eius Samson: creuitque puer, & benedixit ei Dominus; cœpitque spiritus Domini esse eum eo &c.

Glos. ord. Isidor. Samson habet quędam in typum Christi, quia scilicet ab Angelo natiuitas eius annunciatur. Sic enim Angelus Luc. 1.c Domini ait ad Virginem Dei. Maria inuenisti gratiam apud Deũ: ecce concipies in vtero, & paries filium. Nazareus quoque dicitur Samson, & de Christo dictum est. Quoniam Nazareus vocabitur. Li Matt. 2. d berauit Samson filios Israel de manu hostium, & Christus populum Mar. 14. a suum a peccatis eorum. Samson interpretatur sol eorũ; et de Christo dictum est per Prophetam, orietur vobis sol Iustitiæ, et sanitas in pœnis eius.

Nic. de Lyra. Habens vxorem sterilem etc. In quo ostenditur impedimentum ex parte matris, vt conceptio pueri sit magis mirabilis. Quia concipies et paries filium etc. Gratia adiuuante naturam. Erit enim Nazareus etc. Habebit enim donum fortitudinis, q̃ est quędã gratia gratis data, pro consolatione populi, vnde subditur. Et ipse incipiet liberare Israel etc. Dicitur incipiet, quia non liberauit completè. Creuitq; puer, et benedixit ei Dominus etc. Conferendo ei donum fortitudinis.

5 1. Reg. 1 a & d QVintum habetur miraculum ibi. Annę autem dedit partem vnam tristis, quiam Annam diligebat. Dominus autem concluserat vuluam eius: affligebat quoque eam ęmula eius, et vehementer angebat in tantum vt exprobraret quod conclusisset Dominus vuluam eius: et sic faciebat per singulos annos, cum redeunte tempore ascenderent ad templum Domini, et sic prouocabat eam: porrò illa flebat, et non capiebat cibum.

Et infra. Cognouit autem Helcana Annam vxorem suam, et recordatus est eius Dominus, et factum est post circuli dierum concepit Anna, et peperit filium; vocauitque nomen eius Samuel,

muel, eo quod à Domino postulasset eum.

Glos. interl. In tantum vt exprobraret etc. Malorum enim est solatium vita bonorum carpere. Porrò illa flebat etc. Fuerunt mihi lachrymę meę penes die ac nocte. Post circulum dierum etc. Anni redditum.

Glos. ordin. Annæ autem dedit partem vnam tristis etc. Quia non habebat filios, quibus amplius daret Annę, idest Ecclesię gentium dedit partē vnam, scilicet ingentem. Tristis etc. Quia concluserat Dominus vuluam eius, nondum enim aduenerat tempus miserendi eius, vt spirituali gratia fœcundaretur. Et recordatus est Dominus etc. Rab. Quia Anna Dominum deuotè postulauit, et concepit, et peperit; sic Ecclesia per naturalem intellectū orans mysterium incarnationis corde concepit; ore confessionis genuit. Vocauitque nomen eius Samuel etc. Rab. Samuel postulatio Dei, vel nomen eius Deus, quia actor scilicet natiuitatis eius, quia sterili oranti concessit filium, qui cunctis diebus in templo sibi deseruiret.

Moraliter. Per Annam, quę concepit significatur gentilitas, quę conuersa fructificauit in bonis operibus, quæ dici possunt filij ipsius, quæ procedunt à libero arbitrio, sicuti proles ab vtero monente Spiritu sancto.

6

SExtum habetur miraculum ibi. Fuit in diebus Herodis Regis Iudæe, sacerdos quidā nomine Zacharias de vice Abia, et vxor illius de filiabus Aaron, et nomen eius Elizabet. Erant enim iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, et iustificationibus Domini sine querela, et non erat illis filius, eo quod esset Elizabet sterilis, et ambo processissent in diebus suis: et infra. Luc. 1. a

Ait autem ad illum Angelus. Ne timeas Zacharias, quoniā exaudita est deprecatio tua: et vxor tua Elizabet pariet tibi filium, et vocabis nomen eius Ioannes, et erit gaudium tibi, et exultatio, et multi in natiuitate eius gaudebunt: erit enim magnus corā Domino, et vinum, et siceram non bibet, et Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suę: et infra.

Et dixit Zacharias ad Angelum: vnde hoc sciam: Ego enim sum senex, et vxor mea processit in diebus suis: et infra.

Et factum est, vt impleti sunt dies officij eius, et abijt ad domum suam. Post hos autem dies concepit Elizabet vxor eius, et occultabat se mensibus quinque dicens. Quia sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines. Et infra.

Et ecce Elizabet cognata tua, et ipsa concipiet filium in sene-

ctute

ctute sua, & hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis, quia nō erit impossibile apud Deum omne verbum. Et infra.

Et factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Elizabet, exultauit infans in vtero eius. Et infra.

Elizabet autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium.

Glos. interl. Erant autem ambo iusti ante Deum &c. Non corā hominibus, quia in lege omnis sterilis maledicta fuit, Deus enim non fallitur vt homines. Incedentes in omnibus mandatis &c. Non quod non peccauerint, sed quia per gratiam Dei abluti peccare desierint. Et non erat illis filius &c. Duæ causæ non habendi memorantur, vt maior appareat virtus. Exaudita est præcatio tua &c. Facta pro populi redemptione, non pro sobole, quam desperabat se habere posse. Auferre opprobrium meum inter homines &c. Quod non-opprobrium Domini. Exultauit infans in vtero &c. Quia senserat aduentum Domini.

Glos. ordin. Sacerdos quidam &c. Beda. Non solum à parentibus, sed etiam à progenitoribus nobilitas Baptistæ monstratur, non seculari potestate sublimis, sed religione, tales enim parentes prænuncius habere debuit, vt quasi iure naturæ infusā fidē aduentus Christi prædicaret. Zacharias &c. Memor Domini, cui demostratur ministerium. Elizabet &c. Dei mei saturitas. Iusti ante Deum &c. Ambr. Non enim omnis qui iustus est ante homines, iustus est ante Deum, aliter enim vident homines, aliter Deus homines in facie, Deus in corde. In omnibus mandatis, & iustificationibus &c. Ambr. Prius mandatum, secunda est iustificatio, cum enim mandatis cœlestibus obedimus, in mandatis Dei incedimus, cum recte, & congruè iudicamus, tenere Domini iustificationem videmur. Et non erat illis filius &c. Beda. Diuinitus procuratum fuit, vt de prouectis diuque fructu coniugij priuatis Ioannes nasceretur, vt in opinato ortu prolis, & ipsos donum Dei gratius afficeret, & cæteros stupor miraculi pareret auditui futuri Prophetæ. Exaudita est depræcatio tua &c. Magis quam petisti, Rogasti enim pro liberatione plebis, & donatus est tibi præcursor. Ambro. Multa diuina beneficia hic sunt congesta primum deprecationis fructus, deinde sterilis partus. Vocabis nomen eius Ioānem &c. Beda singularis meriti est iudicium quotiens hominibus à Deo vel imponitur nomen, vel mutatur, vt Abraam quia pater multarum gentium erat futurus, Abraam est vocatus, Iacob, quia Deū vidit Israel est appellatus, Ioannes ergo interpretatur, in quo est gratia, vel Domini gratia, primo gratia sterilibus parentibus donatur: deinde ipsi Ioanni, qui magnus coram Domino futurus, &

Spiritu sancto ex vtero matris replendus, postremò filijs Israel, quos ad Dominum erat conuersurus. Et occultabat se &c. Quia partus sui erubescebat ętatem ne insenectute libidini vacasse videretur. Et ecce Elizabet &c. Beda Ne virgo desperet de partu accipit exemplum sterilis anus pariturae, vt discant omnia Deo possibilia, quae ordini naturę videntur contraria, vel non quasi incredulam exemplis ortatur ad fidem, se credenti quae audierat ampliora replicat mystria, vt quae Deum erat paritura virgo, praecursorem quoque de anu sterili nasciturum cognosceret. Vt audiuit salutationem &c. Amb. Ordine naturrae prior Elizabeth audit vocem, sed ratione Mysterij prior Ioannes exultat, quia prior sentit gratiam, quia sicut illa Marię sic iste Domini sentit aduentũ. Exultauit infans in vtero &c. Quod lingua non poterat, animo exultante salutat, & suae praecursionis officium inchoat: Ecce apparet quod angelus dixerat spiritus sancto replebitur adhuc ex vtero matris suę. Impletum est tempus &c. Beda. Verba impletionis sacra scriptura in bonorum tam ortu, quam obitu, vel actu ponere consueuit, quorum vitam plenitudinem perfectionis habere significat, vt impleti sunt dies Mariae, vt pareret, impleuit Salamon ędificare domum, defunctus est Abraam plenus dierum, cum venit plenitudo temporis: sed contra dies impiorum, inanes, & vani dicuntur.

Nic. de Lyra. Nomine Zacharias &c. Per expresionem nominis intelligitur quod iste fuit famosus in vita, atque doctrina. Incedentes in omnibus mandatis &c. Quantum ad obseruantiam moralium praeceptorum. Et iustificationibus Domini &c. Quantum ad obseruantiam cerimonialium. Sine querela &c. Quantum ad obseruantiam iudicialium, quia pacificè ad proximos se habebãt. Eo quod esset Elizabeth sterilis &c. Ita quod transiret tempus generandi in patre, & concipiendi in matre, secundum cursum communem naturę, ex quo apparet conceptio Pręcursoris miraculosa, quia non fuit per naturam tantum, sed per naturam gratia diuina adiutam. Et vxor tua Elizabeth pariet tibi &c. Tibi hoc est ex te, tamen cum virtute naturę fuit ibi virtus gratię, Angelus autem loquens Ioseph de partu Marię, non dixit pariet tibi, sed pariet absolute, quia Ioseph nihil est operatus ibi. Et erit tibi gaudium &c. Mente interius. Et exultatio &c. Quasi extra saltatio. Et multi in natiuitate eius gaudebunt &c. Et nunc videmus quod dies eius natiuitatis celebratur etiam à sarracenis. Erit magnus corã Domino &c. Dicitur enim inter natos mulierum non surrexit maior Ioãne Baptista. Ego sum senex, & vxor mea &c. Tempus generandi in me transijt, & in ea tempus concipiendi. Et ecce Elizabet cognata

Matt. 11. b

gnata tua &c. Vt qui ſupra naturam conceptum dederat ſterili daturus crederetur, & virgini. Quæ vocatur ſterilis &c. Eius enim ſterilitas à tanto tempore iam erat nota, quod ſic vocabatur. Non erit impoſsibile apud Deum omne verbum &c. Ideſt factum, quia
Pſ.148.a dicere Dei eſt facere; iuxta illud. Dixit & facta ſunt. Exultauit in gaudio infans &c. Ipſa enim Elizabeth per Spiritum ſanctum cognouit, quòd illa exultatio fuit propter præſentiã Domini in vtero virginali. Impletũ eſt tempus pariendi &c. Nouem menſium. Et peperit filium &c. Sicut per Angelum fuit prædictum.

Moraliter. Zacharias, & Elizabeth, erant ambo iuſti, quia ex eis accepit originem, qui nunciaret iuſtitiam conſummatam, & erant ante Deum, non ſicut hypocrites, qui fingunt iuſtitiam ante mundum, & licet eſſent prouectæ ætatis, ſuſceperunt filium, ſicuti aliquando perſonæ prouectæ ætatis, & bonis operibus ſteriles ex donis Spiritus ſancti faciunt magnum fructum in Eccleſia, vt patet in ſancto Dionyſio, & ſancto Auguſtino, qui prouectæ ætatis vocati fuerunt ad fidem Chriſti.

Cat. aurea. Chriſ. Euangelicæ narrationis exordium à Zacharia ſumit, & natiuitate Ioannis, mirum ante edifferens, minus ante maius. Nam quia Virgo paritura erat, præparauit gratia, vt vetus prius conciperet. Et non erat illis filius &c. Chriſ. Non ſolum autem Elizabeth erat ſterilis, ſed & Patriarcharum coniuges, Sarra, Rebecca, Rachel, quod dedecus erat antiquis: non poſſumus dicere quod peccati effectus eſſet ſterilitas, cuncti iuſti, cuncti virtuoſi. Hæc autem fuit ſterilitatis cauſa, vt cum videris Virginem parientem Dominum, non ſis incredulus, exercitans mentem tuã in aluo ſterilium. The. Et vt etiã tu addiſceres, quod lex Dei multiplicationem filiorum non appetit corporalem, ſed magis ſpiritualem: proceſſerant ambo non ſolum ſecundum corpus, ſed ſecundum ſpiritum. Quia ſic fecit mihi Dominus &c. Chriſ. Solui ſterilitatem, donum ſupranaturam conceſsit, & petra infructuoſa ſpicas virentes produxit, abſtulit dedecus, dum genitricem fecit: non autẽ vt in cæteris gignentium ſolus concubitus interuenit, ſed gratia cœleſtis huius ortus fuit exordium. Et ecce Elizabet cognata tua &c. Chriſ. non memorauit eam Sarræ, vel Rebecchæ, vel Rachelis, quia antiquiora erant exempla, ſed imminens factũ inducit.

Aug. de mirab. ſac. ſcrip. lib. 3. cap. 1.

Conuenienti diſpenſatione factum eſt, vt Ioannes, qui poſtea hominibus victu, & veſtitu, & loco exempla Pœnitentiæ præberet, & pœnitentiam prædicans, etiam conceptionis eius tempore pater pœnitentiæ modum ſibi ab Angelo impoſitum, donec ille naſceretur, ſuſtineret. Aliter quoque congruè hoc ſignum euenerat, vti

dum

dum qui regnum cœlorum prędicaret, nasciturus conciperetur, antiquę legis, & Prophetarum prędicator silentio sacerdos damnaretur, quoniam lex & Prophetę, vsque ad Ioannem fuerunt: ex eo autem regnũ Dei euangelizatur, qui conceptus adhuc in matris vtero manens, priusquam nasceretur, cum Mariæ matris Domini introitum in domum, vbi fuerat sensit spiritali famine per os matris denasciturо ex ea Christo Domino prophetauit. Dum enim Moysi spiritus in septuaginta duos consiliarios distribuitur, quid mirum si pueri ad huc in vtero manentis spiritus per matrem loqueretur.

DOnat quoque Deus ne dum filium sterili, sed iam nato tantã fortitudinẽ, vt longe vires naturales superasse videatur, qualem habuisse legimus Samsonem, & Dauid Regem.

Nam vt de Samsone primo dicamus ostendit hãc fortitudinem super naturalem in multis.

Primo ibi. Descendit itaque Samson cum patre suo & matre in Thãnata: cumq; venissent ad vineas oppidi apparuit Catulus leonis sæuus & rugiens, & occurrit ei. Irruit autem spiritus Domini in Samson, & dilacerauit leonem, quasi hædum in frustra decerperet, nihil omnino habens in manu, & hoc patri & matri noluit indicare: descenditque & locutus est mulieri, quæ placuerat oculis eius, & post aliquot dies reuertẽs, vt acciperet eã declinauit vt videret cadauer leonis, & ecce examẽ apũ in ore leonis erat, ac fauus mellis: quẽ cũ sumsisset in manibus comedebat in via, veniensq; ad patrẽ suũ, & matrẽ dedit eis partem, qui & ipsi comederunt, nec tamẽ eis voluit indicare quod mel de corpore leonis assumpserat. Iudi. 14. B

Glos. ord. Isid. Samson cum ad alienigínas tetenderet causa petendæ vxoris leonem occidit: & Christus Ecclesiam vocaturus de gentibus diabolum vicit, quod ait. Gaudete quia ego vici mũdum ex ore leonis occisi fauus extrahitur, quia vt conspicimus reges terreni regni, qui contra Christum ante fremuerant iam perempta feritate dulcedinem Euangelij prædicant, & munimenta præbent. Io. 16. g

Nicol. de Lyra. Irruit autem spiritus Domini &c. Idest spiritus fortitudinis, quæ non erat ei ex virtute naturali, sed gratia gratis data, quæ non semper adest homini, sicut spiritus Prophetiæ non semper aderat Prophetis, sed quando expediebat, secundum ordinationem diuinam, & hoc modo videtur dicendum de fortitudine Samsonis, propter quod occurrente leone, dicitur hic quod irruit in eum spiritus Domini, idest motus fortitudinis.

Moraliter. Per catulum leonis seuũ potest intelligi Paulus Christum impugnans, secundum quod dicitur, Saule saule quid me per- Act. 9. a

sequeris, qui tamẽ à Christo prostratus fuit in terrã, & ex ore ipsius exiuit melliflua doctrina de qua ipsemet dicit, mihi autẽ, absit
Gal. 6. c gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, idest in eius doctrina dulci, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.

2 SEcundum habetur miraculum ibidem, si non arasseтis inuitula
Iud. 14. d mea non inuenissetis propositionem meam. Irruit itaque in eũ spiritus Domini descenditque Ascalonem & percussit ibi triginta viros, quorum ablatas vestes dedit his qui problema soluerant.

Nicol. de Lyra. Si non arrassetis &c. Ille qui arat inuestigat terram inferius, ita fecerunt isti, qui solutionem, quam inuenire nõ poterant, inuestigauerunt per vetulam eius, idest per ipsius vxorẽ, quam vocat vetulam propter muliebrem insolentiam.

3 TErtium habetur miraculum ibi. Dixeruntque ad eos de tribu Iuda: cur ascendistis aduersum nos? qui responderunt: vt
Iud. 15. c ligemus Samson & reddamus ei qui in nos operatus est, descenderunt ergo tria millia virorum de Iuda, ad specum silicis Eram: dixeruntque ad Samson nescis quod Philistijm, imperent nobis? quare hoc facere voluisti? quibus ille ait, sicut fecerunt mihi, sic feci eis; ligare inquiunt te venimus, & tradere in manus Philistinorum, quibus Samson iurate ait, & spondete mihi quod non occidatis me, dixeruntque non te occidemus, sed vinctum trademus: ligaueruntque eum duabus nouis funibus, & tulerunt eum de petra Etham, qui cum venisset ad locum maxillæ, & Philistijm vociferantes occurrissent ei, irruit spiritus Domini in eum, & sicut solent ad ardorem ignis ligna consumi, ita vincula quibus ligatus erat dissipata sunt & soluta, inuentamque maxillam, idest mandibulam asini quæ iacebat arripiens interfecit in ea mille viros, & ait: in maxilla asini in mandibula pulli asinarum deleui eos, & percussi mille viros: cumque hæc verba canens complesset proiecit mandibulam de manu, & vocauit nomen loci illius Ramathlechi, quod interpretatur, eleuatio maxillæ.

Glos. ord. In maxilla asini &c. Greg. Maxilla asini prædicatores significat, Redemptor enim noster simplicitatem, & patientiam prædicantium, suæ manu virtutis tenens à vitijs carnales interficit & maxilla in terra proiecta, postmodum aquas fundit, quia tradita morte prædicatorum corpora magna populis monstrauere miracula.

Nicol. de Lyra. Iurate aut spondete mihi &c. Volebat enim satisfacere Israelitis, & sic agere quod non interficerentur à Philisteis, nec ab ipso eis resistendo, & habere iustam occasionem inter-

ficiendi Philisteos, qui veniebant ad eum occidendum. Qui cum venissent ad locum maxillę &c. Hic locus ita nominatur per anticipationem, vt patet per literam sequentem. Irruit spiritus Domini &c. Idest motus dono fortitudinis ad rumpendum vincula, & ad Philisteos debellandum. Inuentaq; maxillā &c. Per hoc ostenditur victoria magis mirabilis, & à Deo facta, quod non fuit per arma ferrea. Interfecit in ea mille viros &c. Ex quo patet quod miraculosè seruabatur maxilla à confractione in tot, & tantis percussionibus virorum armatorum. Quod autem hoc diuinitus fieret ostenditur per subsequens miraculum, cum dicitur. Aperuit itaque Dominus molarem dentem &c.

Moraliter. Per ligationem Samsonis potest intelligi ligatio Petri, quæ soluta quoque fuit diuina virtute. Per mandibulam significatur Petri prædicatio, quæ Gentiles occidit, & Ecclesiæ incorporauit. Surge Petre occide, & manduca; nam sicut in mādibula mandiuntur escæ corporales, sic in prædicatione escæ spirituales. Vnde non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Act. 12. Act. 10.

QVartum habetur miraculum ibi. Dormiuit autē Samson vsq; ad medium noctis, & inde cōsurgens apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis, & sera, impositasq; humeris suis, portauit ad verticem montis, qui respicit Hebron &c. 4 Iud. 16.

Glos. interl. Inde consurgens &c. Quia Christus ante lucē surrexit. Et portæ fores &c. Quia claustra inferni destruxit, & spoliauit, patribus ibi detentis, & deduxit eos vsque ad montem patriæ cœlestis.

Moraliter. Per Samson significatur homo contemplatiuus intentus circa Deum; tamen propter necessitatem populi descendit ad actiuam prædicando, & exortando ad bonum, & surgens ab hac occupatione aufert portas Ciuitatis diaboli, quę sunt fauor humanus, & timor mundanus, & inclusos ducit ad patriam cœlestem, in spe de præsenti, & in re de futuro.

QVintum habetur miraculum ibi. Locuta est ergo Daliala ad Samson. Dic mihi obsecro, in quo sit tua maxima fortitudo, 5 Iud. 16. b
& quid sit quo ligatus erumpere nequeas? Cui respondit Samson. Si septem neruiceis funibus, necdum siccis, & adhuc humentibus ligatus fuero infirmus ero sicut cæteri homines. Attuleruntq; ad eam Satrapę Philistinorum septem funes, vt dixerat, quibus vinxit eum, latentibus apud se insidijs, & in cubiculo finem rei expectantibus. Clamauitq; ad eum Philistijm. Super te Samson: qui rupit

 vincu-

vinculæ, quomodo si rũpat quis filum de stupa tortum sputamine, cum odorem ignis acceperit, & non est cognitum, in quo esset fortitudo eius. Dixitq; ad eum Daliala. Ecce illusisti mihi, & falsum locutus es: saltem nunc indica mihi quo ligari debeas. Cui ille respondit. Si ligatus fuero nouis funibus, quæ nunquam fuerint in opere infirmus ero, & aliorum hominum similis: quibus rursum Daliala vinxit, & eum clamauit. Philistijm super te Samson, in cubiculo insidijs præparatis; qui ita rupit vincula quasi fila telarũ. Dixitq; Daliala rursũ ad eũ. Vsque quo decipies me, & falsũ loqueris Ostende de quo vinciri debeas. Cui respondit Samson. Si inquit septem crines capitis mei cum liceo plexueris, & clauum his terrę fixeris infirmus ero. Quod cum fecisset Daliala, dixit ad eum Philistijm super te Samson. Qui consurgens de somno extraxit clauum cum crinibus, & licio: dixitq; ad eum Daliala, Quomodo dicis quod amas me, cum animus tuus non sit mecum? Per tres vices mentitus es mihi, & noluisti dicere, in quo sit maxima fortitudo tua. Cumque molesta ei esset per multos dies iugiter adhęreret, spatium ad quietem non tribuens; defecit anima eius, & ad mortẽ vsque lassata est. Tunc aperiens veritatem rei dixit ad eam. Ferrũ nunquam ascendit super caput meum, quia Nazareus, idest consecratus Domino sum de vtero matris meæ: si rasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam, & ero sicut cęteri homines. Vidensq; quod confessus esset ei omnem animum suum misit ad principes Philistinorum, ac mandauit. Ascẽdite adhuc semel, quia nunc mihi aperuit cor suum: qui ascenderunt assumpta pecunia quam promiserant. At illa dormire eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput. Vocauit tonsorem, & rasit septem crines eius, & cœpit algere eum, & à se repellere: statim enim ab eo fortitudo recessit. Dixitq; Philistiim. Super te Samson; Qui de somno consurgens dixit animo suo. Egrediar sicut ante feci, & me excutiam: nesciens quod recessisset ab eo Dominus. Quẽ cum apprehendissent Philistiim, statim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis. Iamque capilli eius renasci ceperant, & principes Philistinorum conuenerunt in vnum: & infra.

Lętantesq; per conuiuia sumptis iam epulis pręceperunt vt vocaretur Samson, & ante eos luderet, qui adductus de carcere ludebat ante eos; feceruntq; eum stare inter duas columnas. Qui dixit puero regenti gressus suos. Dimitte me vt tangam columnas, quibus omnis imminet domus, & reclinet super eas, & paululum requiescam. Domus autem erat plena virorum, ac mulierum; & erãt ibi omnes principes Philistinorum, ac de tecto, & solario circiter tria millia vtriusque sexus spectantes ludentem Samson. At ille in-

uocato

uocato Domino ait: Dominus Deus meus memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem pristinam Deus meus, vt vlciscar me de hostibus meis, & pro amissione duorum luminum vnam vltionem recipiam, & apprehendens ambas columnas, quibus initebatur domus, alteramque earum dextera, & altera leua tenens ait moriatur anima mea cum Philistijm, concussisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes principes, & cæteram multitudinem, quæ ibi erat: multoq; plures interfecit moriens, quā ante viuus occiderat: descendentes autem fratres eius, & vniuersa cognatio tulerunt corpus eius, & sepellierunt inter Saraa, & Estahol in sepulcro patris sui Manue; iudicauitque Israel viginti annis.

Nicol.de Lyra. si rasum fuerit caput &c. Quia fortitudo ista nō erat virtute naturæ sed erat quoddam donum gratiæ gratis datæ, At ille inuocato Domino &c. Quia videbat quod eius delusio reuertebatur in opprobrium diuinum, eo quod captio Samsonis attribuebatur idolis, & de hoc idola laudabantur ab idolatris. Vt vlciscar me de hostibus meis &c. Hoc enim dixit non liuore vindictæ, sed zelo iustitiæ & honoris Dei, ita quod Philistei Deum Blasfemabant idola laudando, ideo non peccauit eos occidendo, nec etiā occidendo se cum ipsis.

Moriatur anima mea cum Philistijm &c. Et hic accipitur anima pro toto composito, quod est corruptibile, licet anima sit immortalis; Non enim Samson intendebat se occidere per se, sed tantum per accidens, quia non poterat Blasphematores diuini nominis occidere, nisi se ipsum cum eis occidendo: præterea voluntas Domini fuit vt hoc fieret, quod patet per hoc quod fortitudinem miraculose sibi reddidit ad hoc faciendum: quilibet autē debitor est mortis ipsi Deo, & hoc debitum potest repetere quando vult, & quomodo vult, & ideo Samson non peccauit se occidendo ex Dei voluntate, & instinctu diuino, credendum est etiam quod de peccatis prius perpetratis pœnituerit, & quod illa mors fuerit pœna suorum pecatorum.

Multoque plures interfecit moriens &c. Greg. Sic Christo prædicante pauci ex Iudæis crediderunt, innumeri vero gentilium populi viam vitæ illo moriente sunt secuti, superbos enim dum adhuc passibilis viueret pertulit, impassibili vero vita mortuus strauit.

Moraliter. Samson Nazareus siue consecratus dicitur homo baptizatus. Daliala dicitur sensualitas. Septem crines sunt, septem dona Spiritus sancti, oculis priuatur quis per mētis excecationē, catenis ligatur per peccādi assuefactionem, carcere clauditur per obstinationem, moriens triumphat de dæmonibus.

Aug.de mirab.sacr.script.lib.2.cap.6.

Natu-

Naturas inuestigantibus solutionem non minimam incutit, quomodo totum sensibile corpus in insensibili capillo motum fortitudinis habuit, cuius damnum doloris sensum nequaquam intulit, cum illum tonsor à reliquo corpore ferramenti aculeo diuisit: de Samsone ergo prius quàm nasceretur à Domino præcipitur, vt capillus illius nunquam ferri acumine, vel alicuius aculei tonderetur: quamdiu igitur in mandati diuini custodia permanserat, Spiritus sancti munere maximam fortitudinem habebat: vnde cũ muliebri persuasione precepti dominici transgressionem ad inuenit, etiam spirituale fortitudinis donum quod habuerat statim recessit. Non quia in insensibili capillo ossium, & carnis, & sanguis, qui nihil ex his habet virtus inerat, sed mandati dominici obseruatio donum fortitudinis obseruabat: sed fortasse aliquis dicet, quare ergo cum capillis iterum fortitudo illius succreuit, si nôn in capillis priorem fortitudinem habuit? Attamen etiam in hac vita, non tam in longo capillo amissa virtutem recuperabat, quam donum speciale quod negligens amisit afflictus pœnitentia crescẽtibus capillis paulatim impetrabat, præsertim cum in huius mandati transgressione ex parte licet aliqua excusabatur, quãuis suæ virtutis Dalilæ petenti mysterium dicere non negauit, non tamen se imperante, vel concedente, vel sentiente, tondetur, vnde afflictus postea impetrauit facilius, quod non sponte sed dormiens seductus amiserat.

1 Dauid quoque habuit hoc donum mirabile fortitudinis, vt habetur ibi. Dixit Dauid ad Saul, pascebat seruus tuus gregẽ
1. Reg. 17. e patris sui, & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum: Et illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamque eos: Nam & leonem, & vrsum interfeci ego seruus tuus: erit igitur & Philisteus hic incircumcisus, quasi vnus ex eis: Nunc vadam, & auferam opprobrium populi, quoniã quis est iste Philisteus incircumcisus, qui ausus est maledicere exercitui Dei viuentis? & ait Dauid, Dominus qui eripuit me de manu leonis, & de manu vrsi ipse me liberauit de manu Philistei huius: dixit autem Saul, ad Dauid, vade, & Dominus tecum sit, & induit Saul, Dauid vestimentis suis, & imposuit galeam æream super caput eius, & vestiuit eum lorica, accintus ergo Dauid gladio eius super vestem suam, cœpit tentare si armatus posset incedere. Non enim habebat consuetudinem: dixitque Dauid ad Saul: Non possum sic incedere, quia nec vsum habeo & deposuit ea & tulit baculum suum, quem semper habebat

in

in manibus : Et elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente , & misit eos in peram pastoralem , quam habebat secum , & fundam manu tulit , & processit aduersus Philisteum , Ibat autē Philisteus incedens , & appropinquans aduersum Dauid, & armiger eius ante eum. Cumque inspexisset eum Philisteus,& vidisset Dauid, despexit eum,& dixit philisteus ad Dauid . Nunquid ego canis sum,qui tu venis ad me cum baculo? Et maledixit philisteus Dauid in dijs suis: dixitq; ad Dauid. Veni ad me,& dabo carnes tuas volatilibus cœli , & bestijs terræ . Dixit autem Dauid ad philisteum. Tu venis ad me cum gladio,& hasta,& clypeo; Ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum Dei agminū Israel, quibus exprobasti hodie:& dabit te Dominus in manu mea,& percutiam te, & auferam caput tuum à te,& dabo cadauera Castrorū philistijm hodie volatilibus cœli,& bestijs terrę,vt sciat omnis terra,quia est Dominus Deus Israel: & nouerit vniuersa Ecclesia hęc, quod non in gladio , nec in hasta saluat Dominus : Ipsius enim est bellum,& tradet vos in manus nostras. Cum ergo surrexisset philisteus,& veniret,& appropinquaret cōtra Dauid, festinauit Dauid, & occurrit ad pugnam ex aduerso philistei , & misit manum suam in peram: tulitque vnam lapidem , & funda eiecit , & circum ducens percussit philisteum in fronte, & infixus est lapis in fronte , ejus, & cecidit in faciem suam super terram; præualuitque Dauid aduersus Philisteum , in funda , & lapide percussumque Philisteum interfecit : Cumque gladium non haberet manu Dauid cucurrit , & stetit super Philisteum , & tulit gladium eius , & eduxit eum de vagina sua , & interfecit eum, prociditque caput eius, videntes autem Philistijm quod mortuus esset fortissimus eorum fugerunt &c.

Glos. Interl. Veniebat Leo &c. Diabolus . Et vrsus &c. Antichristus . Tollebat arietem &c. Quemlibet prælatum. De medio gregis &c. Dominici . Et tulit baculum suum &c. Legis sacramenta tanquam onerantia . Et elegit sibi quinque limpidissimos lapides &c. Legem Moysi in quinque libris scriptam . Et bestijs terræ &c. De quibus ne tradas bestijs animas confitentes tibi. In fronte eius &c. Vbi signum Christi non habuit .

Glos. ord. Baculus Dauid crux Christi designatur , Golia in frōte percussus ruit , & subditur ipsi Dauid,& diabolus in fronte suorum feritur , cum signum crucis eo in loco infigitur , & subicitur in membris Christi ; Dauid gladium Goliæ in Hierusalem detulit , & Christus quando de diaboli potestate rapuit ad defensionem Ecclesiæ in eam transtulit , Golia occiditur suo gladio , nos vero hæreticos conuincimus suis sententijs .

Nic.

Nic. de Lyra. Pascebat seruus tuus &c. Non dicebat hoc Dauid ad iactantiam, sed ad Dei gloriam, cui hoc principaliter attribuebat. Et induit Saul Dauid vestimentis &c. Non est intelligendum quod arma Saulis facta pro suo corpore, tradita fuerint Dauid; sed ea quæ erant de armamentario suo, quia tunc militem fecit. Et dabit te Dominus in manu mea &c. Hic patet, quod hoc habuit per diuinam reuelationem, quia futurum contingens certudinaliter pronunciat. Et infixus est lapis in fronte &c. Dicunt aliqui, quod ferrum galeæ cessit lapidi miraculosè. Videntem autem philistijm &c. Diuino miraculo. Fugerũt &c. Territi diuino iudicio.

I Iudi. 13. B. Simile donum miraculosę fortitudinis habuit Iudith; vt dicitur ibi. Stetitq; Iudith ante lectum orans cum lachrymis, & labiorum motu in silentio dicens. Confirma me Domine Deus Israel, & respice in hac hora ad opera manuum mearum, vt sicut promisisti Hyerusalem Ciuitatem tuam erigas; & hoc quod credens per se posse fieri cogitaui perficiam. Et cum hæc dixisset, accessit ad columnam, quæ erat ad caput lectuli eius, & pugionem eius, qui in ea ligatus pendebat exoluit. Cumque euaginasset illum apprehendit comam capitis eius, & ait. Confirma me Domine Deus in hac hora, & percussit bis in ceruicem eius, & abscidit caput eius, & abstulit conopæum eius à columnis, & euoluit corpus eius truncum; & post pusillum exiuit, & tradidit caput Holofernis ancillæ suæ, & iuxit vt mitteret illud in peram suam, & exierunt duæ secundum cõsuetudinem suam, quasi ad orationem, & transierunt castra; & gyrantes vallem venerunt ad portam Ciuitatis: & infra.

Percussit illum Dominus Deus noster. Viuit autem ipse Dominus, quoniam custodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem, et non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati reuocauit me vobis gaudentem in victoria sua in euasione mea, et liberatione vestra.

Et in cap. 15. B. ibi.

Tunc Achior videns virtutem quam fecit Deus Israel, relicto Gentilitatis ritu credidit.

Et in cap. 15. A. ibi.

Cumque omnis exercitus decollatum Holofernem audisset, fugit mens, et consilium ab eis etc.

Glos. interl. Confirma me Domine etc. Infirmam confidentem in te. Deus Israel etc. Videntium te. Respice in hac hora etc. Velociter exaudi me. Sicut promisisti Hyerusalem etc. Ecclesiã. Accessit ad columnam etc. Praui cordis duritiam, qui errorem

gerunt

gerunt vanæ securitatis. Et Pugioné eius &c. Malitiam iniquæ intentionis. Apprehendit comam capitis &c. Elationem superbiæ mentis. Ceruicem eius &c. Contumaciam iniquæ actionis. Et abscidit caput eius &c. Occasionem proteruæ tentationis. Et enoluit corpus eius &c. Inimicum infirmum ostendit, & debilem, vt sciant etiam milites Christi posse superare.

Glos. ord. Venerunt ad portam ciuitatis &c. Introitum regni, Christum scilicet, qui dicit ego sum ostium. Tunc Achior videns &c. Per Achior principem ammonitarum: pagani vel hæretici designantur, qui videntes Ecclesiæ fidem hostium superasse ferocitatem, nimio pauore concutiuntur, & superbiam suam humiliantes Ecclesiam venerantur, & sequaces suos errorem relinquere, & fidelibus sese sociare ortantur, vnde venient ad te curui filij eorum, qui te humiliauerunt & adorabunt vestigia pedum tuorum, omnes qui detrahebant tibi. Videns virtutem quam fecit Deus &c. Idest effectum diuinæ virtutis per manum mulieris. Ioa. 10. Isa. 60. c

Nicol. de Lyra. Confirma me Domine &c. Nam in tali facto solet cor, & maxime mulieris expauescere.

Moraliter. Per Holofernem occisum à Iudit designatur Tyrannus interfectus ab Ecclesia, quæ illum separat propter mala sua, per excommunicationem à cœtu fidelium; Per Achior, qui circumciditur, significatur populus gentium, qui videns miracula prædicationem fidei confirmantia, reliquit cultum Idolatriç, & ad hæsit firmiter fidei ortodoxæ.

FVerunt quoque facta alia miracula circa rationales creaturas, nempe circa linguarum mutationem ipsarumque intelligentiam, vt habetur ibi. Erat autem terra labij vnius, & sermonum eorumdem: cumque proficiscerentur de oriente inuenerunt campum interra Sennaar, & habitauerunt in eo: dixitque alter ad proximum suum, venite faciamus lateres, & coquamus eos igni habueruntque lateres pro saxis & bitumen pro cemento, & dixerunt venite faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen nostrum, ante quam diuidamur in vniuersas terras: discendit autem Dominus, vt videret ciuitatem & turrim, quam edificabant filij Adam, & dixit, ecce vnus est populus, & vnum est labium omnibus, ceperuntque hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleãt venite igitur descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnus quisque vocem proximi sui: Atque ita diuisit eos, Dominus ex illo loco, in vniuersas terras, & cessauerunt ædificare ciuitatem: Et idcirco vocatum est nomen loci illius Babel, quia 1 Gen. 11. a

ibi confuſum eſt labium vniuerſæ terræ, & inde diſperſit eos Domi nus ſuper faciem cunctarum regionum.

Gloſ. interl. De oriente &c. Relicto vero ſole. In terra Sennaar &c. Quod eſt fetor, quia hæreticorum dogmata non habent bonum Chriſti odorem. Et bitumen &c. Quod aquis diſſolui non poteſt, Faciamus nobis ciuitatem &c. Quam Deus non ingreditur. Et turrim &c. Superbiam mundi; vel elationem hęreticorum, qui figmenta ſua erigunt contra Deum; vnde merito turris Babel, ideſt confuſio dicitur. Pertingat cœlum &c. Vt non poſsit vltra pertingere diluuium. Deſcendit autem Dominus &c. Deſcendere Dei eſt humanorum actuum attendere prauitatem. Venite igitur deſcendamus &c. Trinitas in perſonis, vt ibi faciamus hominem. Vt non audiat &c. Ideſt non intelligat. Vocem &c. Solitam. Dominus &c. Vnitas deitatis, ſicut ibi fecit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam. Ædificare ciuitatem &c. Turrim ſuperbiæ.

Gloſ. ord. Venite faciamus &c. Timebat iterum diluuium authore Nembroth, voluerunt ſibi conſtruere turrim, in qua diluuiū non timerent: ſtulta, & impia audacia vnde ſecuta eſt vindicta. Deſcendit autem Dominus &c. Quando ſenſibus humanis, ſe accommodat, vel operibus, vnde vidi afflictionem populi mei, & deſcendi liberare eos, & alibi deſcendam, & videbo vtrum clamorē opere compleuerint. Iſid. In ſola domo heber priſtina lingua remanſit ſicuti in ſola Eccleſia, quæ eſt domus Chriſti vnitas confeſſionis, & fidei. Diuiſit eos Dominus &c. Alcuin. In hac diuiſione linguarum nihil nouum fecit Deus, ſed dicendi modus, & formas loquelarum diuerſis gentibus diuiſit, vnde eaſdem ſyllabas, & eiuſdem poteſtatis litteras aliter coniunctas in diuerſis linguis in uenimus, & ſæpe eadem nomina, vel verba aliud ſignificantia.

Exo.3.B

Nic. de Lyra. Erat autem terra labij vnius &c. Ideſt idiomatis ſcilicet Hebræi, quod vſque tunc ſolum fuit inter homines. Et celebremus nomen noſtrum &c. Et ſic videtur quod non ſolum moti ſunt ad ædificandum timore diluuij, ſed etiam ex ſuperbia. Deſcēdit autem Dominus &c. Inſtruens iudices ne procedant ad ſententiandum donec cauſam examinauerint diligenter. Filij Adam &c. Ideſt imitatores eius, qui ſe rebellauit à Deo. Venite deſcendamus &c. Verba ad Angelos executores diuinæ iuſtitiæ. Vt non audiat &c. Ideſt non intelligat, bene enim audiebant ſonus verborum, ſed non intelligebant ſignificata eorum. Et ceſſauerunt ędificare &c. Quia quando vnus petebat lapidem, alter portabat ſibi cementum.

Moraliter. Per terram quæ erat labij vnius ſignificatur homo de

de terra factus, qui dicitur vnius labij quando similiter loquitur de proximo, in præsentia, & in absentia, & linguæ diuersæ, quando bona loquitur in præsentia proximi, & mala ipso absente.

Aug. de mirab. sac. scrip. lib. 1. cap. 9.

Deus in hoc contra naturam humani eloquij, quam olim disposuit nihil diuidendo, & consumendo linguas hominum, & sermones fecit, quando eadem loquelæ natura in hominibus permaneret, nisi consuetudo diuersa deuiare ab alterutro linguas; non naturaliter, sed consuetudinariè docet. Latinus namque inter barbaricos genitus, vel nutritus, barbaricę loquitur: ex quo intelligitur, Deum nō naturam hominum mutasse, non nouum in eis aliquid condidisse, sed dicēdi tantum modos, & formas in diuersis generibus diuisisse.

SEcundum in hoc genere miraculū habetur ibi. Dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco, & factus est repente de cœlo sonus tanquàm aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant sedentes: & apparuerunt illis disperitæ linguæ tanquàm ignis, seditque super singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto; & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis: erant autem in Hierusalem habitantes Iudæi, viri Religiosi ex omni natione, quæ sub cœlo est. Facta autem hac voce conuenit multitudo, & mente confusa est; quoniam audiebat vnusquisque lingua sua illos loquentes: stupebant autem omnes, & mirabantur ad inuicem dicentes: Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt? & quomodo nos audiuimus vnusquisque linguam nostram in qua nati sumus? Parthi, & Medi, & Elemitæ, & qui habitant Mesopotatiam, Iudæam, & Capadociam, Pontum, & Asiam, Frigiam, Pamphiliam Ægiptum, & Partem Lybiæ, qui est circa Cyrenem, & aduenę Romani Iudęi, quoque, & Prosęlyti, Cretes, & Arabes audiuimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei: stupebant autem omnes, & mirabantur, ad inuicem dicentes: quid nám hoc vult esse? alij autem irridebant dicentes, quia musto pleni sunt. 2 Act. 2.

Glos. interl. Erant omnes pariter in eodem loco &c. Numerus duodecim Apostolorum erat completus, cor vnum, & vnam animā habentes, non in diuersis corporaliter. Et factus est repente &c. Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. De cœlo &c. Vt signaret spiritum cœlestem esse. Sonus &c. Cum sono venit, quia sonos venerat docere. Repleuit totam domum &c. Diues enim est spiritus Domini. Et apparuerunt illis &c. Exterius igneo colore, interius spirituali inspiratione. Seditque supra singulos eorum &c. Stabilibus stabilis Iudex iudicibus nullo ab eis discrimine effugan-

dus, quia ſede regia poteſtas eſt, vel quia requieſcit in Sanctis, ſupra quia ſuperior erat, & in ſingulis totus, nec in multis diuerſus, aut diuiſus. Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto &c. Vt alterũ non recipiant ſpiritum, quod plenè non recipiunt augumentum. Et cœperunt loqui varijs linguis &c. Hoc ad vnam, vel ad plures referendum eſt. Prout ſpiritus ſanctus &c. Qui erat linguarum alueus. In Hyeruſalem etc. Ideſt vrbis habitatores ad diem feſtum collecti. Facta autẽ hac voce etc. Ideſt repẽtino ſonitu, vel qua cœperunt Apoſtoli loqui. Stupebant etc. Corde. Et mirabantur etc. Facie. Parthi etc. Perfectè diuidentes. Medi etc. Adequati, vel menſuratores. Et elemitę etc. Ijdem, qui et Perſę. Meſopotaniã &c. Meſopotania interpretatur ambitus, quia duobus ambitur fluminibus: Tygri, et Euphrate, Meſopotania quoque interpretatur confeſsio, vel glorificatio. Cappadociam etc. Manus tortoris, vel exploratoris, vel manus Domino redimens. Pontum etc. Inclinans vel inclinatio. Aſiam etc. Minorem. Phrygiam etc. Suſtollens Dominum, vel plaſmatio Domini, vel gradiens, vel eleuans, ſeu offerens, vel elatio. Pamphyliam etc. Conuerſio à ruina, vel diuiſio cadentium. Ægyptum etc. Tenebrę, anguſtia, vel tribulatio. Lybię etc. Veniens, vel introiens. Cyrenem etc. Hęreditas, vel hęreditatio. Iudęi etc. De tribu Iuda. Cretes etc. Vocati, vel conſumati vocatione. Arabes etc. Humiles, vel occidentales, callidi, vel inſidiatores.

Gloſ. ordin. Dies Pentecoſtes etc. Aug. Quinquagenus cum ſpiritus miſſus eſt computatur cum die Dominico, quia diem dominicum ſuo aduentu conſecrauit, et eodem die Paſcha celebrandum eſſe monſtrauit: die ſolemni ſpiritus venit, vt tanta virtus haberet multos, qui approbarent, et varias linguas cognoſcerent. De cœlo etc. De cœlo datur ſpiritus, vt diligatur Deus, in terra datur vt diligatur proximus, bis enim poſt reſurrectionem eſt datus, ad duo pręcepta charitatis commendanda. Spiritus vehementis etc. Rab. Ante paſsionem datus eſt Apoſtolis ſpiritus ad gratiam doctrinę, et ſanitatum, poſt reſurrectionem poteſtas data fuit dimittendi peccata, in penthecoſtę, vt acciperent linguarum notitiam. Et apparuerunt illis etc. Beda. Spiritus in igne, et linguis apparuit, quia omnes quos replet ardere, et loqui facit. Greg. Linguas igneas Doctores habent, quia prędicando corda auditorum inflãmant, et ipſi ęmulatione ardent. Diſpertitę linguę etc. Rab. Diſperſio linguarum eſt facta in turre Babel: ſed quod diſperſit ſuperbia recolligit humilitas, in ſuperbia diſperſio, in humilitate fit
Io.14.c concordia: ecce completur ſententia Domini, quę ait. Non vos relinquam orphanos, ſed mittam ſpiritum paracletum, qui eorum aduo-

aduocatus pro eis omnibus linguis locutus est, linguas attulit, qui pro verbo venit, cognationem enim habet lingua cum verbo, vt ab inuicem non possint seperari: sic verbum Patris, idest Filius, & Spiritus sanctus in separabiles sunt, immo, & vnius naturæ. Tamquam Ignis &c. In igne spiritus venit, quia peccatores spiritus purgat, illuminat, accendit vrit; exurit enim peccata, purgat corda, Torporem excutit, ignorantias illustrat, ignis quoque in corporeus est & non videtur, sed assumpto aliquo corpore videtur diuersi coloris apparens propter materias in quibus ardet: sic spiritus videri non poterit nisi per creaturas, in quibus operatur. Et cœperunt loqui &c. Ecce signum plenitudinis, plenum vas erumpit ignis in sinu non potest occultari. Varijs linguis &c. Beda. Quia linguis omnibus loquebantur, vel sua idest Hebræa lingua ab omnibus intelligebatur, ac si proprijs singulorum loquerentur. Pro vt Spiritus sanctus &c. Spiritus diuidens singulis pro vt vult, quomodo vult, quando vult. Beda. Potuerunt Apostoli in Spiritu sancto linguas omnium intelligere, & loqui, & eorum etiam verba maiore miraculo quacumq; essent lingua edita ab omnibus audientibus equæ intelligi, varietas linguarum dona significat gratiarum, ideo primum linguas hominibus dedit spiritus quibus humana sapientia extra docetur, & discutitur, vt ostenderet quod facile sapientes efficit sapientia Dei. Ex omni natione &c. Raba: ac si diceretur vbicumque nati. Confusa est &c. Confusio ista confusioni linguarum opponitur, à qua Babel vocabulum sortita est: sic humilitas apostolorum humanæ superbiæ respondet. Audiuimus vnusquisque &c. In hoc significabatur vna Ecclesia omnium gentium linguis locutura. Musto pleni &c. Beda. Quamuis irridebant, mysticè tamen verum dicebant, quia non vino veteri, quod in nuptijs Ecclesiæ defecit, sed musto gratię spiritualis erant impleti, iam enim vinum nouum in vtres nouos venerat, cum Apostoli non in litteræ vetustate, sed in nouitate spiritus Dei magnalia resonarent.

Nic. de Lyra. Et factus est repente &c. Non tamen Apostoli, & qui erant cum eis fuerunt territi, quia dabatur eis Spiritus sanctus qui est consolator cordium. Et cœperunt loqui &c. Sicut enim per rebellionem ad Deum diuisæ sunt linguæ, ita per infusionem Spiritus sancti fuerunt vnitæ. Quoniam audiebat vnusquisq; &c. Quia tale miraculum numquam fuerat visum, vel auditum.

Moraliter. Apostoli loquentes varijs linguis significant prædicatores, qui secundum qualitatem audientium formant sermones, aliter enim admonentur seculares, & aliter Religiosi.

Aug. de mirab. sac. scrip. lib. 1. cap. 9.

Sic Apostolica humilitas Spiritus sancti munere colligebat, quod superbiæ præsumptionis, & vanæ gloriæ cupido disperserat.

3 Act. 19.a TErtium simile huic miraculum habetur ibi. Factum est autẽ cum Apollo esset Corinthi, vt Paulus peragratis superioribus partibus, veniret Ephesim, & inueniret quosdam discipulos, dixitque ad eos: si Spiritum sanctum accepistis credentes? at illi dixerunt ad eum, sed neque si Spiritus sanctus est audiuimus: ille verò ait in quo ergo baptizati estis? qui dixerunt: in Ioannis Babtismate: dixit autem Paulus, Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ. Populum docens, in eum qui venturus esset post ipsum vt crederent, hoc est in Iesum: His auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu: Et cum imposuisset illis manus Paulus venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant: erant autem omnes viri ferè duodecim.

Glos. interl. Hoc & in Iesum &c. Dicentem baptizate omnes gẽtes, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et loquebantur linguis &c. signum consuetum Spiritus sancti suscepti.

Glos. ordin. Ioannes baptizauit &c. Non peccata remisit, sed pœnitentiam docuit, non enim est baptisma, quoḍ non datur in nomine trinitatis. Erant autem omnes &c. Rab. Iudicia Dei abissus multa, ecce Asia prius Apostolorum visitatione indigna, nunc apostolico numero sacrata, & prophetiæ munere est sublimata, spiritu autem repletur, qui est de catholica vnitate, & non alius.

Moraliter. Per hoc ostenditur quod bonus prælatus, debet esse sollicitus circa Neophitos, vtpote ne forte circa eos aliquid sit omissum de necessarijs, ad salutem vel Ecclesiæ sacramenta, & sic modo debito suppleãtur omissa, sicut in proposito Paulus fecit.

1 1. Reg. 26. B MIraculosè quoque dicitur factum circa sensum visus quod habetur ibi. Tulit igitur Dauid hastam, & scyphum aquæ, qui erat ad caput eius, & abierunt, & non erat quisquam, qui videret, & intelligeret, & euigilaret, quia sopor Domini irruerat super eos.

Glos. ord. Quia sopor &c. Idest somnus grauis à Deo immissus.

Moraliter. Per hastam significatur principatus, per Scyphum sacerdotium, quæ ablata sunt à Iudæis in vltionem mortis Christi factam à Romanis.

2 Act. 8. g SImile habetur miraculum ibi. Et dum irent per viam venerunt ad quandam aquam, & ait Eunuchus: Ecce aqua quid prohibet

bet me baptizari. Dixit autem Philippus. Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait. Credo filium Dei esse Iesum Christum: & iuxit stare currum,& descenderunt vterque in aquam Philippus,& Eunuchus, & baptizauit eum. Cum autem ascendissent de aqua, spiritus Domini rapuit Philippum,& amplius non vidit eum Eunuchus. Ibat autem per viam suam gaudens. Philippus autem inuentus est in Azoto; & pertransiens euangelizabat Ciuitatibus cunctis,donec veniret Cęsaream.

Glos. interl. Ecce aqua &c. Fides plena est, aqua propè, & baptizator præsens. Et descenderunt &c. Debet humiliari baptizandus,vnde Iordanis descensus interpretatur. Cum autem ascendisset &c. Proficiendus. De aqua &c. Quę est quasi fundamentũ. Rapuit Philippum &c.Hier. Dicit hoc Angelum fecisse in Spiritu sancto.Et amplius non vidit eum &c.Quia perfectus iam factus nõ indigebat doctrina,quia paracletus quem mittet pater,ipse docet omnia. Ibat per viam suam gaudens &c. Ad patriam, vel ad regnum cœlorum.

Glos.ord. Ad quandam aquam &c. Adhoc enim prædicatio du xerat,vt aqua indigeret, qui de baptismo in via audierat. Si credis &c. Rab. non ignorabat eius fidem, sed volebat manifestam confessionem, vt baptizaturis, & baptizandis daretur exemplum interrogandi, & confitendi. Inuentus &c. Rab. Ab hominibus, quia in raptu non inueniebatur,qui ambulauit in solitudine.

Nicol. de Lyra. Rapuit Philippum &c. Ab aspectu Eunuchi ad confirmationem fidei: per hunc raptum cognouit Philippum à Deo missum specialiter ad ipsum informandum de fide,& baptizãdum, ideo subditur. Ibat autem per viam suam gaudens &c. De veritatis cognitione,& baptismi susceptione.

DAtur quoque donum homini miraculosè interpretandi,vt habetur ibi. Bibebant vinum,& laudabant Deos suos aureos, & argenteos,& æreos, & ferreos, ligneosque, & lapideos. In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ Regiæ: & Rex aspiciebat articulos manus scribentis: & infra. 1 Dani. 5. a.& g.

Idcirco ab eo missus est articulus, qui scripsit hoc quod exaratũ est. Hæc est autem scriptura,quæ digesta est. Mane,Tethel,Phares: & hæc interpretatio sermonis. Mane, numerauit Deus regnum tuum,& compleuit illud. Tethel, appensus es in statera, & inuentus est minus habens. Phares, diuisum est regnum tuum, & datum est Medijs, & Persis. Tunc iubente Rege, indutus est Daniel purpura, & circundata est torques aurea collo eius, & prædicatum est

de eo,

de eo,quod haberet poteſtatem tertius in regno ſuo. Eadem nocte interfectus eſt Balthaſar Rex Caldeus , & Darius Medus, ſuccesſit in regnum annos natus ſexaginta duos.

Gloſ. interl. Laudabant Deos &c. Inſultantes Deo Iudæorum, & bibebant in vaſis Domini . Aureos &c. Philoſophicos ſenſus. Argenteos &c.Eloquij venuſtate . Æreos &c. Carmina Poetarū. Ligneos &c. Inanes Gentilium inuentiones . Contra candelabrum &c. Vt melius appareat, & manus, & quod ſcribitur . Aulæ Regię &c. Vt ad Regem pertinere dicatur. Mane &c. Numerus. Tethel &c. Appenſio. Phares &c. Diuiſio .

Gloſ. ord.In eadem hora &c.Poſtquā humanis vſibus diuina contaminantur,mox ſacrilegiū pœna conſequitur.Mane, Tethel , Phares &c.Primū pertinet ad terminationē regni ſecundū vitę Regis; tertium ad translationem Regni . Tunc iubēte Rege &c. Dei enim propheta honorando , ſe putauit veniam promereri : non tamen obtinuit,quia ſacrilegium maius fuit, quam veneratio hominis Dei. Eadem nocte &c. Quod autē in cōuiuio capta ſit Eſaias
Iſa.21.b aperit . Sic Babilon dilecta mea facta eſt mihi in miraculum , pone menſam,& contemplare in ſpecula comedentes,& bibentes; ſurgite principes,& arripite clypeum .

Nicol.de Lyra. Aureos,& argenteos &c. Idola enim fiebant de diuerſis metallis,ſecundum proprietatem illorum, pro quibus fiebant,vt idolum Martis de ferro , Solis de aureo,Lunę de argenteo: vnde dicitur, quod ædes Dianæ fiebant de argento . In eadem ho-
Act. 19.e ra &c. Ex hoc patet,quod temerarium eſt res Deo ſacratas,applicare vſibus humanis . Et Rex aſpiciebat &c. Hic nō dicitur, quòd alij viderunt,ex quo videtur,quod non erat ibi manus ſcribens, ſecundum exiſtentiam,quia talia communiter videntur ab omnibus aſsiſtentibus,ſed ſolum erat talis apparitio in oculis Regis; & ſententia in pariete ſcribebatur diuinitus , miniſterio tamen Angelico,quia eorum miniſterio talia fiunt. Eadem nocte &c, In hoc apparet interpretationis impletio .

Moraliter . Hic fertur ſententia diuina contra peccatores in ſcriptis, vt firmior oſtendatur , in qua conſcriptione , ſcribens eſt Deus pater; manus filius; nam per filium omnia operatur, vt dici-
Ioan.1.a tur . Omnia per ipſum facta ſunt . Digitus eſt Spiritus ſanctus, vt
Exo.8.c ibi . Digitus Dei eſt hic, & Eccleſia,tu ſeptiformis munere dextera Dei digitus .

1 FVit quoque aliud donum homini miraculosè conceſſum, vt ha-
Exo.34.c betur ibi . Cumque deſcenderet Moyſes de monte Sinai , tenebat duas tabulas lapideas teſtimonij , & ignorabat quod cornuta

esset facies sua ex consortio sermonis Domini; videns autem Aaron, & filij Israel cornutam Moysi faciem timuerunt prope accedere: Et infra.

Qui videbant faciem egredientis Moysi esse cornutam, sed operiebatur rursus ille faciem suam, si quando loquebatur ad eos.

Glos. interl. Cornuta esset facies &c. Facies Moysi glorificata lex diuinis misterijs illustrata, cornuta autem quibusdam radijs splendoris quos humanus visus ferre non poterat. Cornutam Moysi &c. Duobus scilicet testamentis, quæ erant in facie Moysi, idest in lege, vetus scilicet aperte nouum occulte. Timuerunt &c. Quia lucem diuinorum misteriorum Iudæi non intelligunt, sed abhorrent in lege.

Glos.ord. Orig. Illud quoque intuere quod in lege vultus Moysi glorificatur, licet velamine contegatur: manus intra sinum missa leprosa facta est; In quo mihi videtur forma totius legis designari, in vultu enim sermo legis, in manu opera signantur, quia ergo ex operibus legis nullus erat iustificandus, nec aliquem ad perfectum lex perducebat, manus leprosa fit, & in sinum reconditur tanquam nihil perfectio operis habitura, facies quoque Moysi glorificatur, sed velamine tegitur, quia sermo eius habet scientiæ gloriam, sed occultam, vnde incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi, facies ergo Moysi habet gloriam, manus contumeliam. Ps. 50. b

Nicol. de Lyra. Et ignorabat quod cornuta esset &c. Erant enim quidam radij miri splendoris, procedentes in altum ad modũ cornuum, quos Apostolus vocat gloriam vultus Moysi. Timuerunt prope accedere &c. Propter dicti splendoris reuerentiam. 2. Cor 3 b

Habetur quoque aliud miraculum respectu sensus auditus, vt dicitur ibi, igitur quandocumque spiritus Dei malus arripiebat Saul: tollebat Dauid Cytharam, & percutiebat mau sua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat, recedebat enim ab eo spiritus malus. 1. Reg. 16. d

Glos.ord. Erat Dauid canticis musicæ eruditus: diuersorũ sonorũ rationabilis, moderatusque concẽtus Ecclesiæ vnitatẽ significat, quę varijs modis quotidie resonat: Dauid in cytara sua malignum spiritum compescuit, non quia tanta vis esset in cytara, sed in figura crucis Christi, quæ de ligno, & chordarum extensione gerebatur, quia iam tunc dæmones effugabat.

Nic. de Lyra. Ecce spiritus Domini malus &c. Dicitur autem dæmon spiritus Domini, quia natura ipsius bona est, & à Deo per creationem, sed malus factus fuit propter superbiam suam. Recedebat enim ab eo &c. Melodia non expellebat dęmones agendo

aliquid in eos, sed in quantum deuotionem in Dauid excitabat,& sic eius laudes ad expulsionem dæmonis erant magis efficaces virtute diuina, per orationes enim sanctorum frequenter leguntur expulsi à corporibus obsessis.

2 3.Reg.6 b. EXtat & aliud miraculum respectu sensus auditus ibi. Domus autem cum ędificaretur, de lapidibus dolatis,atque perfectis ædificata est, & malleus, & securis,& omne ferramentum,non sunt audita in domo cum ędificaretur.

a Glos.ord.Domus autem cum ędificaretur &c. Hęc ad illam Ecclesiæ partem, quæ post seculi labores,& certamina ad æterna pręmia meruit introduci, propriè pertinent: Nihil enim inquinatum intrabit in illam ciuitatem. Et malleus, & securis &c. Quia hic tondimur aduersitatibus, & disciplina veritatis exercemur; vt illic iuxta meritum locis congruis disponamur, & castigatione cessante solo amoris glutino, quo ad inuicem copulemur vno impleti spiritu perfundamur.

3 4.Reg.7 TErtium habetur miraculum ibi. Cumque venissent ad principium castrorum Syriæ, nullum ibidem reperierunt, siquidẽ Dominus sonitum audiri fecerat in castris syriæ, curruũ, & equorum, & exercitus plurimi.

m Glos.ord.Siquidem Dominus sonitum &c. Diuina enim virtute factus est talis sonitus, in auribus eorum, & immaginatio,de quibus sequutus est timor, & fuga omnium relictis omnibus ex velocitate fugę, vt saluarent personas suas, secundum quod dicitur, cuncta quę habet homo dabit pro anima sua.

Iob.2. B

4 Dan.4.f QVartum habetur miraculum ibi. Cumque sermo ad huc esset in ore Regis, vox de cœlo ruit: Tibi dicitur Nabucdonosor Rex: Regnum tuum transibit à te & ab omnibus eijcient te, & cum bestijs atque feris erit habitatio tua, fenum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te: donec scias quod dominetur excelsus in regno hominum,& cuicumque voluerit det illud: eadem hora sermo completus est super Nabucdonosor: & ex hominibus abectus est,& fœnum,vt bos comedit &c.

Glos. interl. In ore Regis &c. Quia per se regnare voluit. De cœlo ruit &c. Quasi pondus. Tibi dicitur &c. Non alij vox aperta præmittitur, vt à Domino vindicta immissa sciatur. Donec scias &c.Magna miserię consolatio. Quod dominetur excelsus &c. Super omnes gentes, siue cuius nutu, nec folium arboris cadit.Et cuicumque voluerit &c. Quia omnis potestas à Domino Deo est.

Eadem hora &c. Vt scilicet esset superbię pœnam. Sermo &c. Dei. Glos. ord. Cumque sermo ad huc esset. &c. Arrogans gloriatio statim punitur, nec sentẽtia differtur ne misericordia in pauperes minimè profuisse videatur: In superbia statim regnum perdidit, quod aliquandiu in misericordia dominauit; qui de magnitudine operis sui timuit vltra homines, factus est infra homines.

Nic. de Lyra. Vox de cœlo ruit &c. Quasi quoddam pondus deijciens eius superbiam, & vox facta est in aperto, vt Dei vindicta intelligatur à populo.

VLtimo videndum est, pro complemento huius tractatus, de miraculis factis, circa creaturas irrationales; quę dici possunt in multiplici differentia, nam alia facta sunt circa animalia sensitiua, alia circa vegetatiua, alia circa elementa.

Circa primum. Primum miraculum habetur ibi. Respondens Moyses ait: Non credent mihi neque audient vocem meam, sed dicent non apparuit tibi Dominus; dixit ergo ad eum, quid est quod tenes in manu tua? Respondit, virga; dixitque Dominus, Proijce eam in terram, proiecit, & versa, est in colubrum, ita vt fugeret Moyses, dixitque Dominus extende manum tuam, & apprehende caudam eius, extendit et tenuit, versaque est in virgam vt credant inquit, quod apparuit tibi Dominus Deus patruum tuorum, Deus Abraam, Deus Isaac, Deus Iacob. 1 Exo. 4.a

Glos. interl. Non credent etc. Christo quoque non crediderunt Iudęi, vnde quis credidit auditui nostro? Respondit virga etc. Diuina potestas quam Moyses tenebat, dum plebs iudaica ante aduentum redemptoris in ea confidebatur: vel Christus; quem Moyses idest lex prędicabat. Proiecit etc. Cum per Prophetas Deum incarnandum nunciauit. Et versa est in colubrum &c. Deus in se permanens mortalis factus est homo. Ita vt fugeret Moyses &c. Quia dum mortalem vidit, Deum credere expauit. Et apprehende caudam &c. Quia populus qui modo credere recusat in extrema parte dominici corporis scilicet in fine mundi sese ad fidem colliget. Extendit, & tenuit &c. Credendo quia eum quem mortalẽ despexit redemptorem in vltima parte Ecclesiæ confitebitur. Versaque est in virgam &c. Quia mox Redemptor noster in iudicio cũ potestate diuinitatis apparebit. Vt credant &c. Quia Christus deuicta morte surrexit.

Glo. ord. Serpens persuasit homini mortẽ: mors ergo à serpente, virga in serpẽte Christus in morte, expauit Moyses & fugit, mortuo .n. Christi expauerũt discipuli, à spe in quã fuerũt recedentes, apprehendit caudam, idest posteriora, & factus est virga, quia pri-

mo occisus, postea patratis omnibus, ad id quod fuerat resurgen- do reuersus est, vbi per vitam morte consumpta, nihil in eo serpentis apparuit.

2 Exo.7.b SEcundum miraculum habetur ibi. Dixitque Dominus ad Moysem, & Aaron, cum dixerit vobis Pharao ostendite signa, dicens ad Aaron, Tolle virgam tuam & proijce eam coram Pharaone, & vertatur in colubrum: ingressi itaque Moyses, & Aaron ad Pharaonem, fecerunt sicut præceperat Dominus tulitque Aaron virgam coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in columbrũ, vocauit autem Pharao sapientes, & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes, Ægipticas, & arcana, quædam similiter, proiecceruntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones, sed deuorauit virga Aaron virgas eorum.

Glos. interl. Tolle virgam &c. Crucem. Proijce eam coram Pharaone &c. In fide audientium. Vertatur in colubrum &c. Sapientiam, prædicatio enim crucis, stulta videbatur, sed post quã venit ad fidem hominum sapientia intelligitur. Et arcana quædam &c. Dæmonum. Quæ versæ sunt in Dracones &c. Astutias mundi. Sed deuorauit &c. Crux Christi, qui est sacerdos in æternum consumpsit sapientiam mundi, quæ amica est Deo.

Ro.8.b Glos. ord. Cum dixerit vobis &c. Stra. Virga Christum significat, qui ex Regali stirpe carnem sumpsit: vnde eadem virga in colubrum conuersa, omnes virgas maleficiorum deuorauit, quia mors Christi, mortem nostram comsumpsit. Isid. Virga versa in colubrum significat verbum caro factum, quod per remissionem peccatorum euacuauit venenum serpentis. Sed deuorauit &c. Aug. Et si veri dracones facti sunt ex virgis magorum, non fuerunt tamen creatores draconum, insunt enim in rebus corporeis, per omnia elementa mundi quædam occultæ seminariæ rationes, quibus cum data fuerit oportunitas temporalis, atque causalis, prorumpunt in debitas species, suis scilicet modis & finibus: nec dicuntur qui faciunt ista, animalium creatores sicuti nec agricolæ segetum, vel arborum, vel huiusmodi quamuis præbeant quasdam visibiles oportunitates & causas nascendi, quod autem isti faciunt visibiliter, hoc angeli inuisibiliter, Deus vero solus creator est verus, qui causas ipsas, & rationes seminarias rebus inseruit.

Aug. de mirab. sac. scrip. lib. 1. cap. 17.

Virga igitur in anguem versa, & rursus serpens in arborem mutatus laborem naturæ inquisitoribus parat: Nisi quia vtrumque, virga scilicet & serpens factũ esse manifestè docetur ex terra, quod ergo ex eadẽ materia oritur, Gubernatoris Dei potentia vicissim

in alterutrum mutatur, si omnia, quæ de terra facta sunt, in alterutrum mutari vicissim conceduntur, hoc est, vt animal in arborem, & panis in lapidem, & homo in volucrem verti posse concedatur, Nihil ex ijs firmiter possit intra naturæ suæ terminos permanere, & ridiculosis magorum fabulationibus dicentium manuũ substantia maiores suos secula peruagasse, assensum præstare videbimur; ac per hoc Deum in his non gubernatorem, sed mutatorẽ esse dicemus, quod absit, nec illum post primam naturam omnium conditionem, aliud nouum quod non propria natura remaneat, facere credamus, nihil enim sub sole nouum; nec valet quisquam dicere, ecce hoc recens est.

Tertium habetur miraculum ibi. Ibant autem indirectum vaccæ per viam, quæ ducit Bethsames, & itinere vno gradiebantur, & pergentes, & mugientes, & non declinabant, neque ad dexteram, neque, ad sinistram. 3 1.Reg.6 c

Glos. ord. Isidor. Vaccæ arcam gestantes sanctos significant, qui seculo renunciant, qui nullum delicti traxerunt iugum: sicut enim vaccæ vitulorum affectu à recto itinere non deuiant, sic sancti patres tali affectu à bono proposito non exorbitant.

Nicol. de Lyra. Et mugientes &c. Quasi Deum modo suo laudantes.

Quartum habetur miraculum ibi. Qui cum abijsset in venit eũ leo in via, & occidit, & erat cadauer eius proiectum in itinere, asinus autem stabat iuxta illum, & leo stabat iuxta cadauer: Et ecce viri transeuntes viderunt cadauer proiectum in via, & leonem stantem iuxta cadauer: Et infra. 4 3.Reg. 13.e

Vir Dei est qui inobediens fuit ori Domini, & tradidit eum Dominus leoni: Et infra.

Inuenit cadauer eius proiectum in via, & asinum & leonem stantes iuxta cadauer, Non comedit leo de cadauere, nec lesit asinũ.

Glos. ordin. Hic ostenditur quod peccatum in obedientiæ in ipsa morte fuit laxatum, quia iste idem leo, qui viuentem præsumpsit occidere, ausus contingere non est occisum, qui ei occidendi habuit potestatem, de occisi cadauere comedendi licentiam non accepit, quia is cuius culpa in vita fuit punita erat iam iustus ex morte.

Nicol. de Lyra. Asinus autem stabat & leo &c. Instinctu diuino custodiens, vtrumque scilicet cadauer ad sepelliendum, & asium vt cadauer portaret, ad sepulturæ locum.

Quin-

5 Tob.6.a QVintum habetur miraculum ibi, Profectus est autem Tobias; & canis secutus est eum, & mansit prima mansione, iuxta fluuium tigris: & exiuit vt lauaret pedes suos, & ecce piscis immanis exiuit ad deuorandum eum, quem expauescens Tobias clamauit voce magna dicens: Domine inuadit me, & exiuit ei angelus, apprehende branchia eius, & trahe eum ad te; quod cum fecisset attraxit eum in siccum.

Glos.ord. Piscis significat diabolum exeuntem ad deuorandum nos, capitur tamen potentia diuinitatis.

Nicol. de Lyra. Et ecce piscis immanis &c. Magnus diuina prouidentia missus.

Moraliter. Per Tobiam lauantem pedes suos significatur quod ambulantes ad patriam per huius vitæ viam, debet lauare conscientias suas, per veram, & puram confessionem.

6 Luc.5.a SExtum habetur miraculum ibi. Factum est autem cum turbæ irruerent in eum, vt audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genezareth: & vidit duas naues stantes secus stagnum, piscatores autem descenderant & lauabant retia: Ascendens autem in vnam Nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere pusillum: Et sedens docebat de Nauicula turbas, vt cessauit autem loqui dixit ad simonem: duc in altum, & laxate retia vestra in capturam: & respondẽs Simon dixit illi: Præceptor per totã noctem laborantes nihil cœpimus: in verbo autem tuo laxabo rete: & cum hoc fecissent, cõcluserunt piscium multitudinem copiosam; rumpebatur autem rete eorum: & annuerunt socijs, qui erãt in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos: & venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur, quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu dicens; exi a me Domine, quia homo peccator sum; stupor enim circumdederat eum & omnes qui cum illo erant, in captura piscium, quam cœperant: similiter autem Iacobum, & Ioannem filios Zebedei, qui erant socij Simonis: & ait ad Simonem Iesus: Noli timere ex hoc iam homines eris capiens: & subductis ad terram nauibus relictis omnibus, secuti sunt eum &c.

Glos. interl. Cum turbæ irruerent in eum &c. Conuentus turbarum, fidem designat populorum. Ipse stabat &c. Quia magna fecit in terra, transit ad mare, vt ibi faciat, & Dominus maris terræque appareat. Secus stagnum &c. Legem. A terra reducere &c. Ab amore terrenorum. Duc in altum &c. Ad Christum ascendentem. Laxate retia &c. Quia boni & gentiles parati erant accipere legem. Per totam noctem &c. Per veterem legem laborantes,

tes, nullum duximus ad vitam. Concluserunt piscium mulitudinem &c. Pisces sunt qui hanc vitam enauigant. Rumpebatur autem rete &c. Rumpitur qui diuitias, & paupertates, non sustinet. Impleuerunt ambas Nauiculas &c. Quia Ecclesia, & synagoga conuertitur. Ex hoc eris homines capiens &c. Non dum eligitur in Apostolatum, sed prædicitur, quod aliquando sit eligendus.

Glos. ord. Secus stagnum &c. Beda. Stagnum præsens seculum designat. Genesareth: quasi generans auram, quia crispantibus aquis de se auram emittit. Vidit duas Naues &c. Beda. Circumcisio, & præputium, aquas videt, qui in vtroque populo nouit, quæ sunt eius. Piscatores &c. Doctores Ecclesię retibus fidei cõpręhensos, & de profundo ad lumen elatos, terrę viuentium quasi littori ingerunt. Lauabant rete &c. Lota retia plicat, qui intermissio prędicandi officio, quod alos docuit ipse implere satagit. Quę erat Simonis. Nauis Symonis primitiua Ecclesia circumcisionis, de cuius auctoritate docet gentes vsque hodie, quę benè vna quia multitudinis credentium erat cor vnũ, & anima sua, Hęc Nauis apud Matteum fluctuat, in quo attenditur principium Ecclesię, quando trepidantibus discipulis Christus adhuc dormit, Hic piscibus repletur, quia finis Ecclesię inspicitur, vbi fructus exuberat. Rogauit eum à terra &c. Beda significat, temperate vtendum verbo, ad turbas, vt nec terrena, quidem pręcipiantur, nec à terrenis in profunda sacramentorum recedant. Duc in altũ &c. Amb. Et si alijs imperatur, vt laxent retia, soli Petro dicitur; Duc in altum, idest in profundum disputationum. Laxate retia &c. Beda. Retia sunt verborum complexiones, & quasi quidam orationis sinus, & disputationũ recessus; quæ quos capiunt non amittunt, vnde & retia, quasi retinentia sunt vocata, quæ captos non perimunt, sed reseruant. In verbo autem tuo &c. Beda. Nisi in verbo gratię lassata fuerunt instrumenta disputationum, frustra prædicator vocis suæ iaculum mittit, quia fides populorum non in sapientia verbi compositi, sed diuinæ vocationis munere prouenit. Rumpebatur autem rete &c. In Ecclesia circumcisionis rumpitur rete, quia non tot intrant de Iudæis, quot apud Deum ad vitam erant prærordinati: Alia ergo nauis idest Ecclesia de gentibus succedit, quæ electos ad salutem colligit. Et impleuerunt &c. Beda. Hæc impletio vsque ad finem seculi crescit. Stupor enim &c. Excusat Petrum non studio malitiæ, sed ex humano defectu hoc dixisse, ad mirabatur autem diuina dona, & quo plus meruerat, hoc præsumebat minus. Noli timere &c. Beda. Non recedit, sed ad lictus perducit, & viuificandi potestatem tribut. Ex hoc iam

Act. 4. f
Mat. 8. c

eris &c. Beda. Hoc. ad ipſum Petrum ſpecialiter pertinet. Relictis omnibus &c. Beda. Miſticè finem ſeculi ſignificat.

Nic. de Lyra. Rumpebatur autem rete &c. Ex quo patet duplex miraculum, quia non ſolum ceperant magnam multitudinem piſcium ſupra modum in ſolitum, & poſsibilem, per viam humanam, ſed etiam illa multitudo piſcium tenebatur in rete rupto. Quod cum vidiſſet Simon &c. Propter prædicta miracula. Stupor enim circumdederat illum &c. Ideſt admiratio magna propter facta Chriſti inſolita. Ex hoc iam eris &c. Per ſanam doctrinā trahendo ad vitam æternam verbum enim Dei hamo piſcatoris comparatur, quia ſicut hamus non capit piſcem, niſi ab ipſo prius capiatur, ſic nec verbum Dei capit hominem ad vitam æternam, niſi ipſum verbum mente ipſius capiatur.

Moraliter. Amb. Non turbatur iſta quæ petrum habet turbatur illa, quę Iudam habet, in vtraq; tamen Petrus. Sed qui ſuis meritis firmus eſt, turbatur alienis. Caueamus ergo proditorem ne per eum plurimi fluctuemus.

Catena aurea. Aſcendens autem in Nauem &c. Theoph. Fugit autem Dominus gloriam, quanto magis ipſa eam ſequebatur, & ideo à turbis ſe ſeparans aſcendit in Nauem. Rogauit eum &c. Theo. Vide autem Chriſti manſuetudinem, quomodo rogat Petrū, & Petri obedientiam, quomodo in omnibus fuit obediens. Chriſ. Poſtquam verò multa peregerat miracula, iterum doctrinam proponit & exiſtens in mari piſcatur exiſtens in terra, quia ſedens docebat, vt dicitur in textu. Duc in altum &c. Chriſ. Condeſcendens enim hominibus, ſicut magos per Sydus vocauit, ſic & piſcatores per piſcatoriam artem. Rumpebatur autem rete &c. Beda Rumpitur autem rete, ſed non labitur piſcis, quia ſuos Dominus inter perſequentium ſcandala ſeruat. Greg. Niſſen. Cum enim mandaſſet de mergere retia, tanta copia piſcium capta eſt, quanta ipſe maris Dominus, & terræ voluerat, vox enim verbi ſemper eſt vox virtutis, cuius præcepto in origine mundi lux, & cæteræ creaturæ prodibant, in his admiratur Petrus.

7 SEptimum habetur miraculum ibi. Poſtea manifeſtauit ſe ite-
Ioa. 21. a rum Ieſus ad mare tiberiadis, manifeſtauit autem ſic, erant ſimul, Petrus, Thomas, qui dicitur didimus, & Nataniel, qui erat à Cana Galileæ, & filij Zebedei, & alij ex diſcipulis eius duo: dicit eis Simon Petrus; vado piſcari: Dicunt ei, venimus & nos tecum: Et exierunt, & aſcenderunt in nauim, & illa nocte nihil prędiderunt: mane autem facto ſtetit Ieſus in littore, non tamen, cognouerunt diſcipuli quia Ieſus eſt: Dicit ergo eis Ieſus: Pueri nunquid

quid pulmentum habetis? Responderunt ei. Non. Dixit eis. Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis. Miserunt ergo, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium. Dicit ergo Discipulus ille quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est. Simon Petrus cum audisset, quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare. Alij autem Discipuli nauigio venerunt (non enim longe erat à terra, sed quasi cubitis ducentis) trahentes rete piscium: vt ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum. Dicit eis Iesus. Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc. Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus: & cum tot essent non est scissum rete &c.

Glos. interl. Mittite in dexteram &c. Prædicationem ad colligendos solos dexteros. Tunicam succinxit se &c. Fide Ecclesiæ. Misit se in mare &c. Ex dilectione influctus seculi. Nauigio venerunt &c. Idest in Ecclesia fluctus mundi calcantes. Viderunt prunas &c. Quibus significatur color charitatis. Et panem &c. Verbum Dei. Et traxit rete &c. Dum his qui in fluctibus seculi sunt stabilitatē Trinitatis ostendit. In terram &c. Idest littus quod est finis mundi. Et cum tanti essent &c. Numero, & quantitate.

Glos. ord. Et illa nocte &c. Nox ante aduentum Christi, in qua nullus ad perfectionem per legem venit; septem fuere in hac pisca tione, quod significat finē temporis, quod septem diebus voluitur: littus finis maris, significat finem seculi. Est alia piscatio de qua supra ab ista, ibi capti sunt boni, & mali, hic tantum boni, ibi Iesus non stat in littore, sed in naui, ibi piscis in nauiculis, hic rete in terra, ibi ergo Ecclesia in hoc seculo, hic in fine seculi, ibi vocati, hic resuscitati, ibi rumpitur rete per schismata, hic in summa pace Sanctorum non est scissum, ibi non exprimitur numerus, quia multiplicati sunt super numerum, & hic est certus numerus, quo significatur omnes ad gratiam spiritus pertinentes.

Nicol. de Lyra. Vado piscari &c. Erant enim pauperes, & ideo ad procurandum necessaria vitę licitè poterant redire ad exercendum negotium, quod sine peccato poterat exerceri. Et illa nocte nihil prendiderunt &c. Hoc factum est, vt captio sequens manifestè miraculosa appareret. Mittite in dexteram &c. Prædicit certitudinaliter effectum futurum, vt ad consequentiā habeant animū magis attentum. Miserunt ergo &c. Ex quo patet, quod pisces illi fuerunt miraculosè adducti, vel virtute diuina de nouo formati, quod tota nocte ibi quæsierūt, & nihil inuenerunt. Dixit ergo Discipulus ille &c. Ideo Ioannes prius cęteris cognouit, quia purior erat tanquam virgo; tum ex consideratione miraculi facti, quia

Chriſtus prius ei oſtendit ſpeciem cognoſcibilem propter ſuam puritatem.

Moraliter. Per artificium piſcandi, ſignificatur officium prædi-
Mat. 4 d candi, iuxta illud. Venite poſt me faciam vos fieri piſcatores hominum. Et illa nocte nihil prendiderunt &c. Ad ſignificandum, quod prædicatores Eccleſiæ ſine Chriſti virtute nihil proficere
Ioa. 15. a poſſunt, iuxta illud. Sine me nihil poteſtis facere, ſed ipſo præſente, & dicente. Cœperunt piſcium multitudinem copioſam, per quam ſignificatur multitudo credentium per prędicationem Apo-
Mat. vlt. d ſtolorum, Chriſto tamen principaliter operante, vnde. Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.

Cat. aur. Greg. Facta eſt autem Diſcipulis piſcationis magna difficultas, vt veniente magiſtro fieret admirationis magna ſublimitas. Chriſ. Deinde aliud ſignum fuit quod ex multitudine piſcium rete non eſt ſciſſum.

CIrca plantas verò, ſeu animas vegetatiuas reperiuntur facta miracula.

1 Gen. 30. f Quorum primum habetur ibi. Tollens igitur Iacob virgas populeas virides, & amigdalinas, & ex platanis ex parte decorticauit eas, detractisq; corticibus, in his quæ ſpoliata fuerant, candor apparuit: illa verò quæ integra fuerant, virida permanſerunt, atque in hunc modum color effectus eſt rarius: poſuitq; eas in canalibus, vbi effundebatur aqua; vt cum veniſſent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aſpectu earum cōciperent. Factumq; eſt, vt in ipſo colore, coitus oues intuerētur virgas, & parerent maculoſa, & varia, & diuerſo colore reſperſa.

Gloſ. interl. Virgas populeas &c. In vno genere potuit fieri varietas, ſed pro myſterio tria genera lignorum ſunt poſita.

Gloſ. ord. Tollens igitur virgas &c. Hæc ante oculos gregum ponere, eſt per ſcripturæ ſeriem antiquorum Patrum vitas, atq; ſententias in exemplis populis præbere.

Nicol. de Lyra. Dicunt aliqui, quod Angelus eum docuit artem iſtam, quod oſtendit ſibi in viſione.

2 Num. 17 C SEcundum habetur miraculum ibi. Quem ex his elegero germinabit virga eius, & cohibebo à me quærimonias filiorum Iſrael, quibus contra vos murmurant. Locutuſque eſt Moyſes ad filios Iſrael, & dederunt ei omnes principes virgas per ſingulas Tribus. Fuerunt virgæ duodecim abſque virga Aaron: quas cum poſuiſſet Moyſes coram Domino in tabernaculo teſtimonij; ſequenti die re-

greſſus,

gressus, inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui,& turgentibus genuis eruperant flores , qui folijs dilatatis in amigdalas deformati sunt.

Glos.ord. Omnes principes habent virgam, quia sine ea populũ regere non potest: vnde paulus qui princeps populi erat dicebat. Quid vultis, an in virga veniã ad vos, an in charitate? Orig. Omnes principes Tribuum necesse est, vt habeant virgas; vnus solus est Pontifex Aaron, cuius virga germinauit. Hic est Christus, cuius virga non solum germinauit, sed etiam floruit, & credentium attulit fructus, quis est fructus quem attulit? Nuces, inquit, qui fructus primo indumento amarus: secundo munitur: Tertio pascit. Talis ergo est in adiutorio Christi legis,& Prophetarum. Prima facies literæ amara est, quia circumcisionem præcipit. Secundò ad munimentum perueniens, in quo moralis doctrina continetur. Tertiò inueniens sensum absconditum mysteriorum sapientiæ,& scientię, quo nutriuntur animæ Sanctorũ. Germinauit virga &c. Orig. Vnũ fructum promisit Deus in virga,& dedit plura, vt liberalitatẽ Dei largiorem promissionibus attendamus. Inuenit germinasse &c. Orig. Virga arida germinat cum corpus extinctum reuiuiscit, cui quatuor pręstabuntur. Seminatum in corruptione surget in incorruptione; seminatum in infirmitate, surget in virtute; & seminatũ in ignominia, surget in gloria; seminatum in corpus animale, surget spirituale. Hæc quatuor virga aridi corporis in resurrectione germinabit. Virgam &c. Greg. Carnem Christi, quæ de radice Iesse succissa, & mortificata cito resurrexit post ariditatẽ mortis.

1 Cor. 4. d

1. Cor. 15. f

Nico.de Lyra. Quem ex his elegero &c. Vt hoc signo alij quiescant sacerdotio. Viderunt &c. Scilicet virgam Aaron solum germinasse miraculosè.

Tertiũ habetur miraculum ibi. Et præparauit Dominus Deus hæderam, & ascendit super caput Ionæ, vt esset vmbra super caput eius,& protegeret eum: & lætatus est Ionas super hædera lętitia magna, & parauit Deus vermen ascẽsu diluculi in crastinum, & percussit hæderam,& exaruit. 3 Io. 4. C

Glos. interl. Et ascendit super caput eius &c. Subito mira Dei virtute. Et præparauit Deus vermen &c. Christum, qui dicit: Ego sum vermis, & non homo. Et percussit hæderam &c. Quæ antequam oreretur sol iustitiæ virebat, sed surgente Christo desertum est vmbraculum ab auxilio Dei,& omnem virtutem perdidit.

Glos.ord. Et pręparauit &c. Hanc Deus hęderam pręparauit, vt sine aliquibus substentamentis in altum subito consurgens vmbraculum præberet Prophetę, vt ostenderetur per hoc Dei virtus.

Nic. de Lyra. Et parauit &c. Omnia enim quantuncunq; mi nima, sua prouidentia disponuntur.

4 Matt. 21. e Mar. 11. b QVartum habetur miraculum ibi. Mane autem reuertens in Ciuitatem, ęsurijt: & videns fici arborem vnam secus viã, venit ad eam, & nihil inuenit in ea, nisi folia tantum, & ait illi. Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum; & arefacta est continuo ficulnea. Et videntes Discipuli mirati sunt, dicentes. Quomodo continuo aruit? Respondens autem Iesus, ait eis. Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, non solum de ficulnea facietis; sed si monti huic dixeritis: tolle, & iacta te in mare, fiet; & omnia quæcunque in oratione credentes, accipietis.

Glos. interl. Mane autem &c. More studiosi operatoris, qui mane surgit. Esurijt &c. Pro veritate carnis, vel salute credentiũ. Arborem vnam &c. Synagogam. Secus viam &c. Non in via spiritus, sed litterę. Ad eam &c. Immobilem sine pedibus Euangelij. Nisi folium tantum &c. Eloquia legis, & Prophetarum. Et arefacta &c. Folia & truncus aruit, sola radix viuit, quæ in fine mundi pullulabit. Si habueritis fidem &c. Quę non frangatur aduersis. Hęsitaueritis &c. Vos accepturos, quod petitis. Et si monti huic dixeritis &c. Et ad litteram quãdo ratio erigit, iam in multis factum est, vel superbo diabolo. Tolle &c. De prædestinatis. Iacta te in mare &c. In turbulentos infideles. Et omnia quęcunque &c. Quę ad salutem pertinent.

Glos. ord. Fici arborem &c. Sicut multa dixit in parabolis, ita & fecit. Cur enim in ficu fructum quęreret, cuius tempus nondum esset quilibet sciret, nisi quia plebem, quam verbo docebat, terruit hoc facto, ne quis habens folia, idest verba iustitię sine fructu operum mereatur excidi. Folia &c. Traditiones Phariseorum sine fructu veritatis. Nunquam ex te &c. Non facit iniuriam creator posidenti, si creatura sua ad arbitrium sui vtitur, & ad vtilitatem aliorum. Et videntes &c. Passurus Dominus, & scandalum crucis portaturus, Discipulorum suorum animos debuit signis anticipatione signare; vnde & mirabantur quod ficus aruit, potuit eadem virtute inimicos siccare, nisi per patientiam eorum expectasset salutem. Si habueritis fidem &c. Perfectam fidem habet, qui per dilectionem operatur, hic potest montes transferre. Alij de peccato veniam obtinent, si ipsi alijs dimittunt. Accipietis &c. Et si differatur ad tempus oportunum, & si non his quibus petitur, tamen qui digne petunt.

Nicol. de Lyra. In hoc quod Christus arborem habentem tantũ folia maledixit ostenditur sacerdotes illos esse maledicendos, in

quibus

quibus non extant opera veritatis. Respondens autem Iesus &c. Ad miracula enim facienda requiritur fides, vel saltem signum fidei, quod etiam aliqui mali ad inuocationem Christi leguntur fecisse miracula.

Cat.aurea. Ideo autem non in alia planta, sed in omnium humidissima miraculum hoc fecit, vt hinc maius miraculum hoc appareat. Cum autem in plantis, vel brutis fit aliquid tale, non quæras, qualiter iustè siccata est ficus, si tempus non erat: Hoc enim quærere est vltimę dementiæ, quia scilicet in talibus non inuenitur culpa, & pœna, sed miraculum inspice, & admirare miraculi factorē.

Circa elementa multa facta sunt miracula, vt patet vltra ea quę dicta sunt supra suis in locis, & ex infra dicendis. I Exo. 3.a

Et primo in elemento ignis apparet ibi. Moyses autem pascebat oues Ietro soceri sui sacerdotis Mediam. Cumq; minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb. Apparuitq; ei Dominus in flamma ignis in medio rubi, & videbat quod rubus arderet, & non combureretur. Dixit ergo Moyses. Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Cernens autem Dominus, quod pergeret ad vidēdum, vocauit eum de medio rubi, & ait. Moyses, Moyses. Qui respondit. Ad sum. At ille. Non appropries, inquit huc, solue calciamentum de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est, & ait. Ego sum Deus patris tui, Deus Abraam, & Deus Isaac, & Deus Iacob.

Glos.interl. In flamma ignis &c. Verbo Dei. De medio rubi &c. Iudaici peccati. Et videbat &c. Quia per legem nō sunt consumpta peccata populi. Solue calciamentum &c. Opera mortua. De pedibus &c. Affectibus. Locus enim &c. Ecclesia ad quam nemo accedit calciatus. Ego sum Deus patris tui &c. Merita parentum bonorum sæpe filijs subueniunt.

Glos.ord. Isid. Rubus spinæ peccatorum Iudæorum, flamma in rubo verbum Dei, idest lex data illi populo, sed ad flammā rubum non comburit, quia lex data peccata eorum non consumit. Solue calciamētum &c. Quia nullus dignè Deum videre potest, nisi cuncta terrena, & mortalia vitia deponat.

Nicol. de Lyra. Apparuitq; ei Dominus &c. Apparuit ei Angelus Domini, qui loquebatur in persona Dei, ideo aliquando Angelus, aliquando Dominus nominatur. Et videbat quod rubus arderet &c. Flamma occupans rubum, rubi viriditatem, non minuebat, licet esset materia combustibilis. Per hoc autem designabatur quod labor affligens, qui per ignem designatur, filios Israel, in quibus erat humana infirmitas, non consumeret, nec deleret,

ſed magis mirificè liberaretur, & ideo talis apparitio facta eſt ſecundum conuenientiam negotij, ſicut & aliæ apparitiones huiuſmodi communiter fiunt. Moyſes, Moyſes &c. Iſta duplicatio ſignificat dilectionem, & excitat vocati attentionem. Ne appropinques &c. Ac ſi diceret humana fragilitas non præſumat arcana Dei inquirere curioſè, quia ſcriptum eſt. Qui perſcrutator eſt
Prou. 25 d maieſtatis, opprimetur à gloria.

Moraliter. Per Moyſem paſcentem gregem, intelligitur prædicator verbo, & exemplo paſcens Domini gregem. Cumq; minaſſet gregem &c. Ad pleniorem cognitionem morum, & fidei. Venit ad montem &c. Ideſt ad altitudinem contemplationis. Apparuitq; ei Dominus &c. Illuminando plenius eius intellectum, & inflammando affectum, eo tamen modo quo competit animæ corpori vnitæ. De medio rubi &c. Per quem deſignatur mortalis infirmitas. Vadam, & videbo &c. Volebat enim melius cognoſcere myſterium incarnationis. Ne appropinques inquit &c. Quaſi dicat, talis cognitio, quam tu quæris in vita præſenti non habetur, ideo ſequitur. Solue calciamentum &c. Ac ſi diceret prius opor-
Exo. 32. tet te carnem mortalem deponere, ſicut dixit Dominus. Non videbit me homo, & viuet.

Aug. de mirab. ſac. ſcrip. lib. 1. cap. 26.

In hac terribili viſione, hoc noſtro operi primum occurrit, quomodo ignis videbatur ardere, eo tamen illud, in quo arſerat non comburi. Si ergo de iſta materia ignis alimoniam ſumpſerat, quare illud vnde creuerat, non conſumebatur. Et ſi non de hac materia flamma quę videbatur ſurrexerat, vt in rubo oſtenderetur, quid neceſſe erat? Cuiuſdam ergo virgulti conſuetudo eſt, quod quanto plus arſerit, non tamen non conſumitur, ſed ardendo purgatius redditur. De quo ligno S. Hieronymus in explanatione altaris lignei, quod in Ciuitate per viſionem Domini in Ezechiele oſtenditur refert: quod quaſi lini colorē habebat, attamen de eius nomine reticuit, cū illius naturam indicauit. Si ergo in illius arboris rubo ignis ille Moyſi oſtenſus arſerat, quid mirum ſi nequaquam illud comburebatur? Seruatur ergo in vtroq; natura, igne ſcilicet, & arbore conſideratis, dum & ignis naturaliter de arbore ardet, & arbor ardens igni naturaliter non conſumitur. Certè in illo rubo nō ille ignis arboris inimicus videbatur, ſed potius ignis ille ibi fuit, de quo dicitur. Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem. Ignis ergo incorporeus in rubo declaratur, qui dum corporali homini oſtenſus eſt, neceſſe fuit, vt aliqua corporea materia monſtraretur.

Secun-

Secundum habetur miraculum ibi. Ingressi autem Moyses, & Aaron tabernaculum testimonij, & deinceps egressi benedixerunt populo. Apparuitq; gloria Domini omni multitudini,& ecce egressus ignis à Domino,deuorauit holocaustũ,& adipes,quę erant super altare; quod cum vidissent turbæ, laudauerunt Dominum ruentes in facies suas. 2 Leui.9. D

Glos.interl. Apparuitque gloria Domini &c. Apertè Spiritum sanctum ostendit,qui in igne apparuit. Deuorauit holocausta &c. Vota Apostolorum. Laudauerunt Dominum &c. Hoc impletum est, quando varijs linguis loquebantur Apostoli, & stupebant omnes,qui eos audiebant,& laudabant Dominum. Ruentes in facies suas &c. Humiliter pœnitentes.

Glos. ordin. Ingressi autem Moyses, & Aaron &c. Ingreditur sacerdos tabernaculum,quando pro se orat,vel diuinæ contemplationi vacat:egreditur cum docet,vel benedicit populo,vel eum ad conscięctiam redit perscrutando se, ne forte in prædicatione offendat. Apparuitque gloria Domini &c. In specie ignis,sicut in die Penthecostes,vnde subdit. Et egressus est ignis,vnde apparuerunt illis dispertitæ linguę tanquam ignis. Omni multitudini &c. Cui similiter habetur ibi: facta autem hac voce conuenit multitudo,& mente confusa est. Quæ erant super altare &c. Innuit quod necesse sit prędicta sacrificia,& eorum expositiones supponere intelligibili altari corporis Christi, vt illuc suspiret nostra intentio, & tunc nutrimenta intelligibilis ignis, idest Spiritus sancti aderunt, de quo dictum est. Dominus Deus noster ignis consumens est. Act.2.a Deu.4.d

Nicol.de Lyra. Apparuitq; gloria Domini &c. Hic consequenter describitur ipsius Dei approbatio circa sacerdotium Aaron, per hoc quod ignis descendit datus à Deo consumens sacrificia, hoc enim fuit signum acceptationis diuinæ, vt dicetur in seqq. Quod cum vidissent turbæ &c. Laudauerunt Deum de tanto beneficio suæ gratiæ,hic autem ignis absque extinctione fuit conseruatus à tempore quo fuit datus, scilicet anno secundo egressionis de Ægypto vsque ad captiuitatem Babilonicam; & tunc fuit absconditus in puteo profundo, & sicco per sacerdotes illius temporis,& tempore Neemiæ iterum rehabitus,vt habet[illegible] 2.M[illegible]

Tertium habetur miraculum ibi. Exaudi me D[illegible]ne, exaudi me,vt discat populus iste,quia tu es Dominus Deus, & tu cõuertisti corda eorum iterum. Cecidit autem ignis Domini, & vorauit holocaustũ,& ligna, & lapides, puluerem quoq; & aquã, quæ erat in aquæducto lambẽs: quod cũ vidisset omnis populus cecidit in faciẽ suã,& ait. Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus. 3 3 Reg. 18.f

Mora-

Moraliter. Oſtendit quod prędicator veritatis conſiderare debet oportunitatem temporis ad prædicandum, vnde dicitur tempus tacendi, tempus loquendi.

4 2 Par. 7. a QVartum habetur ibi. Cum compleuiſſet Salomon, fundens præces, ignis deſcendit de cœlo, & deuorauit holocauſta,& victimas, & maieſtas Domini impleuit domum; nec poterant ſacerdotes ingredi templum Domini, ſed & omnes filij Iſrael videbant deſcendentem ignem, & gloriam Domini ſuper domum, & corruentes proni in terram ſuper pauimentum ſtratum lapide adorauerunt, & laudauerunt Dominum, quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius.

Nicol.de Lyra. Ignis deſcendit &c. Signum diuinæ acceptationis. Et corruentes &c. Adorauerunt Dominum adoratione latriæ.

Aug.de Mirab.ſac.ſcrip.lib.2.cap.5.

Cum hiſtorialiter in holocauſti hac concrematione, non terreſtri igne ſed cœleſti flamma oſtendebatur, quod futurum tunc bellum non humanis viribus, ſed cœleſti auxilio proficeret.

Et in cap.18.eiuſdem lib.

In hoc etiam extra naturam ignis nequaquam aliquid fecit,qui deſuper aeris ignito ſpatio deſcendens, cum Dei gubernantis imperio alimenti ſui naturam, quam in terra recepit conſumpſit: in ſuperiore enim illo ſpatio ignis naturam abundantius eſſe, etiam ignis in terra ardens pronunciat, qui ad ſuperiora, vbi eſt natura illius ardenter contemnere tenta: ſicut enim aquæ natura deſcendere ſemper ad inferiora,ſic ignis proprium eſt appetere ſurſum, ſiue excelſa, non tamen contra naturam ſuam, etiam aqua ſępe in excelſa videtur conſcendere, quod non ſubſtantia ſua, quæ grauis eſt, per ſemetipſam, ſed per aeris leuiorem naturam, qua aquarũ minutiſsimæ guttæ ad altiora aeris, vaporabiliter contrahuntur, ſolet facere; ſic & ignis,niſi per aliam ſubſtantiam inferius ſe non deſcendit, vndè cum Dominus ſuper quinque ciuitates igneos imbręs plueret, hoc idem per ſulphur fiebat, quatenus & in ſulphure ignis arderet, & per grauiorem ſulphuris naturam,idem ad terram ferretur: vbi ergo ſuper altare ad holocauſtum ignis deſcendit, aut per aerem, aut per ſulphur deſcendit, quoniam ignis per ſemetipſum non poteſt deſcendere, niſi ſe alicui materię grauiori Deus iuſſerit immiſceri.

1 Num 11. g CIrca aerem verò miraculum fuit oſtenſum ibi. Reuerſuſq; eſt Moyſes, & maiores natu Iſrael in caſtra; ventus autem egrediens

diens à Domino arreptans transmare coturnices detulit,& dimisit in Castra itinere quantum vno die cōfici potest ex omni parte Castrorum per circuitum, volabantq; in aere duobus cubitis altitudine super terram. Surgens ergo populus toto die illo,& nocte, ac die altero congregauit coturniciū multitudinem, qui parum decē coros,& siccauerunt eas per girum Castrorum. Adhuc carnes erāt in dentibus eorum, nec defecerat huiusmodi cibus. Et ecce furor Domini cōcitatus in populum percussit eum plaga magna nimis; vocatusq; est ille locus sepulchra concupiscentiæ, ibi enim sepelierunt populum,qui desiderauerat carnes. Egressi autem de sepulchris concupiscentiæ,venerunt in Asseroth,& manserunt ibi.

Glos.ord.Coturniciū multitudinem &c. Rab.Carnalis populus Iudæorū spreto cœlesti cibo,carnes desiderauit: sed Deus ita iudiciū temperauit,vt puniret malos, nec fragibilibus alimoniā denegaret,& in ipsa concessione aliquid spirituale inuenitur : non.n.ferarū non quadrupedū,nec terrestriū animaliū esum tribuit; sed volucrū aeris, vt disceret superna magis desiderare,quàm terrena; & spiritualia magis quam corporalia. Auium enim natura ex aquis processit, sed in aerem habitationem sibi acquisiuit : qui ergo volucres comedunt ab imis ad superna cor leuare monentur; vt licet in terrenis corporibus degant, animo semper cœlestia petunt,secundum illud Apost. In carne ambulantes non secundum carnem militamus,nostra autem conuersatio in cœlis est. 2. Cor. 10.a

Nicol. de Lyra. Egrediens à Domino &c. Idest virtute diuina excitatus. Arreptas transmare &c. Scilicet in Arabia,vbi multū abundant. Volabantq; in aere duobus cubitis &c. Vt possent capi sine labore. Qui parum decem choros &c. Idest qui minus acceperunt in tanta quantitate, & est genus mensuræ. Et siccauerunt eas &c. Idest mundauerunt eos amouendo intestina. Extra castra &c.

Moraliter. Per hoc autem, quòd ante percussionem Dominus dedit eis in abundantia magna coturnices, quæ sunt aues delicatæ quasi satisfaciens eorum irrationabili desiderio significatur,quod Dominus aliquādo condescendit petitionibus malorum hominum ad eorum interitum,eo quod fit eorum oratio in peccatum.

IN aquis quoque facta sunt plura miracula,vt habetur ibi. Pri- 1
moq; mane surgentes, & orto iam sole ex aduerso aquarum vi- 4.Reg.
derunt Moabitæ è contra aquas rubras, quasi sanguinem. Dixe- 3.d
runtque sanguis gladij est, pugnauerunt Reges contra se, & cæsi sunt mutuo.

Nicol.de Lyra. Viderunt Moabitæ &c. Talis enim apparentia

fiebat

fiebat in aquis ex reuerberatione solis, quæ à longe videbantur, vel forsan miraculo factum est hoc, vt Moabitæ festinarent ad spolia, & sic deordinarent se, & essent faciles ad debellandum.

2 4 Reg. 6 SEcundum habetur miraculum ibi. Cumque venissent ad Iordanem, cædebant ligna: accidit autem, vt cum vnus materiã succidisset, caderet ferrum securis in aquam, exclamauitq; ille, & ait. Heu, heu, heu, Domine mi, & hoc ipsum mutuo acceperam. Dixit autem Homo Dei. Vbi cecidit? At ille monstrauit ei locum. Præcidit ergo lignum, & misit illuc; natauitq; ferrum, & ait. Tolle, qui extendit manu, & tulit illud.

Glos. interl. Vt cum vnus &c. Christus infructuosos arguet. Succidisset &c. Prauos increparet. Caderet &c. Descendit. Ferrum &c. Spiritus. Securis &c. Corporis. In aquam in profundo, perditur intelligentia cordis dissolutione negligentiæ.

Glos. ordin. Accidit autem &c. Rab. Cum impios Iudæos per corpus operata præsentia Christi, tanquam infructuosas arbores 2. Mat. 3. c cederet vnde Ecce securis ad radicem arboris posita est ab eis interueniente passione corpus ipsum deseruit, profunda descendit, quod in sepulturam depositum, tanquam ad manubrium spiritu redeunte resurrexit. Greg. Ferrum in manubrio intellectus est in corde, hoc ligna ceduntur cum prauè agentes increpantur, quod dum fluxe agitur, dum lapsus vanæ gloriæ non vitatur. Ferrum in aqua perditur, quia ex dissoluto opere intelligentia fatuatur, quæ ad hoc datur vt dantis ante oculos ex bona actione restituatur; Heu, heu, heu, &c. Illud per dissolutionem negligentiæ perdidi, quod vt per bona opera redderem, ex gratia Redemptoris accepi, sed nunquam Deus mentem deserit, qui in peccatis veraciter se agnoscit: vnde Heliseus lignum deorsum misit, & ferrum in superficie attulit, quia Redemptor cor peccatoris humiliat, & eam quam amiserat intelligentiam reformat.

Nic. de Lyra. Natauitq; ferrum &c. Contra naturam propriam obediendo naturæ auctori.

Aug. de Mirab. sacr. scrip. lib. 2. cap. 25.

Grauem ferri naturam tenuis aquæ substantia ferre non valet; sed tamen qui postmodum sub Petri pedibus maris solidauerat naturam, ante illam de profundo ferrum leuare iubet. Aquæ enim naturæ quamuis terræ fragilior, tamen aere solidior videtur. Hoc enim à terra minus virtutis habere videtur, quod ab ea metalla, & lapides minus sufferuntur: apte verò illud plus retinet, quod hominum, & cæterorum animalium corpora, & ligna supernatantia sufferre valet: vnde & si metallum ad integrum aqua non suppor-

tat,

tat, ex parte cum portatibus tolerat, vt sæpe probatur, quem vix duo viri in aere possunt leuare, in aqua cum de fune pependerit vnus homo poterit retinere: vnde apparet aquam, & si non per totum, ex parte tamen sufferre posse, & quod ex parte se habet, Deũ per totum posse, vt sequatur naturaliter imperare, propter quod aquæ natura natans ferrum sufferre poterat, quia Deus quod ex parte per semetipsam creatura consuescit, vt ad integrum faceret imperabat.

IN elemento terræ miracula facta sunt, vt habetur ibi. Dixitq; 1
Gedeon ad Dominum. Si saluum facis per manum meam popu- Iudic. 6.
lum Israel, sicut locutus es, ponam hoc vellus lanæ in area, si ros g
in solo vellere fuerit, & in omni terra siccitas, sciam quod per manum meam, sicut locutus es liberabis Israel: factumq; est ita: Et de nocte consurgens, expræsso vellere, concham rore impleuit: dixitque rursus ad Dominum. Ne irascatur furor tuus contra me, si adhuc semel tentauero, signum quærens in vellere, oro vt solũ vellus siccum sit, & omnis terra rore mandans. Fecitq; Dominus nocte illa, vt postulauerat, & fuit siccitas in solo vellere, & ros in omni terra.

Glos.ord. Si saluum facis &c. Vellus lanæ Populum Israel significat: Reliquam autem terram, reliquas gentes; ros qui cecidit super vellus verbum Dei; supra solum enim Israel ros diuinæ legis venerat: siccitas autem omnes gentes habebat quas nullus humor diuini verbi infundebat.

In area &c. Non vbi cumque, non in campo, nec in saltu, sed in area vbi messis est, messis quidem multa operarij, autem pauci, præuidebat enim per Spiritum sanctum: quod Christus in area cõ- Mat. 3 c
gregat populum suum, & ibi eum expurgat, tenens ventilabrum in manu sua.

ALterum potest colligi miraculum ibi. Iesus autem iterum 2
clamans voce magna emisit spiritum: Et ecce velum templi Mat. 27. f
scissum est in duas partes, à summo vsque deorsum, & terra mota est, & Petræ scisse sunt, & monumenta aperta sunt.

Glos. Interl. Emisit spiritum &c. Non alius extorsit. In duas partes &c. In nouum & vetus testamentum. A summo vsq; deorsum &c. Ab initio mundi quando homo conditus est, vsque ad consummationem seculi. Monumenta aperta sunt &c. In typum futuræ resurrectionis.

Glos.ord. Voce magna &c. Ex quo patet quod illa vox non fuit naturalis, sed miraculosa, quia homo magno cruciatu & longo afflictus,

flictus, & ex tali afflictione morti sic proximus, non posset sic clamare virtute naturæ. Et ecce velū templi &c. Vt arca testamēti & omnia sacramenta legis, quæ tegebantur appareant, & ad gentes transeant. Terra mota est &c. Omnia elementa suum Dominum crucifixum demonstrant terra mouetur Dominum suum pendentem ferre non sustinens. Petrę scissę sunt &c. Scilicet corda gentilium, vel vaticinia Prophetarum, quę petrę dicuntur à petra Christo, vt quicquid in eis duro legis velamine clausum erat, scissum pateret gentibus, misticè corda terrenorum per passionē Christi cōmutantur. Petrę scissę sunt, quia duritiā Iudaica ex parte erat emollienda. Et monumenta aperta sunt &c. Et tamen cū monumenta aperta sunt, non autem surrexerunt, quando Domi-
Rom.8.f nus resurgeret, vt esset primo genitus ex multis fratribus.

Nic. de Lyra. Ecce velum templi scissum est &c. Hic secundo declaratur perturbatio elementorum inferiorum, quia ad motum terrę, & aeris velum templi scissum est. Et terra mota est &c. Quasi non potens sustinere mortē Christi. Et monumēta aperta sunt &c. Ex terrę motu, ad denotandum quod resurrectio Christi propinqua erat, & aliorum cum ipso resurgentium.

1.Cor.3 d Moraliter. Dei templum est fidelis anima iuxta illud, templum Dei sanctum est, quod estis vos; cuius velum scinditur, quando velamē Hypocrisis dissipatur. Terra mouetur, quando terrenum desiderium in amorem cœlestem commutatur. Petrę scinduntur quādo duritia cordis per pietatem emollitur.

FINIS.

REGISTRVM.

†A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk.

Omnes sunt Duerniones, præter Kk, quod est Ternio.

1.066.638

L.


A. PANDIMIGLIO · ROMA · LEGATORIA
1922

